200 17 E 15

£2.50

Digitized by Google

[illegible]. E. 15

Digitized by Google

Digitized by Google

DEMONSTRATA IMPIORVM INSANIA

SIVE

NOVA COPIA, ET SERIES CENTUM EVIDENTIUM SIGNORUM

VERÆ FIDEI

OCVLIS SVBIICIENTIVM VERITATEM

ECCLESIÆ ROMANÆ

SACRÆQUE MONARCHIÆ

PONTIFICIS MAXIMI

Argumentis pluſquam Mille debellantium

SCHISMATICOS, & HÆRETICOS

Et aliis pluſquam Ducentis evertentium Directè, ac Singillatim,

ATHEOS, THEISTAS, IVDÆOS, MAHOMETANOS, ETHNICOS

Manifeſtæ Dementiæ redargutos.

AVCTORE

JOANNE LAVRENTIO LVCCHESINIO

Lucenſi è Societate Ieſu.

ROMÆ, Typis Rev. Cameræ Apoſt. Anno MDCLXXXVIII.

Sumptibus Nicolai Angeli Tinaſsii Impreſſoris Cameralis.

CVM FACVLTATE SVPERIORVM, ET PRIVILEGIO.

904 17 E 15

Digitized by Google

Digitized by Google

EMIN.MO ET REV.MO PRINCIPI

PALVTIO

CARDINALI DE ALTERIIS S.R.E. CAMERARIO.

IOANNES LAVRENTIVS LVCCHESINIVS

FELICITATEM.

CUM ex Veteri, & ferè ab omnibus noſtri etiam ævi Scriptoribus recepta Conſuetudine Præſidium huic Operi, ac Decus quærendum eſſet, illico mihi, Eminentiſſime Princeps, occurriſti, cujus Gloria noſtris fulgorem tenebris poſſet affundere, eximia Humanitas vellet, & ſingularis, quæ me, ac Sanguine, vel Studio Religionis conjunctos mihi, ſibi devinxit, Beneficentia hoc à me qualecumque ingenii vectigal exigeret. Cum verò Sacro Cœtui de Propaganda Fide Præfectus in ejus incrementa perpetuis curis incumbas, Tuam ultro ad Tutelam convolabat Volumen, unicè ſpectans ejuſdem Sanctiſſimæ Fidei Propagationem. Illud ergo Tibi obſequentiſſimè nuncupavi; ſed cum adornatam Typis Epiſtolam percurriſſes, eas tantùm ex innumeris Tuis Do-

Digitized by Google

tibus attingentem, quas, penitus conſertas Operis Argumento, cenſueram opportunas rubore ſuffundendis Hoſtibus Apoſtolici Principatus; illam, aliamque omnem, quæ peculiare quidquam de Tuis innueret laudibus, omnino recuſaſti. Incaſſum affirmavi, nihil a me recenſitum fuiſſe, cui Veritas non conſtaret, & compertiſſima quidem univerſæ Aulæ, in cujus luce ſingillatim enumeranti præclara facinora non licet per mendacia Principibus aſſentari abſque effronti vecordia. Fruſtra congeſſi plurimorum Exempla, qui modeſtiam ſuam commendatione vulnerari non exhorruerant: & a graviſſimorum quidem Auctorum calamo, ut Sapientiſſimorum S.R.E. Cardinalium Roberti Bellarmini, ac Sfortiæ Pallavicini: &, præter alios ferè omnes, integerrimi etiam Sacrarum Literarum Interpretis Cornelii a Lapide, qui multò diſertius, quàm ego præſtitiſſem, in alterius Purpurati Patris præconia fuerat effuſus. Fruſtra ſubjeci, ſuſpicionem oborituram Poſteris, (ad quos fortaſſe Liber, cum tenuiſſimo ceteroqui Auctore quamprimùm emori dignus, ab Argumenti præſtantia proferetur) ideo me a Tuis enumerandis Virtutibus abſtinuiſſe, quia ſe numeroſus mihi earumdem Chorus non exhiberet. Incaſſum demum admittendæ alicujus noxæ religionem injeci a Prohibente illa

in-

indicari, quæ Romana Cathedra Impugnatoribus acciderent ſalutaria. Virtutum ſolummodo Præmia, non Virtutes ipſas, & exantlatos pro Catholica Re labores, oculis veneno madidis intueri conſuetis. Nihil his, aliiſque rationum momentis evici; eâdem enim conſtantiâ de Tui me decrevisti Prærogativis Animi conticeſcere, quâ conſignatam a nobis non exiguæ molis Voluminis Clementis Decimi Sanctiſſimi Pontificis (cujus alioqui Famæ perpetuò conſulis, eamque excitato etiam præclaro Sepulchro foves) Vitam Duodecimum ferè in annum premis, ne illius, cui nimis immixtus es, capias uſuram gloriæ. Id unum igitur ſupereſt, ut, ſeriò loqui vetitus, a Sideribus, quæ Gentilitio Tuo fulgent in Stemmate, Auſpicia quæram ad ineundum certamen cum Illibatæ Religionis Oſoribus: ut olim Stellæ manentes in ordine, & curſu ſuo contra Siſaram pugnaverunt. *Septem nobis Tartareæ Legiones debellandæ ſunt, Schiſmatici, Hæretici, Hebræi, Mahometani, Ethnici, Theiſtæ, Athei. Sex in Alteriis Inſignibus rutilant Stellæ, quæ totidem erunt in Impios Fulmina. Et Plejades quidem,*

Quæ Septem dici, Sex tamen eſſe ſolent,

(ut Vates animadvertit) eas appellarunt Interpretes Præſagii Divi Malachiæ, ſex ferè ab hinc Seculis ominati, Clementem Decimum fore de

Flu-

Digitized by Google

Flumine Magno *Pontificem*; *cum enim Plejades regnant, intumeſcere majori aquarum ubertate Flumina conſueverunt. Ita licet Septem perhibeantur eſſe Adverſariorum Veræ Fidei Claſſes, duæ tamen poſtremæ plerumque confluunt in unam, inque Atheis Theiſtæ ut plurimùm deliteſcunt. Ad omnes feliciter ſalubri Argumentorum copia obruendos noſtri, arens ceteroqui, calami riuus a Tuo, Princeps Eminentiſſime, Patrocinio incrementa virium accipiet. Vale, & Chriſtianæ Reipublicæ Felicitati diutiſſimè vive.*

Digitized by Google

THYRSVS GONZALEZ
PRÆPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS IESU.

CUm Librum, cui Titulus (Nova Copia, & Series Centum evidentium Signorum Veræ Fidei &c.) a P. Ioanne Laurentio Luccheſinio Societatis Noſtræ Sacerdote conſcriptum aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut Typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 30. Octobris. 1688.

Thyrſus Gonzalez.

Imprimatur,

Si videbitur R. P. Sac. Palatii Apoſt. Promagiſtro.

Stephanus Ioſeph Menattus Epiſ. Cyrenen. Viceſgerens.

EX

Digitized by Google

EX commiſſione Admod. R. P. F. Ioſephi Clarioni Ordinis Prædicatorum S. P. A. Promag. Ego infraſcriptus attentè perlegi Opus in Quinque Libros diſtributum ſub hoc Titulo (Nova Copia, & Series Centum Evidentium Signorum Veræ Fidei &c.) elucubratum ab Adm. R. P. Ioanne Laurentio Lucchefinio Societ. Ieſu Theologo; nihilque in eo deprehendi, quod ſanam Fidem, Sacros Canones, integerrimoſque mores offendat. Imo præclara in eo Argumenta glomerantur, ex quibus Auctor præſtanti Ingenio, ſelecta Eruditione, non fucata Elegantia, concludentiſſimè demonſtrat Catholicæ Religionis Patentiſſimam Credibilitatem, & Credenditatem, ad Confuſionem Orientalis Schiſmatis, & Arcticæ Eterodoxiæ, nec non aliarum quarumcumq; nefandiſsimarũ Sectarum; ad honorem verò S. Sedis Apoſtolicæ, & in ea feliciter Regnantis Innocentii XI. Hierarcharum Optimi. Quamobrem ut iſtud Opus quàm citius Typorum beneficio publici juris fiat, expedire cenſeo. Romæ in Conuentũ Sanctæ Mariæ ſuper Minervam Die 10. Octobris 1688.

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Præd. S. T. Mag. Sac. Congreg. Indicis Conſultor, & in Romano Archigymnaſio Publicus Profeſſor.

Vo-

VOlumen cedro dignum; (cui Titulus, Nova Copia, & Series &c. Auctore A. R. P. Ioanne Laurentio Lucchesinio Societatis Ieſu,) adeoque è Lucis ſinu editum, ſplendidam nedum exhibet Sacræ Eruditionis pompam, & eximiam Scriptoris Zelo accenſam Pietatem, verùm etiam Eloquentiam elegantiſſima amænitate florentem. Loquitur Roſas, ut Venuſtate demulceat, quæ intorquet Argumentorum Spicula: his pungit, ut compungat, vulnerat, ut ſanet: etenim Veritatis æquè, ac Animarum Salutis amantiſſimus, illud implevit Prov. 27. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula blandientis.* Ibunt itaque, non interibunt, in luce Sagittarum ſuarum, & in ſplendore fulgurantium Haſtarum illius. Hac eadem Sapientiſſima luce & ipſe perfuſus inoffenſo potui percurrere oculo, non pede, quia quicquid his legi in Libris, ſuſpiciendum, non proterendum animadverti. Catholicæ Fidei conſonat quicquid loquitur, cum Sanctiſſimam ipſam eloquatur Fidem: ab optimis Moribus ne latum quidem diſtat unguem; nam illa, quæ unus exaravit calamus, plures addere poſſunt alas, ad eorum ut quis evolare poſſit apicem. Ne ergo Eccleſia Dei tanto careat Emolumento, ne Sponſa Chriſti tanto ſpolietur Ornamento, lucem videat: melius

dicam, lucem videre faciat, quod in Gentium Lucem datum eſt, mihique a Reverendiſs. P. Ioſepho Clariono Sacri Apoſtolici Palatii Promagiſtro commiſſum fuit. Ita ſentio ex Conventu noſtro S. Mariæ de Victoria. Romæ 25. Octobris 1688.

Fr. Blaſius a Purificatione Carmelita Diſcalceatus Sac. Theolog. Profeſſus, ac ſui Ordinis Generalis Hiſtoricus.

Imprimatur,

Fr. Ioſeph Clarionus Ord. Præd. S. A. Pal. Promagiſter.

Digitized by Google

QUOD in fronte Voluminis indicavimus, hic religioſè ſpondemus: In hac, videlicet, noſtri qualiſcumque Operis Parte Signis manifeſtiſſimis evincitur, quænam Vera ſit Fides: & oculis ipſis objicitur Vera Eccleſia. Demonſtratur Inſania Sectarum omnium. Quæ forma loquendi ne cuipiam audax videatur, innuimus, eâdem uſum Sapientiſſimum, ac Moderatiſſimum S. Ioannem Chryſoſtomum, qui poſt allatas nonnullas Veræ Fidei Notas, a nobis expendendas Libro Quarto Signo Tertio, & Quarto, inquit in Orat: quod Chriſtus ſit Deus. *His nullus contradixerit, niſi quis valde Inſanus, ac totus Stupidus ſit, Naturæque ſenſu privatus.* Stabilitur Præſcriptio Catholicæ Veritatis. Romana Eccleſia Argumentis pluſquam Mille (quorum initium appicti Lineæ Capiti, aut ipſi aliquando reliquo lineæ Corpori, Numeri prænotabunt) oſtenditur Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica. Afferuntur Semina, Cauſæ, ac brevis quidem, ſed Integerrima, Narratio latiſſimè fuſæ, ideſt Orientalis, a Romano Pontifice Seceſſionis: & ex ea manifeſtè infertur Schiſmatis Iniquitas, & Falſitas: qua laborare omnes Hæreſes efficitur a Fortiori. Ex univerſa præterea Sacra Hiſtoria ſelectiſſimi, qui præſertim ad Chriſtianæ Reipublicæ Regimen pertinent, flores delibantur. Non expenſo interim Iure, ſed Facto ipſo, ac totius Eccleſiæ, omniumque Seculórum Praxi (ex qua præcipuè conſurgit oculis ſubiecta ejuſdem Eccleſiæ Au-

Digitized by Google

ctoritas, quæ una eſt ex præcipuis Veræ Fidei Teſſeris) innumeris Experimentis vindicatur, ex Græcis præcipuè, Sanctis, aut Hoſtibus Scriptoribus, præſertim verò ex Generalibus Synodis, Romani Pontificis in Univerſam Eccleſiam Præfectura. Regulæ plurimæ ſtatuuntur ad omnes huc uſque exortas, & exorituras Hæreſes labefactandas. Quæ verò Secundo Libro traduntur de Sanctitate, Sapientia, Miraculis, Prophetico lumine, Martyriis, aliiſque hujuſmodi Veræ Religionis Notis; quæque Quarto de Mirabili Chriſtianæ Fidei Propagatione, Dementiæ coarguunt etiam Hebræos, Mahometanos, Ethnicos, Theiſtas, & Atheos. Eædem prætereà Sectæ omnes Directè etiam, ac Singillatim evertuntur Libro Quinto, & Argumentis quidem pluſquam Ducentis.

An verò non *Copiam* solùm, ſed & *Seriem* noſtrorum Signorum *Novam* eſſe meritò affirmemus, eorum Index omnium ſtatim oculis objectabit. Neque tantùm in Omnium Contextu, ſed & in Singulorum Explicatione Signorum Methodum ſervare ſedulâ curâ ſtuduimus; quod oſtendendum Lectori ſperamus ab ipſo Indice Paragraphorum. Hoc autem candidè præ nobis ferimus, quia ex ipſa certa, confidentique rerum Diſpoſitione fulget Doctrinæ Soliditas; ideoque illâ ſolummodo uti poſſunt, qui Regiâ ingrediuntur, ſemperque iter urgent, Veritatis Viâ.

Brevitati ſtudentes, & Hiſtoricos frequenter imitati, non ſemper Auctorum verba, nec ipſa quandoque referimus eorumdem Nomina. Sed præſtò ſumus ad magnam eorum vim exhibendam cuicumque ea cognoſ-

cen-

Digitized by Google

cendi ſolicito. Hoc præcipuè præſtabimus, ſi quiſpiam conatum noſtrum carpere aggreſſus, audacis, ac ſtolidæ falſa narrando, nos prævaricationis inſimulet. Sed enimverò Divinæ, quam propugnamus, cauſæ fiduciâ freti affirmamus: futurum fortaſſe aliquem, qui octo, aut decem ex innumeris Factis, indicatis a nobis, in dubium injuſtè revocet; at neminem certè, qui omnia ipſa hic allata Veræ Fidei manifeſta Signa poſſit evertere. Imò ſudabit multum, fruſtraque laborabit, auſus vel unum impetere.

Quia (cum cetera omnia nobis deſint) ſemper tamen inſtituti operis curſum proſequimur, & in medias res, non ſecus ac notas, rapimus Lectorem: ipſarumque Rerum, non Verborum Copiam amamus: pauciſſimis abſolvimus ea, quæ vltro patent, atque eminent; ideoque Signa quædam unâ, vel alterâ Paginâ definimus. Neque tamen labori parcimus, ubi res uberiorem diſcuſſionem deſiderat: quod videre eſt Libro Primo Signo 5. & 6. Libro Secundo Signo 2. 19. Libro Tertio Signo 2. 21. 23. 24. 31. 32. 34. 35. 36. 37. 38. 40. Libro Quarto Signo 3. 4. 7. 11. 12. 14.

Erunt fortaſſe, qui Signis quibuſdam, v.g. Prophetico lumini, Miraculis, Martyriis, plurima ſubjici Exempla cupiant. Sed hoc immenſi Operis eſſet: & præſtitum fuiſſe audimus ab eruditiſſimo viro Thoma Bozio Congregationis Oratorii Presbytero in duobus Tomis de Signis Fidei. Hæc de Bozio commemorans Famam conſulo, quæ de illo ſerò meas ad aures fuit allapſa; profiteri enim ſanctè poſſum, incognitum mihi fuiſſe, antequam hoc qualecumque Opus abſolverim; neque deinde.

Digitized by Google

inde uſuram mihi temporis fuiſſe, præterquam ad Indicem Signorum, quæ idem affert, duaſque præterea, vel tres ipſius Operis paginas delibandas. Non hæc idcirco præfamur, ne plurima ex illo huc congeſſiſſe credamur; ij enim ſumus, quos meritò incendat ambitio, vt nos omnes erudiant.

Sed ut ſuus veritati ſit locus, atque hoc etiam Sanctiſſimæ Fidei decus accedat: quod, videlicet, præter Centum ab aliis allata, totidem ipſi ſuppetant (in hunc enim Numerum prorſus incogitantes incurrimus) Signa manifeſtiſſima Veritatis hic afferenda. Ex his ferè omnia diuerſa ſunt, niſi nos præclari Auctoris Tituli fallunt; præter pauca quædam, quæ à nullo prætermitti ſine piaculo queunt: v. g. Miracula. Hæc autem, ſpectantia præcipuè ad Divinam Euchariſtiam, ac Sanctorum Corpora, in plurima Signa dividit Bozius: eorumque, ut audio, confertiſſima enumeratione Veræ Triumphum ſtatuit Religioni. Vt illum conſulere Lector poſſit, Signorum Fidei, quæ recenſet, Indicem hic ſubteximus.

TOMO PRIMO.

Prima Claſſis A Coniunctione cum Deo per Chriſtum.

Ex Fide.

1. Fides ex auditu. 2. Una Fides. 3. Indubitata. 4. Perpetua. 5. Antiqua. 6. Propagatio Fidei. 7. Maxima iniquis temporibus Propagatio. 8. Perpetua Fidei Propagatio inter Gentes. 9. Ordo Fidei propagatæ. 10. Triplex tempus, gens, & modus in Fidei Propagatione. 11. Miracula in Fidei Propagatione facta. 12. Confirmata undique Fides. 13. Confutatio Hæreſum. 14. Sanctiones Univerſalium Conciliorum. 15. Unanimis Doctorum Conſenſus. 16. Interitus Fidei Chriſtianæ adductus per Hæ-

Hæreticos in eorum locis: 17. Reparatio Fidei per Catholicos facta in iiſdem.

A Spe.

18. Spes ſumma Catholicorum. 19. Spiritus Prophetiæ. 20. Sermo Scientiæ efficaciſſimus. 21. Sermo Sapientiæ. 22. Genera linguarum, & Interpretatio Sermonum. 23. Summa Fides, ſeu fiducia. 24. Peritia Catholicorum in omnibus Diſciplinis.

A Charitate.

25. Perpetua Sanctorum Succeſſio. 26. Magni iniquis temporibus Sancti. 27. Perpetua Martyrum Series. 28. Gentes efferæ ad humanitatem perductæ. 29. Charitas. 30. Summa Sanctitas. 31. Studia, & Exercitationes ardentiſſimæ Virtutum.

A Prudentia, & Iuſtitia.

32. Prudentia politica. 33. Prudentia, & Fortitudo militaris. 34. Iuſtitia 35. Religio 36. Cultus Deiparæ, Sanctorumque amplificatus. 37. Spiritus precum.

Ab annexis Iuſtitiæ.

38. Pietas. 39. Obedientia. 40. Veritas. 41. Amicitia. 42. Liberalitas.

A Fortitudine, Temperantia, & annexis.

43. Patientia. 44. Animi magnitudo. 45. Magnificentia. 46. Temperantia. 47. Clementia, & Manſuetudo. 48. Caſtitas. 49. Humilitas. 50. Paupertas.

A Vitiis Hæreticorum.

51. Impuritas Hæreticorum. 52. Vitioſitas alienorum. 53. Inteſtinæ aliorum cædes. 54. Ignauia Hæreticorum aduerſus Hoſtes. 55. Ignorantia Hæreticorum. 56. Turpiſſimi calumniantium, alienorumque progreſſus in omnibus vitiis.

A San-

A Sanctitate Eccleſiæ.

57. Sanctitas Eccleſiæ nunc militantis.

TOMO SECUNDO.

Secunda Claſsis A Coniunctione cum Deo per Euchariſtiam.

A Sanctiſſima Euchariſtia.

58. Miri effectus Euchariſtiæ ſumptæ. 59. Stigmata Divina Corporum Sanctorum. 60. Corporum præſentia multiplicata, aut inviſibilis. 61. Dotes Divinæ Corporum Sanctorum.

A Cadaveribus Sanctis.

62. Dei Providentia in tuendis Reliquiis. 63. Cæleſtes Proprietates Cadaveribus Sanctis communicatæ. 64. Redintegratio Cadaverum diſſectorum. 65. Cadaverum quaſi viventium functiones. 66. Affectiones miræ Cadaverum Sanctorum.

A Rebus reſpicientibus Sanctos.

67. Signa rerum, quas Sancti tetigerunt. 68. Imaginum Sacrarum effectus. 69. Signa rerum reſpicientium Sanctos. 70. Splendor rerum Sanctarum. 71. Miræ affectiones rerum Sacrarum. 72. Ceſſatio Cladum poſt ortum Chriſtum. 73. Terræ habitabiles effectæ, poſtquam Chriſtus è Terra Corpus ſumpſit.

Tertia Claſsis a Coniunctione cum Deo per Sacramentum Ordinis.

74. Catholica Eccleſia. 75. Præſtantia Sacræ Poteſtatis. 76. Admiranda progreſſio Sacræ Poteſtatis. 77. Perpetua Succeſſio Apoſtolorum. 78. Principatus Romæ poſitus. 79. Auxilium Cælitum in Bellis. 80. Petri Cathedra. 81. Cura Papæ in Catholicis tuendis.

A Po-

A Populis ſubiectis Eccleſiæ Catholicæ. 82. Innumeri Catholici. 83. Inimicorum Conciliatio. 84. Inſulæ longinquæ, & novæ. 85. Plurimorum Regum cultus. 86. Regum ſumma reverentia. 87. Ampliſſima Catholicorum Dona. 88. Cultus deſertorum locorum. 89. Felix exitus Regum Catholicorum. 90. Pax ſumma Catholicorum. 91. Bella perpetua, Victoriæque ex eis. 92. Felix poſteritas Regum Catholicorum. 93. Decens felicitas Catholicorum. 94. Poteſtas in Dæmones. 95. Pœnæ in imminuentes Sacra Iura. 96. Obitus Hæreſiarcharum inglorii, & infelices. 97. Infelix exitus Hæreticorum Regum. 98. Infelix poſteritas alienorum. 99. Infelicitas hæreticarum Nationum. 100. Prodigia, & Clades Cælitus miſſæ, & everſio Gentium, ac Regnorum.

Non ſolùm ergo nullius ſequimur ductum, dum hæc Signa Schiſmaticis præcipuè obiectamus; ſed etiam ad alias omnes Sectas debellandas Communibus quibuſdam, & quidem Evidentibus, Veri Notis, abſque Singulorum diſcuſſione Articulorum, Recentia plerumque (abſit verbo invidia) Argumenta ſuppeditamus.

Hæc præloqui audemus, ne quiſpiam, actum a nobis agi, ſuſpicatus, Novum nullum animis pharmacum propinandum eſſe opinetur. Ceterùm noſtræ nobis tenuitatis compertiſſimi ſumus: nec vlla inanis gloriolæ aura inflare poteſt duos in Eccleſiæ Gazophilacium, egregiis aliorum Operibus ditiſſimum, cum Anu Evangelica obolos de pauperrimi ingenii cenſu inferentes. Conamur aliquid Divino Magiſtro Auguſtino obtemperantes, Serm. 3. in Pſalm. 33. *Si amatis Deum, rapite omnes*

ad amorem Dei, qui vobis junguntur. Si amatur a vobis Corpus Chriſti, ideſt Unitas Eccleſiæ, rapite eos ad fruendum, & dicite: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum. Rapite, quos poteſtis, hortando, portando, rogando, diſputando, rationem addendo cum manſuetudine, & lenitate.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO
TOTIVS OPERIS
IN OMNES ADHUC VIGENTES
Contra Veram Religionem Errores.

I. *Cauſæ, ob quas, poſt hanc Primam Partem de Signis Fidei, impugnaturi ſumus Orientale Schiſma, antequam ſparſas per quædam Septemtrionis, & Occidentis Regna Hæreſes, aliaſque Sectas impugnemus.*

AGgredior ſcribere in Errores rapientes in præceps animum innumerabilium mortalium; eorum verò præcipuè, qui, cum Orthodoxi non ſint, ſacro tamen Chriſti Reparatoris nomine, quaſi ejuſdem doctrinæ aſſeclæ, gloriantur. Ad medelam autem afferendam Schiſmati Orientis, antequam ſalubri ferro, & igne invadam vulnera Sectarum majori infamia laborantium, plures me cauſæ impulerunt. Græco primùm, poſt dilectum olim Divinitati Judæorum populum, debitorem ſe Sanctiſſimus Gentium Doctor affirmavit. Exultam ergo ab illo, aliiſque præcipuis inter Divinos Nuncios Gentem, ad quam omnes ferè ſuas dedere Canonicas Literas, & cujus lingua ferè omnes Recentis Teſtamenti Libros exararunt, ſingulari quodam amore complecti me ultro profiteor; ideoque Sacram ſæpius expeditionem ad Græcorum animos Cælo aſſerendos ardentiſſimè flagitaſſem, niſi magis conſulere calamo, quàm lingua, ipſorum ſaluti me poſſe confiderem. Neque verò linguæ pepercimus, cum Controverſas cum Shiſmaticis Quæſtiones (*Vndecim ab hinc annis initium ducentes ab afferendis in hac Prima Parte Vera Fidei Signis*) optimis Collegii Græcorum Alumnis explicare adorti fuerimus. Hoc etiam cauſæ fuit, ut eorumdem rogatu prius conſignare Libro huic, veluti pharetræ, adoriamur tela, quæ depromere opportunè queant ad ſuorum animos ſalubriter ſauciandos. Præter inclytæ Nationis, olim Mundi Magiſtræ, præſtantiam, illud etiam præcipuam eidem commodandi ſitim accendit, quod in oppidò paucis a nobis diſſidet, & penè *Domeſtica fidei* nun-

cuparetur; niſi omnem Error unicus, qui crimini verti poſſit, Fidei candorem temeraret. Non dedecorat permiſſa morum licentia Chriſtianum nomen: non amplectitur quotidie naſcentes novos Errores, ſed potius eoſdem in ſuorum Antiſtitum Cœtibus, Conſtantinopoli, & in Ruſſia celebratis, diris devovit: eorum præſertim opera, & ſtudio, qui ex hoc Collegio ſtrenuiſſimi Veritatis Propugnatores prodierunt. Quid, quod cum plurima, quæ in Orientem Solem, ac Septemtriones funduntur, Regna morem Græcorum in Sacris ſequantur, & ab Alexandrino Præſule quærant Religionis Duces innumeræ gentes, quæ ſub Abyſſino, aliiſque Imperiis latiſſimè in Meridiem protenduntur, (licet hæ in alias, Græcis abominatas, Hæreſes prolapſæ fuerint) enimvero ſalus Græcis allata Tertiam ſaltem illorum, qui Chriſti nomine cenſentur, partem Cœleſti vitæ, ac incolumitati redonaret; ceteri enim populi, ad eorum in Sacris morem vel penitus, vel ex parte, ſe conformantes, eorumdem reſipiſcentium veſtigiis inſiſterent.

II. *Diſcrimen inter nos, & alios, qui contra Schiſma ſcripſerunt.*

Poſt indicatas cauſas, quæ ad ſumendum hinc ſcribendi exordium nos impulerunt, innuere præſtat, hanc ſpartam impugnandi Schiſma a plurimis, iiſdemque egregiis Auctoribus ſumptam fuiſſe, qui deterrere nos poſſent. Sed immenſis plerumque, licet aureis, Voluminibus ab ſe avertunt oculos, animoſque. Vberi aliqui de ſuo cenſu eloquentia luxuriant: allata in medium alii copia Teſtium, neque paucis eorum verbis, ſed magna diſertiſſimarum Orationum parte, incurioſos, & oſcitantes abigunt: redactis nonnulli in Philoſophicam formam argumentis vexant illos, qui Scholaſtico docendi more non admodum oblectantur: plerique aculeis invadunt nil proficientibus, imo animos nobiles exaſperantibus, præſertim ſi paucorum quorumdam, qui ſuæ Genti dedecus inurunt, vitia eidem promiſcuè, ac in univerſum Genti attribuantur.

III. *Vitanda Prolixitas, & Obſcuritas.*

In quos incidiſſe alios, arbitramur, ſcopulos, Deo Auſpice, ſtudioſè vitabimus. Rerum potius, quàm verborum, copiam amantes, non aridè, ac jejunè Philoſophico ritu, ſed qualicumque Rhetorum veſte Sacram Doctrinam induentes, occurrere faſtidio connitemur. Neque verò, dum breves eſſe, in occupatorum, aut nauſeantium gratiam, laboramus, obſcuri fiemus, quod omnino cavendum

no-

Digitized by Google

noſter olim Admirator Pindari Lyricus affirmavit. Imo nihil ſtudioſius conſectabimur, quàm ut maximè Perſpicui ſimus, ipſorum etiam nos captui accommodantes, qui Severiores Doctrinas ne de limine quidem unquam ſalutarunt: ea reſpuentes ornamenta omnia, quæ vim infigendæ cordi ſagittæ poſſent ullatenus hebetare. Hoc aſſequi, facile negotium erit, quia cum ingenioſiſſimis plerumque hominibus ſermonem inſtituo; Littora enim eadem, montes, ſituſque alii terrarum nunc etiam Græcorum indolem fingunt, idemque, quod olim, Græciæ imminet Cælum, licet inſitam vim plerumque non promoveat adhibitus cultus.

IV. *Cauſæ ſcribendi Latinè.*

At enim cur claritatem amantes Latinè Græcos alloquimur? Hoc verò præſtamus, quia quæ dicturi ſumus, præter Græcos, non Ruthenis modò, quibus Latii lingua magis eſt cognita, ſed aliis etiam populis prodeſſe poſſunt, præſertim quæ demonſtrabunt Sacram Romani Pontificis Monarchiam: quia demum, utcumque hauſto è veterum Scriptorum Voluminibus, quem Literalem dicunt, per laborem plurimum uti ſtylo utcumque poſſemus; is tamen in ipſa Græcia peregrinus accideret multis, corruptum ſolummodo Vulgi Sermonem edoctis a parentibus, & nutricibus. Magis proinde conſentaneum Divinæ, quam unicè inquirimus, Gloriæ opinamur, poſt tentatam ab hoc Opere publicæ lucis aleam, ſi hæc non infauſta ſucceſſerit, annuere, ut in uſurpatum vulgo à Græcis idioma optima fide vertatur: ad quod præſtandum ſuam jam nunc mihi induſtriam, & propagandæ Religionis ardorem, plures ingenio, doctrinaque florentes Iuvenes humaniſſimè detulerunt.

V. *Fugienda Convicia, & Iurgia.*

Illud ſupereſt, ut, quæ ingratiſſima ſolent accidere, convicia, & maledicta velis, ut dici ſolet, remiſque vitemus. Impietatis ſolùm Magiſtros, Neſtorium, Photium, Epheſium, alioſque hujuſmodi furfuris paucos, liceat mihi ſuis nominibus compellare. Ceteroqui dilectiſſimam mihi, ac ſummopere cultam, Gentem omni verborum officio proſequi, honori ducam. Vtinam *molliantur ſermones noſtri ſuper oleum, & ipſi ſint jacula*, ut inquit Regius Vates. Qui tuam in pharetra Iſaiam, & Præcurſorem Ioannem abſcondiſti, Venator animorum Deus, Sanctos Græciæ Patres, imo tuum ipſum Verbum, Te ipſum, auſim dicere, in illos ejaculare. Cæleſtia hæc tela, non incaſſum, imo perniciosè, vellicantes aculei Lectorum meorum ani-

mis

mis infigantur. Quod pretium operæ ferunt, qui tertio quoque verbo, magna(ſi Superis placet) unius, aut alterius Poëtæ auctoritate fulti, Mendacem vocant Græciam! Hæc a fama præſtantis ingenii Græcorum, qui circumducere alios poſſent, ſi vellent, in barbaros manavit opinio: quam æmulatione gloriæ vetus deinde Latium amplexum eſt. Sed & nos eadem ſuſpicio traducit apud exteras Gentes; quæ, ne ſe perſpicacis animi dotibus minores fateantur, nectendis dolis aptiſſimos Italos dicunt: qui tamen plerumque cavere malunt, ne ab aliis decipiantur, quàm alios decipere. Enimvero qui animos minimè abjectos maledictis inceſſunt, illis parcerent, ſi quantam ea pernicem pariant, compertum haberent. Inter præcipuas toties renati, poſt compoſitam toties Pacem, Diſſidii cauſas ea eſt, quòd odio ſe haberi a Latinis arbitrati Græci, eos interim oderunt Ipſi, quibus ſe inviſos eſſe, perperam opinantur.

VI. *Latinorum Amor erga Græcos.*

Nam cur oderimus proximam, ac tot prærogativis illuſtrem Gentem, erga quam memoria Priſtinæ Gloriæ commiſerationem, adeoque amorem exacuit? An quia in urbe Roma Coryphæus Apoſtolorum Sacri Regiminis Sedem ſtatuit, aliis inſani populis inſultemus, obliti Sapientiſſimorum Patrum, quos Eccleſiæ Divinæ tribuit Græcia: immemores Conciliorum, quibus Nicæa, Conſtantinopolis, Epheſus, Chalcedon, noſtram Religionem firmavit: ingrati Sanctiſſimis Pontificibus, quos Græcia miſit ad Vaticanum ornandum? Non eò dementiæ veniunt quicumque in Literis ævum conterunt, aut, ſi graviorum ſunt diſciplinarum expertes, Hiſtoriam ſaltem attigerunt, ut magno non habeant in pretio florentiſſimam olim Ingenio Nationem, Doctrina, Armis, Imperio, ac deinde etiam Sanctitate. Quo verò in illam amore incendantur Succeſſores Petri (nam hoc etiam in Proloquio delibare præſtat, quod ſuo fuſius loco expendemus) quàmque inſigni moderatione, ac propemodum cultu, flectant illius habenas, patet ex conſtantia, qua Orientalis Eccleſiæ Iura, & Privilegia ſemper aſſeruerunt: veluti ſub utraque ſpecie conceſſam omnibus Cæleſtem Menſam, Sacerdotibus Vſum Conjugii, aliaque hujuſmodi, quæ præclarè meritis Occidentis Regibus, & Imperatoribus, offerentibus in pretium ſpem diſtrahendorum ab Hæreſi plurium Regnorum, mordicus denegarunt. Quos ergo mirè diligimus, cur jurgiis exulceremus? Cur commota injuriis bile venenum ſciſſuræ infundamus? Cur amaris invectivis non lucrati intellectum, voluntatem in pertinacia confirmemus? Argumentis, non verborum aculeis, agendum eſt; neque enim noxia in hoſtes arma expedimus, ſed errantibus prætendimus facem.

VII. *Can-*

Digitized by Google

VII. *Cauſa Errorum in pleriſque Græcis.*

Novi, pacis amantem, & minimè perverſam, ſed deceptam indolem pleriſque ineſſe. Æqui, bonique faciant, ſi Temporum, & Barbarorum, quorum jugo premuntur, injuria contigiſſe dixero, ut rarò diligentem Literis, præſertim Sacris, operam navent, ac proinde paucis cognita ſint Vetuſta Eccleſiæ, etiam Græcæ, multòque magis Latinæ monumenta: non collecta apud ipſos in unum, ſed in Libros innumeros diſperſa, quorum etiam illis copia minimè affluit. Ex noſtris verò licet aliqui immenſos Antiquitatis Sacræ Theſauros in unum, idemque Volumen cōgeſſerint; tamen hi vel in ipſorum manus non veniunt, vel ad illos exhauriendos tempus eis, aut voluntas deeſt: niſi etiam contemptus noſtrarum rerum adſit, quas, ut ſuus veritati ſit locus, non ex æquo dignantur; cum contra magno nos in pretio Græcos ſemper Auctores habuerimus, quos ferè omnes Latii lingua donavimus: quique illos Atticè loquentes audire poſſunt, avidiſſimis in eos animis perpetuò feruntur.

VIII. *Non auſi Magiſterium profiteri Doctores Veritatis ab ipſa Græcia afferemus.*

Sed, quamvis amanter, expoſtulandi tempus non eſt. Illud nobis jucudiſſimum accidit, magnaque ſpe nos erigit, non incaſſum in hoc Libro laboris, & operæ collocandæ, quod ſuos ipſi Sanctiſſimos Patres mirificè venerantur: neque, ut Recentes pravitatis Magiſtri, qui Hæreſum peſtem per tot Europæ Regna miſerè diſſeminarunt, Sanctos Eccleſiæ Divinæ Doctores nauci faciunt, utque imperitorum, & facilem omnibus fidem adhibentium, hominum turbam, ludibrio traducunt. Non temnunt Sacroſancta Concilia, ex quibus Prima Quatuor eandem, quam totidem Evangelia, apud ſynceram Religionem profitentes Auctoritatem ſortita: alia verò Chriſtiano generatim Orbi veluti Lex, & Norma credendi propoſita ſunt. Non reiiciunt conſignata nobis ab Apoſtolis, aliiſque primis Veritatis Præconibus Oracula Fidei, ac Pietatis, quæ cenſeri debent Divinum verbum non inſcriptum paginis, ſed memoriæ, animiſque poſterorum, perque manus, nunquam interrupta ſerie, a Majoribus traditum. Nullam verò Sacrorum Codicum partem a Vaticano recenſitam ipſi pariter non venerantur, ut exaratam Spiritu Divino dictante. Hi nobis erunt lympidiſſimæ Doctrinæ fontes, neque humanæ deerunt ratiocinationes, & argumenta, quibus ingenioſiſſima gens plurimùm ſemper adhæſit; cum contra Hebræi Portenta, & Signa

quæ.

Google

quæſiverint, ut ex Gentium Apoſtolo liquet. In eruenda ex latebris Sacrarum Literarum ſententia vix alios, quàm Græcos Interpretes adhibebimus: aut ſi Latinos identidem teſtes conſulamus, ii ferme erunt, quibus ob inſignem Sanctitatis, & Sapientiæ famam ipſi etiam in Græcia celebrati Præſulum Cętus dedere plauſum. Idcirco non ego nullius pretii homo, ſed Sancti eorum Patres, & Magiſtri Græcos erudient. Pudori non erit, ab illis diſcere, quos ut intemeratæ Fidei Doctores tot Secula ſuſpexerunt: ac proinde documenta, quibus tantum pondus ineſt, ſuaviſſimè nobilibus animis blandientur, primuſque diſcendi ardor docentium dignitas erit. Quid, quod curtum plerumque, ut inquit Satyricus Vates, ſermone rotato Enthymema torquendo, (quæ arguendi forma Rhetori exculto a Lycæo frequentiſſima eſt:) vix innuam momenta rationum; quibus pluri-ma non rarò emphaſis inerit, & una veritate indicata latebunt plurimæ, privato a ſingulis ſtudio in apertum jucundiſſimè producendæ, veluti proprii intellectus præda, quæ magis amari conſuevit: ut ſuavius venatorum palato blandiuntur feræ, quas ſuis ipſi jaculis confecerunt.

IX. *Si Sanctis Eccleſiæ ſuæ Patribus fidem adhibeant Græci, priſca eorumdem Gloria refloreſcet.*

At, quos omni verborum officio proſequi, ſuorumque tantùm Sapientiæ Antiſtitum Magiſterio informandos tradere, in animum induxi, velim expendere, quàm grave crimen admittant, deturpando Erroribus Fidem, quam Integerrimam ipſorum Majores per tot Secula profeſſi ſunt: quam tot Sanctitate, ac Sapientia præſtantes Græciæ Patres, tot apud ipſos celebratæ Generales Synodi, ſanciverunt: ad quam publico totius Græciæ nomine ab Orientis Cæſaribus, & Patriarchis tam ſæpè regreſſum eſt: quamque illi præ ceteris ſemper illibatam Græci coluerunt, & nunc etiam colunt, qui Sacris Literis impalluerunt; adeo ut, conſulendo Sapientum Græcorum ſententiam, ſcribi potuerint Volumina eruditiſſima de Perpetua Vtriuſque Eccleſiæ Conſenſione. Hos Religionis duces ſequuti, miſeram, qua opprimuntur, ſervitute penitus excuſſa, Divinam Clementiam flectent ad antiquum Græciæ ſplendorem redonandum, coactis reliquiis Turcarum intra Caſpia, ex quibus prodierunt, clauſtra ſeſe recipere, niſi omnes Tartaro abſorbeantur. Norunt, eam barbaris augendi vires menſuram fuiſſe, qua in Oriente Iconomachorum prius Hæreſis, deinde Schiſma infelix increvit. Compertum omnibus eſt,

oc-

occupatam a Mahomete hujuſce nominis Secundo fuiſſe Conſtantinopolim ſub conſecratos Divino Spiritui dies, cui, negatam a Neſtorio, gloriam procedendi etiam a Filio, ipſi pariter invidebant. Et hoc illos ſupremum infortunium oppreſſit ferè ſtatim, ac a Sanctiſſimo cnm Latinis credendi Fœdere, icto in Florentino Concilio, reſilierunt. Quod illis, a recta Fide ob calumnias Marci Epheſii deficientibus, infortunium præſcio futurorum animo prædixit optimus Pontifex Nicolaus Quintus. Feliciſſimum infauſto huic augurium juvat attexere, nam vir eximiæ Virtutis fama clarus Martinus Stridonius: cujus præſagis rerum, quæ venturæ trahebantur, verbis, an Oraculis, eventus innumeri contra communem expectationem hominum reſponderunt: Stridonius, inquam, imminens Turcarum excidium frequentiſſimè ominabatur, hortatus perpetuò adoleſcentes ad Græcæ ſtudium Linguæ, qua in Conſtantinopolis foris, & expiatis Fanis Catholicam eſſent Fidem quamprimùm celebraturi.

X. *Obſequium Græcorum erga Sanctiſſimum* INNOCENTIUM XI. *Pontificem Maximum.*

Frangendi barbarorum catenas hilarem ſpem incendit major animorum propenſio ad Fidei cum Latinis nexum, orta ex amico ſtudio voluntatis erga præcipuum propinquæ ſuæ Libertatis Auctorem. Hunc porrò eſſe Chriſtianorum Patrem verè ipſis etiam Operibus Maximum, verè Moribus Optimum, atque Sanctiſſimum, Innocentium Vndecimum feliciſſimè nunc imperantem, nemo inficiatur, vel ex iis, qui Orientis Erroribus mordicus adhæreſcunt. Quem enim latet, quo ardore animi, qua perpetua contentione curarum, qua profuſione auri, & omnia extorquentium a prono in ſua vota Numine Lacrymarum, magnos inter Principes contra Turcarum Tyrannum fœdus conflaverit, & aluerit, idemque arctius nectat in dies, alios etiam invitans ad Triumphorum conſortium? Reliqui verò, quos innumeros ad dandum Schiſmati nomen impulit neſcia frequenter vinci, ideoque criminis expers, Inſcitia, jam nunc Optimo Parenti plaudunt, ut Maximo Sacrorum Antiſtiti, &, cujus beneficam indolem refert, Vicario Divinitatis. Geſtit animus, dum armis alii captivæ Græciæ vincula ſolvere ambiunt, aliquid conferre calamo ad Græcorum mentes exonerandas Erroribus, hoc eſt excindendam miſeræ Servitutis Cauſam.

Digitized by Google

XI. *Spondemus eorum, quæ dicturi ſumus, ex admiſſis utrinque Principiis manifeſtam Illationem.*

Hoc præſtabimus meridiana luce clarioribus rationum momentis, quæ diffiteri non poterit, niſi qui non ſolùm Romanam, ſed & Chriſtianam etiam Fidem ejurare velit. Evidenter demonſtrari nequit Veritas Singulorum Articulorum Doctrinæ, quam Chriſtus Dominus Mortales edocuit, contra Sectas illas, quæ Theologicos argumentorum fontes exhorrent, aut irrident, ut veneno Superſtitionis imbutos. Idcirco tantummodo Manifeſtè tueri poſſumus ab ipſorum cavillis revelata nobis Divinitus Arcana: ac ſimul evidenter oſtendere, Prudentiſſimos eſſe, qui fidem præſtant, utcumque obſcuræ, Myſteriorum Revelationi: & liquidò conſtare de Inſania illorum, qui aſſenſum eiſdem abnegant, aut incerto fluctuant animo: quod, afferendo Veræ Fidei Signa, maniſeſtiſſimè demonſtrabimus. Sed congreſſi cum illis, qui paginam Divinarum Literarum nullam rejiciunt, qui Eccleſiæ Traditionum, Conciliorum, Sanctorumque Patrum Auctoritate nituntur, in manifeſta etiam veritatis Luce ſtatuere facillimè poſſumus, ex admiſſis ab utraque cõcertantium parte Principiis, quæcumque nos inter, ac illos in Controverſiam cadunt. Quod ſi non ſingulæ, quas in medium allaturi ſumus, ratiocinationes ſupremum Evidentiæ gradum attingere videbuntur, eum tamen obtineri a complexione omnium, quas ad ſingulas Quæſtiones ſolvendas in medium proferemus, is ſolùm abnuet, qui oculis conſultò clauſis velit in meridie cæcutire.

XII. *Servanda Orationis forma.*

Iamverò viam a nobis ineundam, ut veritatem hilares, & volentes animi complectantur, breviter indicabimus. Hæſitavimus aliquamdiu incerti, an magis expediret, perpetuum proſequi orationis curſum, an eandem partiri. Primum ſcriptionis genus majorem ſibi qualiſcumque facundiæ gloriam aſſerere poterat: nec accidere ingratum eloquentiſſimæ, quam alloquimur, Nationi. Sed alterum opportunius eſt viſum, quia perſpicuitati magis accommodum, & quia urget ad nova ſemper, & valida in medium proferenda, inanemque præcidit verborum luxuriem: cum titulus Capiti, aut Paragrapho cuicumque præfixus Scriptorem admoneat, ut gloriam quærat, ab Horatio tributam narrationibus Homeri, qui

Semper ad eventum feſtinat, & in medias res,
Non ſecus ac notas, Auditorem rapit:

cum

cum contra, dum uberes quorumdam Declamationes percurrimus, conqueri cum Perſio poſſimus:

Verſamur ibidem, atque inſumus uſque,
Nec nova dicendo proceditur ulla voluptas.

Hanc ergo Partitionem ſervabimus, Tituloſque Paginæ corpori, non margini conſignabimus, ne oculos plerumque, & animadverſionem effugiant. Quos verò Numeros ad lineæ caput, aut ejuſdem etiam aliquando partem aliam, appingemus, ii novorum ſeriem Argumentorũ adnotabunt, prætermiſſis abſque ullo numero Præloquiis, &, ut Philoſophi dicunt, Suppoſitis, illis videlicet Veritatibus, quas ultro ab omnibus concedendas noſtro quaſi jure aſſumimus: aut iis, quibus nova vis non ineſt ad noſtram ſententiam roborandã. Has porrò numericas notas ii præſertim conſulant, qui ex hoc Libro Sacrarum argumenta Concionum mutuari dignentur. Enimverò non inutiles fore ſperamus ad vocandos in gratiam Divinitatis ab Eccleſia Deoque miſerè abalienatos. Recentia ſemper, & lethalia in Sectæ cujuslibet Monſtrum tela intorquendo, moram non trahemus ad vitandas, ut inquit David, *parvulorum ſagittas*: hoc eſt vix unquam reſpondebimus iis, quæ contra nos obiicere queunt Errorum Magiſtri, abunde jam, & multoties ſolutis. Pervulgatum eſt, contra quaſlibet, utcumque Manifeſtiſſimas, Veritates ſubtexi poſſe Sophiſmata, & verborum cavillationes. Spretis ergo ineptiis Adverſariorũ, eas tantùm, quæ aliquam veri apparentiam præſeferunt, objectiones in eoſdem retorquebo, ditando Iſraelem ſpoliis Ægyptiorum. Frequenter interrogando ſpiritum, & vitam ratiocinationibus affundere conabor: tum identidem reſpondendo, quemcumque clypeum abſtraham ex hoſtium manibus: occupando, quæ ad ſe tuendos a vitali vulnere poſſent afferre, oſtendens, nihil omnino reponi poſſe non frivolum, aut inane, aut inſulſum, aut ipſi affirmanti contradicens, ideoque inſanum. Evincam, Auſpice Deo, quò magis nitantur ad pulverem excitandum contra Veritatis Solem, eò magis hunc in oculos ipſorum incurrere, ut cœcutientes in verborum circulis perpetuò verſentur, &, a quibus deſperent exitum, Labyrinthis. Exclamantes ſubinde, atque admirantes, quod ingenioſiſſimam Gentem tam evidentia rationum momenta aliquando latuerint, aliiſque hujuſmodi orationis coloribus, argumentorum robur augere conabimur, & haſtas quodammodo amentare. Non tamen proinde ſuboriri poterit metus, ne fucus cuiquam a nobis fiat, quia neque dicendi nobis aderunt formæ, aptæ imponere ingeniis nativa ſemper eloquentia, frequenter etiam artificio comparata, præſtantibus: & a decipiendi conſiliis toto profectò Cęlo diſtamus. Quò magis Le-

ctores ad examen revocabunt a nobis dicenda, eò clarius, ineluctabilia prorſus eſſe, comperient. Si malignos forraſſe in oculos inciderint, culpari ut enervia poterunt quædam, obiter indicata obruendi cauſa eos, cum quibus congredimur, Argumentorum copia. Sed ſi gregarii ad augendum exercitum hi milites videbuntur, plurimi ſemper Achilles præſtò erunt. Affirmare audemus optimæ cauſæ fiducia, omnium vim evadi non poſse, ideoque inveniendum fortaſse Sectæ alicujus furore lymphatum aliquem, qui hoc Opus flammis devoreat; ſed nullum, qui, pleraque ſaltem, illius fundamenta ratiocinando ſubvertat. Quid, quod præter ea, quæ tenuiſſimi noſtri calami alis invehuntur, innumera in Eccleſiæ Armamentario tela ſuperſunt.

XIII *Invocatio Cælitum*.

Quamvis autem inſigni confidentia victoriam Cæleſti, quam propugnamus, Cauſæ ſpondere non dubitemus, quia tamen fruſtra ſunt humani conatus, niſi Divini Spiritus aura iiſdem obſecundet, eundem, cujus præcipuè Gloriam aſſeremus, obſequentiſſimè oramus, noſtrorum ut ſe Lectorum animis dignetur infundere. Tu, Divinæ Sapientiæ Mater, quam ſimul cum Filio a Neſtorij blaſphemiis impetitam profuſis uberrim lacrymis Græcorum Concilia veluti Dei Genitricem plaudentibus vocibus implorarunt, eandem procedentis etiam a Filio Spiritus Fidem omnibus ingere, quam Gregorio Thaumaturgo dictaſti. Principum olim apud Græcos Eccleſiarum, Alexandrinæ videlicet, & Antiochenæ, Fundator, Petre, ad illius, quam Romæ ſanguine conſecraſti, cultum omnes invita. Paule, qui ad Græcos, delicias tuas, ferè omnes dediſti cæleſtes Literas: dilectiſſimos diſcipulorum Timotheum, ac Titum, iiſdem Sacrorum Præſides conſignaſti: Magnum ex Areopago Dyoniſium ad Divina è terris delibanda rapuiſti: quem tantopere averſabaris, Diſcordiæ, ac Diviſionis ſpiritum in omnibus extingue. Ioannes, ferè ſemper in Græcia verſatus, & Epheſi, qua deinde in urbe ſanctiſſimè ſupremum diem clauſiſti, perpetuò ad Chriſtianam Dilectionem auditores tuos hortatus, eandem omnium in animis accende, ut infelix aliquando Religionis Diſſidium intereat. Vos plurimi ſupra Trecētos Sanctitate inclyti Patres, ſolenni quotannis ritu a Græcis culti, qui, Auctore Sylveſtro Romano Pontifice, Nicæam ad Primum Generale Concilium confluxiſtis. Tu Divina Scientia celeberrime Gregori, qui Conſtantinopolitanum ſub Damaſo illuſtraſti: decus Alexandriæ Cyrille, qui Epheſino Legatus Cæleſtini Pontificis præſediſti: Sexcenti, ac Triginta, qui Chalcedone Leonis Literis, velut

è Ce-

Digitized by Google

è Cęlo miſſis a Petro, inſigni plauſu acclamaſtis. Reliqui Sanctimonia, & Sapientia clari, qui ad Quatuor alias Vniverſales Synodos in Græcia celebratas Romani Antiſtitis nutu conveniſtis: Primùm ſemper ejus vices obeuntibus Sacerdotibus, quamvis non fulgentibus Epiſcopali Infula, locum tribuiſtis: ab illo Confirmationis robur adiici Decretis veſtris, ſupremum ſpirantibus obſequium verbis, poſtulaſtis: eandem animis poſterorum erga Apoſtolicum Solium venerationem ingerite. Tu Magne Athanaſi, qui, a numeroſis deceptorum Præſulum Cętibus per ſummam injuriam damnatus, Romam ad Iulium confugiſti: Chryſoſtome, qui ad Innocentii tutelam provocaſti: Divinum exorate Numen, ne ſinguli Succeſſores veſtri ejus Imperium detrectent, quem vos non Singulis modò, ſed Omnibus in unum coactis anteruliſtis. Qui verò Alumnos Religioſiſſimi Ordinis ſui Baſilius impulit, ut certatim è Ruſſia ad Clementem hujuſce nominis Octavum, è Sancto ad Paulum Quintum Monte, e Sina nuper ad Sanctiſſimum Innocentium teſtes obſequii ſui Literas mitterent, omnes excitet ad eamdem gloriam avitæ pietatis. Qui demum ſacris in Liturgiis pro decedentibus in Chriſto preces inſtituerunt: qui Sanctos, ut jam nunc in Cęlo regnantes, Deique aſpectu gaviſos identidem ipſas ad Aras invocare docuerunt: qui Sapientiſſimi Eccleſiæ Græcæ Doctores frequentiſſimè nunc *a Patre, Filioque*, nunc procedentem *a Patre per Filium* dicunt Divinum Spiritum: eaſque adhibent ratiocinandi formas, quibus hæc etiam poſteriora verba debeant eandem, quam illis Latini tribuimus, interpretationem ſortiri: omnes ex animis ſuorum fibras errorum excindant.

XIV. *An illa ſcribendo præſtituri ſimus, quæ, animo a nobis agitari, olim innuimus in Carmine, quod inſcripſimus Encyclopædiam.*

Quæ nobis penitus deſunt, ab aliis ſtudioſè conſectandas eſſe ingenii opes quondam ediximus, ac reſtituendum Conſortium Doctrinarum, de quarum Divortio Cicero frequenter, & alii conqueruntur. Eo in Carmine, poſtquam egimus de Recentiorum Hæreſum Sectatoribus, averſatis plerumque Opera in longum producta, ſubdidimus hoſce verſiculos:

Hinc adeo rarò gaudent haurire ſalubrem,
Bellarmine, tuis, Perroni, aut fontibus undam:

Ma-

Magnum Romani decus Oſtri, & Patris uterque
Magnus Romulei defenſor. Veſtra ego circum
Pervolitans agilis thyma, ſacra effingere mella,
Conabor: flores libabo divitis horti
Parcus; noſtra ferent ac ſi viridaria quidquam,
Huic pretium veſtra addent munera. Plurima in Hoſtes
Coniiciam nec tela, uno ſi vulnere Achillis
Haſta illos poterit revocare ad lumina vitæ.

Indicavimus igitur, a nobis ferè in compendium redigenda Opera illuſtrium Heroum, & prælium cum Hæreticis tantummodo conſerendum. Diverſum deinde conſilium inivimus, tum quia cognovimus, eundem contrahendi egregia illorum Monumenta ſuſceptum ab aliis fuiſſe laborem: tum quia nova hæc, quam arripuimus, ſemita, nullius veſtigiis inſiſtendo, inque omnes Veræ Fidei Hoſtes inſurgendo, magis conſentanea viſa fuit Gloriæ Divinæ, quam unicam inquirimus omni contentione votorum.

IN-

Digitized by Google

INDEX
Signorum, & Paragraphorum.
LIBER PRIMVS.
De Signis Fidei Generatim, deque ijs, quæ præcipuè ſpectant Eccleſiæ Veræ Unitatem, quibus evertuntur Schiſmata, & Hæreſes.

1 INcipienda eſt Tractatio a Signis Fidei, non a probatione ſingulorum Myſteriorum. Quid ſint hæc Signa, quibus refelluntur Sectæ omnes falſæ. pag. 1

2 Ab Exiſtentia, & Providentia Divina, & a Neceſſitate: ut videlicet Fides poſſit eſſe ſimul Obſcura, & Prudens: probatur, dari hæc Signa, quæ a Theologis appellantur Motiva Evidentis Credibilitatis, ideſt Cauſæ, ob quas Prudentiſſimi evidenter ſunt, qui Fidem adhibent Divinæ Revelationi. 3

3 Explicatur, cur hæc Signa dicantur Fidei Præambula, perque illa evidenter Prudens ſit Imperium Voluntatis, præſcribentis Intellectui Actum Fidei, Exemplo Regis, cujus Loquutio manifeſta non ſit: & Iudicis. 4

4 Diſcrimen aliquod pro Theologis animadverſum inter Iudicem, & credentem Fide Supernaturali, cujus actus ſolùm innititur Summæ Auctoritati revelantis Dei. Ex quo hæc Auctoritas conſtituatur. 5

5 Aſſenſus Fidei per modum Concluſionis non habet pro Formali Motivo Veritatem ipſorum peculiarium Myſteriorum: neque ſolam Auctoritatem, aut ſolam Revelationem Dei, ſed utramque ſimul. 6

6 Reſolutio Fidei in ſua Principia. Diſcrimen inter Motiva Intrinſeca, quorum unum, ſcilicet exiſtentia Revelationis, eſt Obſcurum: & Extrinſeca, ex quibus evidenter patet Prudentia credentis. Epilogus pro ignaris Theologiæ. 9

7 Eccleſia in uno ſenſu ſimul eſt Manifeſta, & ſimul Occulta. Sed ob Signa Fidei eſt Manifeſtiſſima, & oculis ſubjecta. 10

8 Explicatur Veræ Eccleſiæ Evidentia non ſolùm Moralis, ſed in aliquo etiam ſenſu Metaphyſica. 12

9 Ob Evidentiam, ortam a Signis Fidei, Prudentiſſimi evidenter ſunt, qui credunt; neque tamen ab iiſdem Signis refunditur Evi-

den-

dentia in ipſam Revelationem, aut Myſteria revelata. 13

10 Cauſæ, ob quas nihilominus aliqui Veram Eccleſiam ignorant. 14

11 Sectæ ferè omnes, & etiam Athei, aliquas Teſſeras Veri conantur afferre. Quàm abſurdæ afferantur ab Hæreticis, etiam ex Confeſſione Lutheri. 14

12 Nulla Signa Veritatis proferuntur a Schiſmaticis. Iactare ſine inſania nequeunt, ut Veræ Fidei Notas, Controverſos ipſos Articulos. Quænam Signa ſapienter tradenda ſint. A noſtris Sectæ omnes, ſed Schiſmatici præſertim,& Hæretici ſunt impugnandi. 16

13 Veræ Eccleſiæ Signa ab aliis allata, & præcipuè a Cardinali Bellarmino. 17

14 Signa indicata in Conſtantinopolitano Symbolo Fidei, a nobis expendenda, ſcilicet quod Eccleſia Vera ſit Vna, Sancta, Catholica,& Apoſtolica. Rivi manantes a Primo ex Quatuor præcipuis Veritatis Fontibus, ſcilicet Diviſio Primi Signi, petiti ex eo, quod Eccleſia Vera ſit Vna, in multiplex Argumentum. 18

15 Subdiviſio Notæ, petitæ ex eo, quod Vera Eccleſia ſit Sancta, in varias probationes. 19

16 Signum Catholicæ in plures formas diducendum. 21

17 Apoſtolicæ Teſſera diſtributa in multiplices Ratiocinationes. 22

18 Veritas patens ex eo, quod Eccleſia Vera ſit Vna, ſcilicet illa eadem Antiquiſſima, & Mundo Coæva. 23

19 Vna neceſſariò eſt Vera Eccleſia, extra quam nō eſt Salus. 25

20 Non ſufficit Fides in Chriſtum, ſi negetur aliquis ex Articulis definitis, ex quibus nullus eſt Indifferens ad ſalutem. 26

21 Non tamen ſunt extra Veram Eccleſiam Schiſmatici, quos dicimus, Materiales. 29

22 Vnitati Fidei non obſtat permiſſa Diverſitas Rituum. Quid ſubſit Nominibus Latinæ, Græcæque Eccleſiæ, cum Vera Chriſti Eccleſia Vna tantùm ſit. 30

SIGNUM I.

Una eſt Romana Eccleſia, cui Unum Caput.

Pronum eſt oſtendere, ſemper Vnam, eandemque fuiſſe Romanam Eccleſiam, quæ Vnum, idemque Caput perpetuò coluit. 31

SIGNUM II.

***Antiquitas** Unius Romanæ Eccleſiæ.*

1 Vnam, eandemque cum ea, quam Chriſtus inſtituit, probatur eſſe Romanam Eccleſiam. 22

SIGNORUM.

2 Novitas nulla irrepſit in Romanam Eccleſiam, ob quam Il Vna, eademque non ſit cum illa, quam Chriſtus inſtituit. 35

SIGNUM III.

Græciæ nobiſcum Conſenſus per Decem Secula.

1 A Græca generatim Eccleſia per Annos Mille cognita fuit Romana, ut Vna, eademque omnium Princeps, quam in Petro Chriſtus fundavit: ac primò agitur de obſequio a Græcis præſtito Romanis Pontificibus per annos Trecentos ante Primum Generale Concilium. 38

2 Octo Generalia Concilia, in Græcia celebrata uſque ad annum 860. Vnam, eandemque aliis præſidentem, Romanam Eccleſiam conteſtantur. 40

3 Sancti Quatuor Eccleſiæ Græcæ Doctores, ut Vnicam, aliiſque ſecum conjunctis imminentem, venerantur Romanam Eccleſiam. 41

4 Eadem Vniverſæ Græciæ primis decem Seculis fluentibus de Romanæ cum Apoſtolica Vnitate Confeſſio multiplici argumento comprobatur. 44

SIGNUM IV.

Græciæ Recentioris Atteſtatio de Romanæ cum Vetuſtiſſima Eccleſia Unitate.

1 Ab Vndecimo, & conſequentibus Seculis Græca Eccleſia non receſſit penitus à Latina, quam, Vnam eandemque cum Apoſtolica eſſe, negaverit; imo frequenter illi ſe iterum agglutinavit. 47

2 Natæ per annos Mille Quadringentos in Oriente Hæreſes, & audacia quorumdam molimina, ſemel tantùm, aut iterum, ſed breviſſimè, Patriarchis omnibus recedentibus ab Vnitate, nihil obſtant Perpetuæ Græcorum cum Romana Eccleſia Conjunctioni. 49

SIGNUM V.

Firmamentum Preſcriptionis.

1 Ex Antiquitate, ac Diuturna, nec unquam abrupta Duratione, Vnius, Ejuſdemque Romanæ Fidei, quam ipſimet Græci, per Annos ſaltem Mille nobis conſentientes, profeſſi ſunt, oritur Præſcriptio Veritatis: & erumpentis deinde Diſſidii Novitas, mani-

ſeſtum eſt Argumentum Falſitatis, quâ Schiſmatici laborant,& Hæretici. Ac primò oſtenditur, Antiquam Fidem retinendam eſſe. 51
2 Vetuſta Eccleſia prius,quã Sacræ ipſę Literæ conſulenda eſt. 53
3 Diuturna, nec unquam abrupta Eccleſię Romanæ Duratio maximum illi pondus addit Auctoritatis. 54
4 Firmamentum Præſcriptionis, in ipſa Vetuſtate, Diuturnaque Romanę Eccleſiæ Duratione conſiſtens. 56
5 Novitates omnes Antiquitati Veritatem præſcribenti contrariæ manifeſtum ſunt argumentum Erroris. 58

SIGNUM VI.

Iniqua Diſcordiæ Semina.

1 An ex vero affirmaverit Recens Hiſtoricus, nullum exortum fuiſſe ante Photium, Latinam inter, & Græcam Eccleſiam, Diſſidium. Quàm parum aptè nullas idem attulerit Schiſmatis Cauſas, aut Semina. 61
2 Ante Concilium Nicænum nulla futuræ Disjunctionis Indicia promicuerant obQuæſtionẽ de die pręſcripta celebrando Paſchati. 62
3 Neque Controverſia de non iterando Baptiſmo, ab Hæreticis ritè collato, Semen fuit exorituri Diſſidii. 63
4 Vnitas Eccleſiæ roborata in Concilio Nicæno. 65
5 Semiarianorum, ac deinde Dioſcori inſania, qui primi auſi ſunt, conſultò recedere a Communione Romani Pontificis: quod, a ſe fieri,ne ipſi quidẽ profeſſi fuerant Ariani, ceterique Hæretici 67
6 Anſam nullam deficiendi ab Vnitate dedit Schiſmaticis Concilium Conſtantinopolitanum, non inſerendo Symbolo Particulam *Filioque*. Imo Vnicũ Vnius Eccleſiæ Caput multipliciter agnovit. 67
7 Ex Canone tamen tributo huic Concilio fortaſſe jacta ſunt Prima diſcordiæ Semina. 70
8 Primus omnium Neſtorius diſertè negat Proceſſionem Sancti Spiritus a Filio; ideoque Cauſam præbet exorituro Diſſidio. 71
9 Damnatur hæc etiam opinio Neſtorii ab Epheſino Concilio, quod non vetat Inſertionem Symbolo particulæ *Filioque*; imo præſumit pręſtare Conciliis Romanum Pontificem. 72
10 Id ipſum de Vnico Vnius Eccleſiæ Capitę profitetur Concilium Chalcedonenſe. 73
11 Intruſus ab aliquibus huic Concilio Canon Secundam dedit futuris Diſſidiis anſam. 73
12 Tertia excitandæ Diſſenſionis prænuncia fulgura extincta penitus in Quinta Synodo. 74

13 Quartò exoritur Initium Diſcordiæ, ab ipſis etiam Græcis ferè ſtatim repreſſæ. 75
14 Quinta Rixa ob Patriarchas Monothelitas, damnata a Sexta Synodo. 75
15 De Sextis Querelis, non tamen aperta Rebellione Pſeudoſynodi Trullanæ. 76
16 Septimæ Turbæ, ac Defectio Iconoclaſtarum, quos plerique Græcorum, & Septima Synodus abominata eſt. 77
17 Diviſio Imperii in Occidentale, & Orientale non fuit Schiſmatis Origo. 78

SIGNUM VII.

Scelera Rebellionis Photij.

1 Octana Pugna a Photio indicta, imo verius Prima, quæ Communis Græcorum appellari poteſt, & Initium Schiſmatis; cum huc uſque jacta ſolùm ſint Diſcordiæ Semina a Patriarcharum Superbia, vel breves fuerint Hæreticorum quorundam, a pleriſque Græcis damnatæ, Velitationes contra Vnicum Vnius Eccleſiæ Rectorem. 78
2 Ferè ſtatim ad Vnam Eccleſiam revertuntur Græci in Octavo Concilio. 79
Nonum, breviſſimumque Diſſidium ſub Nicephoro Phoca Cæſare. 80

SIGNUM VIII.

Inconſtantia Schiſmaticorum.

1 Decima, ſeu verius Secunda ad plurimos fuſa Rebellio, ſed breviſſima, ſub Sergio Patriarcha. 81
2 Vndecima Diſceſſio ſub Cerulario. 81

SIGNUM IX.

Publicus ad Vnitatem Regreſſus in Concilijs Lateranenſi, & Lugdunenſi.

1 Duodecima Defectio, ab ipſis etiam Græcis damnata in Concilio Lateranenſi. 83
2 Tertiadecima Sciſſio redintegrata in Concilio Lugdunenſi. 84
3 Quartamdecimam Diſſidium ſub Andronico. 85

SIGNVM X.

Pax inita in Concilio Florentino.

1 Quintadecima Seceſſio damnata a Concilio Florentino. 86
2 Poſt hanc Synodum plurimi ex Græcis hæſerunt in Vna Romana Eccleſia, vel ad illam regreſſi ſunt, 87
3 Quid præcipue declaraverit Florentina Synodus. 88

SIGNUM XI.

Inſania preferentium Concilio Marcum Epheſium.

1 Quàm magnæ ſit Auctoritatis Florentinum Concilium. 89
2 Demonſtratur manifeſta Inſania majorem fidem adhibentium Marco Epheſio, quàm Vniverſali, Sanctiſſimoque Latinorum, & Græcorum Patrum Concilio. 89

SIGNUM XII.

Veritas patens ex tot Regreſſibus ad Unitatem, & a Schiſmatum Cauſis.

Anacephaleoſis tot Diſceſſionum ab Vna Eccleſia, & ad eandem Regreſſuum. 92

SIGNUM XIII.

Schiſmatis, adeoque etiam Hæreſum, Falſitas ex earum Novitate.

1 Ex multiplici Mutatione Sententiæ patet Novitas, ideoque Falſitas, qua laborant digreſſi ab Vna Antiquiſſima Fide. 93
2 Liquet etiam, ab ipſis peti non poſſe ſuffragium Præſcriptionis circa exceſſum Pontificium Regimen. 94
3 Novitas aliorum Errorum omnium, quibus inficitur Schiſma, nullum præſcribere valens. 94

SIGNUM XIV.

Inteſtinæ Pugnæ Schiſmaticorum, & Hæreticorum.

1 Pugnæ ipſorum Schiſmaticorum inter ſe in ſuis Opinionibus ex-

explicandis : ex quibus efficitur, Vnam non eſſe, ideoque nec Veram, ipſorum Fidem. 96

2 Eadem Certamina Vnitati repugnantia, tribui nequeunt Eccleſiæ Romanæ. 97

SIGNUM XV.

Membrorum Unius Romanæ Eccleſiæ Summus inter ſe, & cum Capite Nexus.

Summus inter ſe Membrorum, Romanam Eccleſiam conſtituentium, & cum Capite, Nexus, Vnam ipſam, adeoque Veram, oſtendit. 99

SIGNUM XVI.

Neceſſitas Perpetuę Diviſionis in Cœtu Hoſtium.

Nexus hic eſſe nequit in Cœtu Schiſmaticorum, habente non Vnum, ſed Multiplex Caput; adeopue multò minus Hæreticorum, habente Nullum. 100

LIBER SECVNDVS:

De Signis pertinentibus ad Eccleſiæ Veræ Sanctitatem; demonſtrantibus Inſaniam etiam Hebræorum, Atheorum, & omnium prorſus Hoſtium Romanæ Eccleſiæ.

QVid huc uſque præſtiterimus, ac præſtituri ſimus in Operis decurſu. In quo ſenſu Sanctitas ſit Evidens, & quaſi ſenſibus objectum Veræ Fidei Signum. Quo pacto ab afferendis in hoc Libro Argumentis ſubvertendæ ſint Sectæ omnes, quæ repugnant Eccleſiæ Romanæ: videlicet ipſi etiam Iudæi, Mahometani, Theiſtæ; Ethnici, & Athei. 101

Digitized by Google

I N D E X

S I G N U M I.

Sanctitas Fundatorum Romanæ Eccleſiæ: illius Hoſtium, v.g. Mahometis, & Hæreticorum Iniquitas. 104

S I G N U M II.

Nequitia illorum, qui Schiſmata, & Hęreſes pepererũnt.

1 Scelera Neſtorii, qui Primus diſertè negavit, S. Spiritum procedere a Filio. 106

2 Barbara Tyrannis Iconoclaſtarum, qui, damnatum a Quatuor Conciliis, Errorem Neſtorii de Proceſſione Divini Spiritus, poſtliminiò ab Inferis revocarunt. 107

3 In Photium Anteſignanum Schiſmatis Nequitia, Superbia, Fraudes, Calumniæ, Crudelitas, & ſcelera omnia confluxerunt. 108

4 Tyrannis, & Arrogantia Cerularii: livor, & Rabies Balſamonis: Schiſmaticorum Exercitus illuſtrium Ducum. 111

5 Marcus Epheſius nequitia obduratus, dolis confutus, Vniverſæ Calumniator Eccleſiæ, & Cauſa Ruinæ Græcorum. 113

S I G N U M III.

Fraudes Adverſariorum pugnantes cum Sanctitate Verę Eccleſiæ.

Artes adhibitæ a Schiſmaticis, & Hęreticis decipiẽdo populum per Sophiſmata, Sciamachiam, Logomachiam, Homonomyam, Circulationem, profectò non indicant Sanctã, ideoque Veram Doctrinã. 114

S I G N U M IV.

Cauſæ, & Adjumenta Schiſmatis, & Hæreſum, contraria Sanctitati.

Cauſæ Schiſmatis, & Adjumenta Secularis Scientiæ, Principum, Præſtigiatorum, Immunitatis ab obedientia præſtanda legitimæ Po-

teſta-

Digitized by Google

teſtati, quibus uſi Schiſmatici, repugnant Sanctitati, ideoque Veritati, eorum Doctrinæ. 116

SIGNUM V.

Dementia opinantium expectandos fuiſſe ſceleſtiſſimos viros ad lucem Veritati afferendam.

Anacephaleoſis, qua ex Improbitate Auctorum, Cauſæ, ac Modi, quo Schiſma propagatum eſt, infertur, carere Sanctitate, ideoque Veritate, Cœtum Schiſmaticorum. 118

SIGNUM VI.

Sanctitas Romanę Doctrinę: impuritas illius, quam tradiderunt Ethnici, Mahometani, & Hæretici. 119

SIGNUM VII.

Abſurditas, & nullus inter ſe Nexus Opinionum Schiſmaticorum. 121

SIGNUM VIII.

Frequentiſſima Vitę Sanctitas in Filijs Romanæ Eccleſiæ, non verò in alienis. 123

Iactare Schiſmatici nequeunt ſuorum Preces, atque Iejunia. 126

SIGNUM IX.

Romanorum Pontificum Sanctitas.

Sanctitas Maximorum Pontificum, qua Schiſmatici Patriarchæ deſtituuntur, Sanctam, adeoque Veram, oſtendit Romanam, cui præſunt, Eccleſiam. 127

Digitized by Google

SIGNUM X.

Quibusdam Pontificibus aſperſę labes Romanę Sanctitatem Eccleſiæ confirmant.

1 Illa ipſa, in quibus Pontificum aliqui a Sanctitate deficiunt, Sanctam, adeoque Veram, eſſe arguunt Romanam Eccleſiam. 129
2 Sapientiſſimo Divinæ Providentiæ Conſilio Divitiæ, & Humanus ProvinciarũDominatus,attributus eſtRomano Pontifici.131

SIGNUM XI.

Charitas Pontificia.

Pontificia Charitas in omnes Populos, ac præſertim Græcos, plurimùm ſuffragatur Sanctitati, adeoque Veritati, Eccleſiæ Romanæ. 132

SIGNUM XII.

Sancta Noſtrę Fidei Monumenta.

Sanctam, Veramque eſſe Romanam Eccleſiam, indicant Sancta ferè omnia noſtræ Fidei Monumenta in illius finum recepta.134

SIGNVM XIII.

Sapientia, & Sanctitas Catholicorum.

1 Sapientia, ejuſque præcipuè Conſortium cum Sanctitate, Divinitus perpetuò indultum Latinis; Græcis verò Schiſmaticis poſt Photii Separationem penitus ademptum,Sanctam, adeoque Veram, eſſe Romanam Eccleſiam oſtendit. Ac primò ſtatuitur vis, quæ ineſt Sapientiæ, ac Sanctitati, ad Veritatem comprobandam. 136
2 Ante Photium laude Sapientiæ, ac Sanctitatis, Græci cum Latinis decertarunt. 137

SIGNVM XIV.

Manifeſtus Gręciæ lapſus a priſca Sapientia, & Sanctitate.

Poſt Photium Sanctimoniæ, ac Doctrinæ, Dotibus Græci a Latinis penitus obruuntur. Quid ex hoc inferatur. 139

SI-

SIGNUM XV.

Divini Spiritus Unctio in noſtris Libris.

Nullus Pietatis liquor, & Divini Spiritus Unctio elucet in Libris Schiſmaticorum, & Hæreticorum, ſed mirifice fulget in Operibus Sectatorum Eccleſiæ Romanæ, quæ Una proinde Sancta, ac Vera dignoſcitur. 141

SIGNUM XVI.

Prædictiones de noſtra ſolùm Eccleſia.

Sanctitatem, ideoque Veritatem, Eccleſiæ Romanæ, non verò Schiſmaticæ, Hæreticæ, aut ullius alterius Sectæ, conteſtantur, illam prædicentia, Oracula Prophetarum. 145

SIGNUM XVII.

Perpetuitas Prophetici luminis in Romana Eccleſia.

Propheticum lumen, quo penitus carent Schiſmatici, Hæretici, & quamcumque aliam Superſtitionem profeſſi, in Romana Eccleſia perpetuò perſeverans, hujus Sanctitatem, adeoque Veritatem oſtendit. 147

SIGNUM XVIII.

Donum Miraculorum in Romana Ecleſia.

1 Expenditur Donum Miraculorum, vel ad Ipſius Fidei Veritatem, vel ad ejuſdem Fidei Sectatorum Sãctitatem vindicandam, quod frequentiſſimum, atque Perpetuum fuit in Eccleſia Romana, etiam poſt additam Particulam *Filioque*. 150

2 Cur plura contigerint Prodigia ad alliciendos Ethnicos ad Chriſtianam, quàm ad revocandos Hæreticos, & Schiſmaticos, ad Catholicam Fidem. Explicatur vis celeberrimi Dilemmatis D. Auguſtini de Veritate propagata Miraculis, vel ſine Miraculis. 152

SIGNUM XIX.

Defectus Miraculorum in quibuſcumque Sectis.

1 Schiſmatum, Hæreſum, & cujuslibet Novæ Superſtitionis Au-

Digitized by Google

ctores coguntur venari a Prodigiis Cæleſte Suffragium. Diſcrimen Vera inter, ac falſa Miracula. 156

2 Mirum nihil Schiſmatici afferunt ad aſſerendam Sanctitatem ipſiuſmet Schiſmatis, aut ejuſdem Sectatorum. 157

3 Nihil Schiſmatici evincunt ex Cæleſti flamma, quæ olim corripuiſſe fertur cereas faces in Sacello Divini Sepulchri. 158

4 De viribus Excommunicationis in Oriente, & Occidente latæ. 159

5 Oſtenditur, nihil penitus lucrari Schiſmaticos, licet Excommunicatorum Cadavera ſemper apud ipſos intumeſcerent: quod tamen non ſemper contingere, multipliciter demonſtratur. 161

S I G N U M XX.

Vetuſti Martyres in Romana Eccleſia.

Martyrum gloria Sanctitatem Romanæ ſolùm Eccleſiæ, nunc etiam, confirmat. Veros inter, ac Falſos Martyres aperta Diſcrimina. Vetuſta Græciæ, Fidem Sanguine propugnantis, laus extincta penitus in Schiſmaticis. Quàm validè a Veris Martyribus aſſertæ illorum morte Religionis Veritas confirmetur.

S I G N U M XXI.

Nulli ſunt Hoſtibus, innumeri nobis Martyres, etiam poſt exorta Schiſmata, & Hæreſes. 165

S I G N U M XXII.

Amoris Divini Prodigia. D. Franciſci Stigmata.

Martyres Amoris Divini, ac præcipuè S. Franciſci Stigmata, Sanctitati, Veritatique Romanæ Fidei, validiſſimè ſuffragantur. 167

S I G N U M XXIII.

Incredibile Portentum eſſet, quod incenſi Amore Divino deſtituerentur vera Dei cognitione.

Demonſtratur, Sanctiſſimos Viros, & Romanam, in qua ipſi perpetuò florent, Eccleſiam, orbari non potuiſſe vera Dei cognitione, conferenda tandem eidem Eccleſiæ ab hominibus inquinatiſſimis. 170

SIGNUM XXIV.

Humana Felicitas Præmium Sanctitatis: Infortunia Pœna Improbitatis in Auctoribus Schiſmatis.

1 Statuitur, quando nam Humana Felicitas, aut Infortunia, ſint Argumentum Amantis, vel Adverſæ Divinitatis; ideoque Religionis Veritatem indicent, aut Falſitatem coarguant. 171

2 Supplicia inflicta iis, qui Schiſma pepererunt, inſtaurarunt, aut Patrocinio foverunt, Nequitiam Sejuncti a Capite Cœtus, contrariam Veræ Eccleſiæ Sanctitati, dilucidè oſtendunt. Ac primò de Pœnis irrogatis Neſtorio, ac Photio: & Photii fautoribus Bardæ, ac Michaeli Tertio: deque Felicitate Leonis Philoſophi, ultionem ſumentis de Photio. 173

3 Vindicis Dei manus manifeſta in Cerulario, Balſamone, Ioanne Cantacuzeno, ac Marco Epheſio. 175

SIGNUM XXV.

Supplicia generatim illata Schiſmaticis.

1 Mira generatim Converſio Priſcæ Græcorum Fortunæ, progreſſus Turcarum in Oriente: ab illis occupata Conſtantinopolis: ac præſens Græciæ Calamitas, Nequitiam Schiſmatis, repugnantem Sanctitati Veræ Eccleſiæ, manifeſtiſſimè inclamant. Ac primò innuitur Antiquæ Græciæ Gloria. 177

2 Major Pęna ſequuta fuit Schiſma, quàm ipſas Vetuſtas Hæreſes. 178

3 Prodigia, & Cæleſtes Præſenſiones, quæ Cæſareæ urbis everſionem circumſtant. 179

SIGNUM XXVI.

Nullum in Hoſtibus Extimum Signum Intimę Sanctitatis.

1 Anacephalæoſis, qua ſtatuimus, ex nullo ſenſibus quodammodo objectæ Sanctitatis Indicio argui poſſe, Cœtum Schiſmaticorum (adeoque fortius Hæreticorum, aut quamcumque Sectam profitentium) florere Sanctitate Veræ Religionis. 181

2 Infertur, ineptiſſimè ſibi ab Eccleſiæ Romanæ Hoſtibus vindicari Sanctitatem Chriſti, ejus Fidei, Legis, & Sacramentorum. 184

LIBER TERTIUS.

De Signis oſtendentibus, Eccleſiam ſolùm Romanam eſſe Catholicam, ideoque Veram, præcipuè impugnantibus Schiſmaticos, & Hæreticos; cum tamen quædam militent etiam contra omne genus Hoſtium Romanæ Fidei.

Oſtenditur, quo pacto ſubiiciantur oculis plurima ex iam allatis, & mox afferendis Veræ Fidei Signis: aut ipſis oculis ſubjecta cenſeri debeant. 187

SIGNVM I.

Ipſum Catholicæ Nomen Soli Romanæ Eccleſię conveniens etiam ex Hoſtium Confeſſione.

1 Maniſeſtiſſimum, & omnium experientia comprobatum, Signum eſt ipſum *Catholicæ* Nomen ſoli Romanæ Eccleſiæ perpetuò tributum, non ſolùm a Sapientibus, ſed & a Vulgo, atque ab ipſis Hoſtibus. Ex quo infertur, Re ipſa eandem Catholicam eſſe, ac Veram. Ac primò innuitur Nominum Vis: Catholicæ Appellationis Initium, ejuſque Cauſa. 189

2 Idem eſt, Chriſtianum dici, non verò Catholicum, ac eſſe Schiſmaticum, aut Hæreticum. Qui ſe Catholicos appellare non audent, nos etiam hoc Nomine fraudare nituntur: ut olim præſtabant Ariani, ſed irrito conatu. 190

3 Veritatis Confeſſio expreſſa a Sapientibus, a Vulgo, & ab ipſa Nequitia Adverſariorum, nos Catholicos nuncupantium, vel Inconſultò, vel Vrbanitatis, aut Neceſſitatis Cauſa. 192

4 Inſania ſe, noſque Catholicos dicentium; cum tamen in Fide diſcrepemus, oſtendit, nos a Poſſeſſione Catholici Nominis deiici non poſſe. 193

5 Pugnæ ipſorum Hoſtium inter ſe nobis multipliciter adjudicant Catholicum Nomen. 193

Digitized by Google

SIGNUM II.

Romana Eccleſia Catholica eſt ipſa Re, quia credit omnes definitas Veritates.

1 Triplex explicatur Significatio Catholici Nominis, Rem ipſam oſtendens, ſcilicet Vniverſalitatem Catholicæ Eccleſiæ quoad Objectum, Loca, Tempora. Ac primò agitur de ipſa generatim Vniverſalitate: deque eadem quoad Objectum, ſcilicet de Cœtu credentium omnes Articulos definitos. 196

2 Vniverſalitas quoad Loca maniſeſtiſſima eſt, ſcilicet: Vera Eccleſia eſt illa, quæ ubique Gentium diffunditur; non quæ alicubi tantùm in plurimis viget. Regula hæc, à Patribus ſtatuta, nullam Exceptionem eſt paſſa in Arianis; neque patietur Temporibus Antichriſti. 197

3 Tertia Vniverſalitatis Significatio, quâ Vera Eccleſia per Tempora omnia perpetuò perſeverat. 199

4 Liquet, eſſe Catholicam, ſcilicet Vniverſalem, Romanam Eccleſiam, quoad Fidei ſuæ Objectum, cum conſtantiſſimè complectatur omnes definitas Veritates. 200

5 Prudentia conſectantium Certam credendi Regulam; ſeque potius Eccleſiæ, quàm ſibi ipſis Eccleſiam ſubjicientium. Inſania in pretio habentium quaſdam Eccleſiæ Definitiones, & alias contemnentium. 202

SIGNUM III.

Peculiaris, Univerſali contraria, dicenda neceſſariò eſt Adverſariorum Congregatio.

1 Vſurpare nequeunt Catholicæ Nomen Sectæ, quarum Magiſtri pugnant inter ſe in proponendis populo Arcanis Divinitatis: vel quarum ſinguli Sectatores profitentur ſe eſſe Interpretes Sacrarum Literarum: & ex ſuo ſenſu eligunt, aut reijciunt credendos Articulos. Quàm contraria ſit horum Peculiaris Eccleſia Vniverſali illi, quam Chriſtus inſtituit. 203

2 Schiſmatici deteſtantur Recentiores Hæreticos; ſed in idem incidunt Crimen efformantium Peculiarem, Vniverſali repugnantem, Eccleſiam. 206

SIGNUM IV.

Inſania reiicientium plurimas definitas Veritates.

Multiplici Argumento demonſtratur Dementia non habentium Certam Legem credendi Vniverſas definitas ab Eccleſia Veritates; ſed expendentium ſingulas juxta Interpretationem ab ipſis traditam Sacris Literis, quarum etiam Libros, aut Capita, reiiciunt; aut ad abſurdam ſententiam detorquent: Origo hæc fuit Hæreſum omnium. 207

SIGNUM V.

Dementia majori in pretio habentium Schiſmatum, & Hæreſum Duces, quàm Vniverſam Eccleſiam.

Inſani pariter ſunt, qui Schiſmatum, & Hæreſum Anteſignanos conſectari ſe profitentur, contemptis Pontificibus, Conciliis, Sanctis Patribus, & Vniverſa Eccleſia. Neque Ducibus ipſis ſuis ſemper adhærent, ideoque ſeipſos conſtituunt Iudices credendarum rerum. 209

SIGNUM VI.

Vecordia conſtituentium ſe Fidei Iudices, confugiendo ad Peculiare Inteſtinum lumen ſingulorum.

1 Non minori laborant Inſipientia, qui recurrunt ad Internum Divini Spiritus afflatum. Diſcrimen inter hoc ſomniatum Peculiare Singulorum lumen pro diſcernendis Veris Scripturis, & Vera illarum Interpretatione: & Illuſtrationem Suaſivam Spiritus Sancti, quæ Catholicis omnibus adeſt pro Aſſenſu præſtando Divinæ Revelationi, communiter Vniverſis exterius propoſitæ ab Eccleſia. 211

2 Nodus indiſſolubilis a jactantibus *Peculiare* Lumen Internum, Prodigioſum id eſſet, & præterea ipſimet Potentiæ Divinæ repugnat, cum Vna tantùm ſit Veritas, & Diverſiſſimæ de illa Opiniones arrogantium ſibi hoc Lumen, eodem Iure, ſcilicet Nullo. 212

3 Aliud ineluctabile Argumentum evincens Dementiam recedentium ab Vniverſali Eccleſia, cui negant Internum Lumen, quod vindicant ſibi. 2[illegible]4

4 Prudentiſſima Sententia regreſſi ad Vniverſalem Eccleſiam Regis de conſtituentium ſe Fidei Iudices Novatorum Inſania. 214

SI-

SIGNUM VII.

Univerſalitas Diffuſionis Romanæ Eccleſiæ per omnia Loca.

1 Vniverſalis indubie cenſenda eſt Eccleſia Romana quoad Loca, quia per Vniverſum Terrarum Orbe diffuſa. Ac primo de diffundenda per omnes terras Vera Eccleſia Divinæ Prædictiones. 218

2 Opinantur aliqui, ſufficere ſucceſſivam diffuſionis Vniverſalitatem. Nos autem, jam ubique ſparſam eſſe Romanam Eccleſiam, ſtatuemus. De Sectis illi contrariis decerni poteſt, diffundendas nunquam, quia nunquam per Vniverſum Orbem diffuſæ ſunt. 220

3 Romanam Eccleſiam propagatam nunc eſſe per omnes terras, oſtenditur. 221

SIGNUM VIII.

Multiplicitas Gentium ſectantium Romanam Eccleſiam.

Expenditur Multiplicitas Gentium Romanæ Fidem Eccleſiæ profitentium: quod Hæreſi, aut Schiſmati contigit nunquam, imo nec Mahometicæ quidem, aut Ethnicæ Impietati; quamvis Divina Oracula non negent, Errores etiam multiplicibus poſſe Populis adhæreſcere. 224

SIGNUM IX.

Nationes etiam Molles, & Barbaræ, ingreſſe Romanam Eccleſiam.

Varia Nationum etiam Mollium, & Barbararum, Indoles captivata in Obſequium Romanæ Fidei, manifeſtum eſt Indicium Divinæ Virtutis. 225

SIGNUM X.

Populorum & Principum Catholicorum Nobilitas, Sapientia, Felicitas.

Nobilitas, Sapientia, & Felicitas, Populorum, & Principum Ro-

Romanam colentium Eccleſiam, illius Veritati, & Gloriæ plurimum adſtipulatur. 227

SIGNVM XI.

Eccleſiæ Romanæ Propagatio in Indijs.

Animadvertitur conſilium Divinitatis, Romanam Eccleſiam Novo in Orbe propagantis, dum in Pœnam Superbiæ, Luxuriæ, Rapacitatis, aliorumque Criminum, Provinciæ aliquot Europæ ab illa ſciſsæ ſunt. 230

SIGNVM XII.

Recens Origo Schiſmatum, & Hæreſum, manifeſtè demonſtrat, ipſas non eſſe Univerſalem, ideoque Veram, nunquam a Chriſto deſerendam, Eccleſiam.

Certò certius eſt, Catholicæ appellationem convenire non poſſe Schiſmati, aut ulli Hæreticorum Sectæ; quia Nullæ, & Nuſquam fuerunt per tot Secula. Evincitur, Veram ipſas Eccleſiam non eſse, quam a ſe nunquam deſtituendam promiſit Chriſtus, cujus in terram Adventus noxius fuiſset mortalibus, ſi Vera Divinitatis notitiâ per tot Secula caruiſſent. 231

SIGNVM XIII.

Schiſmata, & Hæreſes evidenter carent Univerſalitate Diffuſionis quoad Loca.

1 Oſtenſuri, Sectam nullam in præſentia cenſeri poſse Catholicam ex Diffuſionis Vniverſalitate, primò ſtatuimus, in quo ſita ſit hæc ipſa Vniverſalitas, ſcilicet in eo, quod omnes Populi ad Veram Eccleſiam invitentur, & ex omnibus Populis aliqui eam ingrediantur. 234

2 Non ſunt ubique Schiſmatis Præcones, aut Aſseclæ. Plurima vigent inter Schiſmaticos ipſos Diſſidia; ideoque ipſorum Fidei nullatenus adſtrui poteſt Vniverſalitas Diffuſionis. 135

3 Eadem coarctatio intra exiguos fines manifeſtiſſima eſt de quavis Hæreſi. Multò latius propagatæ ſunt noſtræ Religioſorum Familiæ. Plures Ethnicos unus Indiarū Apoſtolus S. Franciſcus Xaverius imbuit Chriſtiana Fide, quā Hæretici, ac Schiſmatici omnes. 236

SI-

SIGNUM XIV.

Neque in futurum ubique ſpargi poſſunt Schiſmata, & Hæreſes.

Non ſolùm effuſæ non ſunt, ſed neque diffundi poſsunt Hæreſes, atque Schiſma, per omnes terras, quia non habent, qui mittant, aut qui mittantur ad Superſtitionem propagandam. 237

SIGNUM XV.

Confeſſio Schiſmatis, & Hæreſis de Veritate Romanæ Univerſalis Eccleſiæ.

Re ipſa Catholicam, quia conſequendæ Sempiternæ Felicitati ſufficientem, eſse Romanam Eccleſiam ipſi Hoſtes fatentur: & quia, ſaltem poſt Suam, Romanam omnibus præferunt. 240

SIGNUM XVI.

Omne genus Hoſtium nobis ſuffragatur.

Athei, Ethnici, Iudæi, noſtræ Sanctitatem Eccleſiæ conteſtantur. Inſigne de Chriſto Domino Teſtimonium Mahometis, quo Turcæ penitus evertuntur. Suffragium a Schiſmaticis, & Hæreticis, tributum Romanæ Eccleſiæ Veritati. 241

SIGNUM XVII.

Græci fatentur Univerſalitatem Romani Ritus, ad quem frequenter accedunt.

Plurimi ex Græco Ritu ad Latinum accedentes, cum Latinus nemo tranſeat ad Græcum, Catholicam eſſe Romanam Eccleſiam agnoſcunt. 245

SIGNUM XVIII.

Cauſæ, ob quas plurimi nomen dant Romanæ Eccleſiæ, illius Veritatem atteſtantur.

Vnicum ſtudium Æternæ Salutis conſequendæ alliciens cor- da-

datos, & Sapientes ex quavis Secta viros ad Romanam Eccleſiam, oſtendit, hanc ab illis haberi Catholicam, atque Veram. 247

SIGNVM XIX.

Cauſę recedendi a Romana Fide manifeſtè oſtendunt, ad hanc homines Inſaniam a Tartaro ſolicitari.

Ejurata Romana Fide nullus in Hæreſim proruit, quem oblitum Cæli non impellat Opum, Libertatis, Licentiæ, Cupiditas. 249

SIGNVM XX.

Soli Romanę Eccleſiæ facultas eſt celebrandi Univerſalia Concilia, ideoque ipſa tantùm eſt Univerſalis.

1 Extra Controverſiam eſt, Romanam tantùm Eccleſiam eſſe Catholicam, quia hæc ſolummodo celebrare poteſt Generalia Concilia, quæ Vniverſam Eccleſiam repræſentant. 251

2 Non ſine inſania vindicare ſibi poſsunt Schiſmatici, & Hæretici, facultatem cogendi Synodos Vniverſales. 253

SIGNVM XXI.

Romanus Pontifex manifeſto Iure dicitur Epiſcopus Eccleſię Univerſalis.

1 Compertum eſt, Vniverſalis Eccleſiæ Epiſcopum optimo jure dici Romanum Pontificem: ac primò agitur de Triplici ejuſdem Munere, Romani ſcilicet Epiſcopi, Patriarchæ Occidentis, & Pontificis Maximi, quorum duo ex Petri Arbitrio profluxerunt, Tertium a Chriſti Domini Inſtitutione. 255

2 Triplex Claſſis impugnantium Nomen Epiſcopi Vniverſalis Eccleſiæ; videlicet Hæreticorum: negantium, Pontificem præſtare Conciliis Generalibus: ac metuentium, ne Vnicus ipſe ſit cenſendus Epiſcopus. 257

3 Titulus Vniverſalis Eccleſiæ Epiſcopi, tributus Romano ab aliis Conciliis, adhibitus non fuit a Tridentino, quia Pius ipſe Pontifex juſſit, Quæſtionem abrumpi. Ceterùm Synodus parata erat ad Romanum hoc Nomine compellandum, & uſa fuit formis loquendi, & modo agendi adjudicante eidem Præfecturam Vniverſalis Eccle-

Digitized by Google

cleſiæ, ipſis etiam Conciliis antecellentem ex Confeſſione Petri Suavis. 258

4 Reſpondetur Triplici Claſſi impugnantium Nomen Epiſcopi Vniverſalis Eccleſiæ: ſcilicet Hæreticis: & opinantibus Generales Synodos non ſubeſſe Pontifici Maximo, quorum Opinio, acerrima Cenſura digna, nihil certè ſuffragatur Hæreticis, execratis Vniverſalitatem Romanæ Eccleſiæ: ac demum aufertur omnis anſa dubitādi iis, qui metuunt, ne Romanus cenſendus ſit Vnicus Epiſcopus. 260

5 Auctoritate Chriſti Domini juxta Interpretationem Generalium Conciliorum, Maximorum Pontificum, Sanctorum Patrum, & Vniverſæ Eccleſiæ, oſtenditur, Epiſcopum ejuſdem Vniverſalis Eccleſiæ dicendum eſſe Romanum. 262

SIGNVM XXII.

Idem oſtendunt multiplicia Nomina, tributa Summis Pontificibus a Conciliis, & Sanctis Eccleſiæ Patribus.

Ex aliis Nominibus idem ſignificantibus: videlicet Papæ, ſive Patris Patrum, Paſtoris, Rectoris, Cuſtodis, Sponſi, Capitis, Magiſtri Eccleſiæ, ac Vicarii Chriſti: attributis Romano Pontifici: ex illius Regimine ultro ſuſcepto ab Vniverſa Eccleſia, ipſiſque Generalibus Synodis: & ex Titulis Certo Pontifici decretis ab eadem Conſtantienſi: apertiſſimè demonſtratur Pontificium Jus ad Nuncupationem Epiſcopi Vniverſalis Eccleſiæ. 264

SIGNVM XXIII.

Portentum eſt, quod Univerſalem ſe nuncupet Patriarcha Conſtantinopolitanus.

1 Nullo penitus Iure idem *Oecumenici* Nomen ſibi vindicat Patriarcha Conſtantinopolitanus. Ac primò agitur de Origine illius Eccleſiæ, ſubjectæ Metropolitæ Heracleotæ: ac nullo peculiari honore inſignitæ a Concilio Nicæno: & nullum Dignitatis Incrementum adeptæ, etiam poſt conſecratam eam Vrbem a Conſtantino, ſub ipſis Hæreticis, & Superbiſſimis Cæſaribus, Conſtantio ac Valente. 267

2 Nullum Ius oritur Conſtantinopolitano Antiſtiti ad Appellationem *Vniverſalis*, imo ne *Patriarchæ* quidem, a jactatis decretis Secundæ, & Quartæ Synodi. Expenditur præcipuè abſurdum Initium intruſi ab Anatolio Canonis Chalcedonenſis: 269

3 Conferendo invicem verba utriuſque Canonis, multipliciter oſtenditur Abſurditas, Falſitas, & Repugnantia, quæ in Secundum irrepſit: & evidenter demonſtratur, nihil aliud ex utroque Decreto erui poſſe, niſi ut Conſtantinopolitana Sedes *Secunda* ſit poſt Romanam: Evincitur manifeſtiſſime, Primatum Romanæ attribui non poſſe Dignitati Vrbis Cæſareæ. 272
4 Ex Facto, & Verbis ipſiuſmet Synodi Chalcedonenſis, dum Fidem contra Hæreticos declarabat, oſtenditur, non potuiſſe deinde ab ipſa decerni, ut Conſtantinopolitanus Præſul eſſet OEcumenicus, & æqualis Romano. 276
5 Sanctiſſimi Pontifices Gregorius Magnus, Innocentius Primus, & Gelaſius Primus damnant derivantes a ſplendore Vrbis Imperantis Patriarchale Nomen, & Primum ſedendi locum, nedum OEcumenici Tituli amplitudinem. 278
6 Ex ipſis verbis Canonis, quo Patriarchæ nituntur; & ex Epiſcoporum ſubſcriptionibus liquido patet, ſolummodo decretum fuiſſe, ut quarumdam Provinciarum Metropolitas conſecraret Præſul Conſtantinopolis. 279
7 S. Leo Magnus non ſolum improbat Canonem illum, ſed etiam Verbis, & Facto exhibet ſe Vnicum Eccleſiæ Vniverſalis Epiſcopum: & hujus Pontificii Iuris Exercitium comprobatur per Obedientiam eidem præſtitam ab omnibus Præſulibus, etiam Orientis, ipſoque cum Imperatoribus Anatolio Conſtantinopolitano. Ab omnibus aliis Romanis Pontificibus idem Ius exercetur. 282
8 Patriarchæ poſt Chalcedonenſe Decretum, perinde ac ante, ſeſe ſubjectos exhibent Romano Antiſtiti: Non exercent in ipſo Oriente Ius extra Provincias ſibi præfinitas, idcoque fatentur, nullum ſibi tributum Ius ad veram *OEcumenici* Appellationem. Semel tantum Æqualis Sedis umbratilem honorem quærit Epiphanius, ſed retunditur ipſius audacia a S. Ioanne Primo Pontifice Maximo. 284
9 Ante Sexcenteſimum Chriſti Annum Patriarchæ Conſtantinopolis dici non potuerunt Vniverſales ob permiſſam a Romanis Pontificibus inſeri Symbolo Particulam *Filioque*, quia nondum fuerat inſerta. 286
10 Nullæ ab Epheſina Synodo Leges de non inſerendis aliis Symbolo verbis præſcriptæ fuiſe, aut præſcribi potuerunt Pontifici Maximo, & celebrandis ejus Auctoritate Conciliis. 287
11 Ab illius Particulæ Adjectione nullum Conſtantinopolitano Præſuli Ius exortum fuiſſe ad OEcumenici Titulum, multipliciter demonſtratur, ex ipſorum Confeſſione Græcorum. 290
12 Dilucide præterea oſtenditur, niti non poſſe Antiſtites Conſtantinopolis Decreto Chalcedonenſi, abrogato a Romanis Ponti-

tibus ante Somniatum eorumdem Lapſum: nec Epheſino; cum ex ipſo Non Vſu Rei, ſcilicet Vniverſalis Eccleſiæ Regiminis, amiſerint Ius ad Vſum Nominis *OEcumenici*, ut proinde licet Romani è gradu excidiſſent, non tamen illis ſucceſſiſſent Conſtantinopolitani. 292

13 Nunquam Conſtantinopolitanus in ipſomet Oriente cognitus eſt re ipſa Epiſcopus *OEcumenicus*. Imo nec Primus in Conciliis ſedendi locus; annuentibus aliis, conſtanter illi tributus ante Annum 1215. 294

14 Excuſatur Ioſeph Patriarcha, *OEcumenicum* ſe nuncupans in Confeſſione Fidei, qua Summum Pontificem obſequentiſſimè veneratus eſt; ut *Patrem Patrum*, & *Chriſti Vicarium* ante finem Florentini Concilii. 296

SIGNUM XXIV.

Exercitium Regiminis Eccleſiæ Univerſalis mirificè triumphans in S. Gregorio Magno.

1 Aſſertur Exemplar Regiminis Vniverſalis Eccleſiæ exerciti a S. Gregorio Magno Pontifice Maximo: ac ſua retorquentur tela in Calvinum audaciſſimi Mendacii redargutum, qui, depromptis ejuſdem Gregorii verbis, invehitur in Titulum Vniverſalis Epiſcopi, ipſamque Vniverſalitatem Pontificiæ Gubernationis. At primò ex anſa, quam Ioannis Patriarchæ Superbia dedit Gregorianæ Modeſtiæ ad ea verba proferenda, expenditur Conſilium Divinitatis in tribuendis Eccleſiæ Pontificibus Heroica virtute præſtantibus, cum arrogantius intumuerunt Præſules Conſtantinopolitani. 297

2 Veriſſimè affirmavit Gregorius, Nomen *Vniverſalis Epiſcopi* tributum fuiſſe Romano Pontifici a Concilio Chalcedonenſi: & effrontiſſimè mendax fuit hoc negans Calvinus. 300

3 Manifeſtiſſimum eſt, a Gregorio ſolum improbari Nomen *Vniverſalis*, prout ſignificare videtur *Vnicum Epiſcopum*: ex quo patet infelix Calvini Livor, uſus Gregorii verbis cōtra Vniverſalitatē Supremi Pontificii Regiminis ſupra reliquos, verè pariter Epiſcopos. 301

4 Damnare non potuit Gregorius Nomen *Vniverſalis*, prout ſignificat Epiſcopum ceteris pariter Epiſcopis præſidentem, & in eorum cuſtodiam excubantem. 303

5 Cauſæ, ob quas Nomen hoc ipſe Gregorius abſolutè recuſavit, oſtendunt Nequitiam Calvini, impugnantis Vniverſalitatem Pontificii Regiminis Auctoritate Gregorii. 304

6 Mortalium dementiſſimus patet Calvinus, certis limitibus circumſcribens Pontificiam Auctoritatem: & Gregorium appellans, qui

cam

tam ubicumque Gentium exercuit. Idea Curarum ſpectantium ad Pontificem Maximum. 305

7 Exercitium Vniverſalis Eccleſiæ Regiminis fulgens in Gregorio, Fidem, ceteraſque Virtutes, in toto Orbe Chriſtiano conſervare ſatagente. 307

8 Gregoriana SolicitudoHæreſes ubiq;terrarum profligādi. 307

9 ArdorGregorii,adChriſti cultū omnes Populos invitantis. 308

10 Leges a Gregorio latæ omnibus Chriſti cultoribus: Moderationes,aut Declarationes Canonum ab aliis Pontificibus,aut Conciliis conditorum. 309

11 Profanos Principes, ipſumque Cæſarem ad Cæleſte iter Sacris Præceptis Gregorius dirigit. 309

12 Pontificium Jus in omnes Epiſcopos, etiam Orientis, a Gregorio exercitum, eos eligente, reiiciente, plectente pœnis, honorum Gradus decernente, conjungente Eccleſias,& è Sacro Throno quoſdam deturbante. 311

13 Suprema Gregorii Auctoritas cognita ab Epiſcopis omnium Gentium ad illum appellantibus. 312

14 Patriarchæ omnes, atque ipſe Ioannes Conſtantinopolitanus, Verbis, & Facto ipſo, ſubjectos ſeſe Gregorio profitentur. 313

15 Exercitium Pontificię Poteſtatis in ipſa Concilia triumphans in Gregorio, eadem indicente, comprobante, reiiciente. Auctoritas declarandi Fidei Articulos aſſerta Divinitus in Gregorio. 315

16 Inſultatur Calvino Gregorium compellanti: & oratio convertitur ad Græcos Summo Gregorium cultu proſequutis. 316

17 Obiter conteruntur Lutherus, & Illyricus,abuſi verbis Concilii Africani ad impugnandum Nomen Vniverſalis Epiſcopi. 316

SIGNA XXV. XXVI. XXVII. XXVIII.

Univerſalitatem Eccleſię Romanę vindicat inconcuſſa Traditio: Hiſtoriæ omnes, etiam ſcriptæ ab Hoſtibus: Legum Tabulæ: Electio, & Inauguratio Cæſarum, atque Regum: Equitum Ordines. Res omnes: omne genus Teſtium: Cœlum, Terrę, Inferi: Schiſmata ipſa inter Latinos.

1 Antiquiſſima, nec unquam abrupta Traditio. 318

2 Hiſtoriæ omnes etiam ſcriptæ ab Hoſtibus. 319

3 Legum Tabulæ, Imperatorum Reſcripta. 320

4 Cæſarum, & Regum Electio, Equitum Ordines, Academiæ. 322

5 Vniverſitas rerum. 323
6 Cælum, Terræ, Inferi. 323
7 Schiſmata inter Latinos. 324

SIGNUM XXIX.

Neceſſariò ſemper fuit, quæ nunc eſt Catholica.

1 Tertiam Catholicæ Notam, complectentem Tempora omnia, ſedulò expenſuri, primò generatim ſtatuimus, neceſſariò ſemper fuiſſe, quæ nunc eſt Catholica, cum Eccleſia nequeat immutari: ac præterea iterum oſtendimus, præſentia, & oculis quodammodo ſubjecta cenſeri ea, quæ innumeri tradunt Auctores, ſuis in Operibus Superſtites, ac præſertim Sancti Latini, Græcique Patres, & Acta Conciliorum, quorum, præcipuè Generalium, Editionem fide digniſſimam conſectamur. 325
2 Vis Hiſtoriarum. 326
3 Hoſtium Libri. 327
4 Scripta Sanctorum. 328
5 Auctoritas Conciliorum. 329

SIGNUM XXX.

Adſpectabilis Eccleſiæ Auctoritas: ac primò Ineluctabilia Teſtimonia de Iure D. Petri ad regendam Univerſalem Eccleſiam.

1 Quamvis Communia tantùm Signa Veræ Eccleſiæ nunc afferamus, Diſputationem de ſingulis controverſis Articulis nequaquam inſtituentes; tamen de ipſius Eccleſiæ Fundamento, ſcilicet de Petro, ejuſque Succeſſoribus, agendum eſſe ſtatuimus, quia de hoc tantùm innumera dicenda ſuppetunt ex ipſo (quod ſolùm nunc expendemus) Facto: quæ manifeſtiſſimè demonſtrant, Romanam Eccleſiam eſſe Catholicam: atque hinc præſertim oritur Viſibilis ipſius Auctoritas, quæ una eſt ex præcipuis Veræ Fidei Notis. 330
2 Conſpirans generatim Conciliorum omnium Sententia de Iure tributo Apoſtolorum Principi a Chriſto Domino ad Regimen Vniverſalis Eccleſiæ. 333
3 Idem de hoc D. Petri Iure Iudicium Sanctorum omnium Patrum Græcorum pariter, ac Latinorum. 334
4 Manifeſtè appacet Ius idem præter Divina Chriſti Domini ver-

verba, in aliis locis Sacrarum Literarum, ex communi (etiam ut Humana magno in pretio habenda) Conciliorum, ac Patrum Interpretatione, Petrum, non aliis tantùm, ſed ipſis etiam Apoſtolis præferentium. 317

5 Diſſlantur nebulæ ab Hoſtibus Apoſtolorum Principis excitatæ. 343

SIGNUM XXXI.

Hujuſce Iuris Evidentia Facto multiplici comprobata in Oriente. 343

SIGNUM XXXII.

Non minus ejuſdem Iuris Exercitium patens in Chriſtiani Orbis parte, quæ vergit ad Occidentem. 348

SIGNUM XXXIII.

Inſania negantium D. Petrum obiiſſe in Romano Epiſcopatu.

Concilia, Patres omnes, totuſque Chriſtianus Orbis, Romanam præcipuè Sedem electam a Petro, inque hujus Vrbis Epiſcopatu ab eo clauſos mortalis vitæ dies fuiſſe, apertiſſimè profitentur. 351

SIGNUM XXXIV.

Evidentia Iuris ex vi Succeſſionis inhærentis Romano Pontifici ad Regimen Univerſalis Eccleſiæ magna vi Argumentorum præcipuè fulgens ex Concilio Niceno.

1 Romanos Epiſcopos ex Inſtitutione Divina Petro ſucceſſiſſe in Iure Paſcendi, Regendi, & Gubernandi Vniverſalem Eccleſiam, Generalia Concilia diſertè affirmant. 344

2 Vis, & neceſſitas Succeſſionis. 356

3 Spe-

3 Specimen Evidentiæ Pontificij Iuris promicans ex Atteſtatione Concilii Nicæni, ac Sardicenſis, multiplicitèr declarantis, aut præſumentis, Verbis, ac Facto ipſo, Romanum Pontificem præſtare Generalibus Synodis. 358

4 Ex eodem Concilio Nicæno, ac Sardicenſi, patet, Errori nulli obnoxias eſſe Pontificias de Fidei Articulis Definitiones. 364

5 Refellitur Inſania Balſamonis, & Calvini de coarctato Pontificio Regimine a Canone Nicæno ad Eccleſias Occidentales, aut Suburbanas. 368

SIGNUM XXXVII.

Neceſſitas Supremæ in Sacris Præfecturæ, ac Magiſterii in uno tantùm exiſtentis, Sapientibus omnibus manifeſta.

1 Innuitur primò præſtantia Monarchiæ. 372

2 Neceſſitas fixi unius, ac perpetuò Aperti Tribunalis. 373

3 Nequit ſibi quiſque ad Salutem Dux eſſe. 374

4 Eccleſię Regimen tribui nō poteſt ſingulis Sacerdotibus. 374

5 Neque Suprema Eccleſiæ Adminiſtratio convenire poteſt ſolis Epiſcopis. 375

6 Neque ſoli Patriarchæ regere poſſunt Diuinam Eccleſiam. pag. 377

7 Eccleſiam temperare nequeunt Seculi Principes. 377

8 Neceſſitas Supremi Sacri Antiſtitis multiplicitèr demonſtratur. 379

9 Refelluntur Oſores Sacræ Monarchiæ. 380

SIGNUM XXXVI.

Teſtes, quorum Auctoritatem eludere, niſi ſibi ipſis contradicant, nequeunt Gręci, pręſertim Pontifices, quos inter Sanctos venerantur.

1 Idem dilucidè conteſtantùr Latini pariter omnes, & Græci Patres, profeſſi, Plenam tributam Petro Poteſtatem ſuperfuturam ſemper in Romanis Pontificibus, 383

2 Eadem eſt Pontificum omnium Maximorum ſententia, ex quibus plurimos Sanctitate inclytos, nec paucos origine Græcos, ipſimet Schiſmatici venerantur. 386

Digitized by Google

SIGNUM XXXVII.

Experimenta innumera Pontificię Poteſtatis in Occidente.

Hujus ad Vniverſæ Præfecturam Eccleſiæ Iuris in Occidente multiplex Facto ipſo experimentum a primis Eccleſiæ temporibus præſtitum a Romanæ Vrbis Epiſcopo. 390

SIGNUM XXXVIII.

Non pauciora per omnes ętates Pontificię Auctoritatis Experimenta in Oriente. 394

SIGNUM XXXIX.

Hęreſum, & Schiſmatis Auctorum ad Romanam Cathedram Confugia.

Appellant ad Romanos Pontifices Hæreſiarchæ Semiariani, Macedonius, Pelagius, Cæleſtius, Neſtorius, Eutyches, & Photius Schiſmaticorum Dux. 398

SIGNUM XL.

Patriarcharum omnium obſequia erga Romanum Pontificem.

1 Generatim conglobata Signa obedientiæ, a Patriarchis Conſtantinopolis præſtitæ Romanis Pontificibus, oſtendunt cognitionem Pontificii Iuris ad Regimen Vniverſalis Eccleſiæ. 399

2 Idem patet ex obſequio Romanis Epiſcopis exhibito ab Alexandrinis. 412

3 Liquet idem ex eo, quod Romanis obtemperaverint Præſules Antiocheni. 419

4 In confeſſo eſt idem Ius Romanorum Pontificum, ex eo quod ſummo illos cultu proſequuti fuerint Antiſtites Hieroſolimytani. 425

ANA-

ANACEPHALEOSIS

Qua, dubio procul, ſtatuitur, Catholicę Nomen Uni Romanæ Eccleſiæ convenire: & maxima ejuſdem Auctoritas demonſtratur, quæ validiſſimum eſt, & quaſi Senſibus expoſitum, Signum Veritatis. Regulæ plurimę ſtatuuntur ad omnes, huc uſque exortas, & exorituras, Hæreſes labefactandas. 428.

LIBER QUARTUS.

De Signis, ex quibus patet, Eccleſiam ſolùm Romanam eſſe Veram, quia Apoſtolicam: inter quæ Propagatio, & Modus, quo propagata eſt Apoſtolica Romana Fides, non ſolùm Schiſmata, & Hæreſes, ſed omnes etiam omnino Sectas labefactat.

SIGNUM I.

Ipſum Apoſtolicę Cognomentum.

1 Apoſtolicæ cognomentum Romanæ perpetuò Eccleſiæ a Conciliis, & Patribus fuit attributum. 436

2 In quo ſenſu Apoſtolica præcipuo nomine dicatur Romana Eccleſia. 438

3 Quo pacto Signum Veritatis ab Apoſtolicæ Appellatione petitum, ſenſibus quodammodo ſubiici poſſit: ubi ſtatuitur iterum, Eccleſiam eſſe Adſpectabilem. 440

SIGNUM II.

Re ipſa demonſtratur Apoſtolica Petri Cathedra.

Re ipſa eſt Apoſtolica Romana Eccleſia, quia ab Apoſtolorum Principibus fundata: quo nomine gloriari nequit Conſtantinopolitana. Aliarum Apoſtolicarum lapſus ab avita gloria, quæ olim etiam Romanæ deceſſit. Apoſtolicæ Petri Cathedræ conſecrati ſolennes dies. 444

S I G N U M III.

Ex natura ipſa Apoſtolicę Romanæ Doctrinæ patet evidentiſſimè Divinum Prodigium in ejus Propagatione contra omnes illius Hoſtes.

Veritas Doctrinæ, ubique ab Apoſtolis, & Romæ præcipuè, diſſeminatæ, demonſtratur ex ejuſdem Doctrinæ Natura, & Arduitate. 438

S I G N U M IV.

Miraculum idem contra omnes Sectas augetur ex Modo Propagationis Apoſtolicæ Romanæ Doctrinæ.

1 Confirmatur eadem Veritas ex Modo, quo Eccleſia Romana ab Apoſtolis fundata fuit: cujus Modi Admirabilitas, ideoque Divinitas, multipliciter oſtenditur. 454

2 Evidentia Divinæ Virtutis, aut in Miraculis, quæ exterius viderint, aut quæ interius experti ſint Auditores Apoſtolicæ Prædicationis, Veritatem Chriſtianæ Fidei cuilibet non inſano demonſtrat. 459

S I G N U M V.

Diffuſio Schiſmatis, & Hæreſum, ac Modus, quo ſparſi ſunt, evidenter oſtendit, ipſas nequaquam eſſe Apoſtolicam Eccleſiam.

1 Argumentum D. Pauli probans Veritatem Chriſtianæ Religionis contra illius Hoſtes, infert etiam Veritatem Romanæ Fidei contra Hæreticos, quorum Doctrina, & Modus eam ſpargendi nihil redolet Divinum; imo Humana omnia, & Tartarea. Inita ab ipſis Via penitus contraria Apoſtolicæ, ac ſimillima ſemitæ Ethnicorum, & Mahometis. 463

2 Ab Apoſtolicæ pariter Prædicationis forma penitus receſſerunt Schiſmatici, & ſequuti ſunt Idololatras, ac Mahometem, ex ratiocinatione Pauli. 466

3 Hæreticis, & Schiſmaticis, ut conformarentur Apoſtolis, neceſ-

ceſſaria erant Externa; vel Interna Miracula, quæ nullatenus iactare poſſunt. 467

SIGNUM VI.

Romanæ quoad Fidem, & Leges Morum, Doctrinæ cum Apoſtolica Conſpiratio.

1 Doctrinæ, quam ſequitur Eccleſia Romana, cum Apoſtolica Conſpiratio, non dubiè conſtans ex ipſa Antiquitate, ac Perpetua duratione, Primo Libro aſſerta, oſtendit, Apoſtolicam eſſe, quæ Fidem, Legeſque Morum ſervat ab Apoſtolis traditas. 469

2 Eliduntur fauces latrantium hoſtium, qui, Romanam Eccleſiam ab Apoſtolica Sanctitate defeciſſe, calumniantur, ipſorum probra in os eorumdem ingerendo: breviter indicando, quæ Secundo Libro de Perpetua Romanæ Sanctimonia demonſtravimus: ac ſtatuendo, nihil penitus officere Apoſtolicæ doctrinæ Succeſſioni, quod quidam, peccare ſe falſi, ſervatis illibatis Apoſtolicis Legibus, illas moribus non exequantur. 471

SIGNUM VII.

Schiſmata, & Hereſes non ab Apoſtolis, ſed ab Antiquis, quos ipſi etiam Schiſmatici, & Recentes Heretici damnant, Eccleſiæ Hoſtibus manifeſtiſſimè derivantur.

1 Non ſolum Inſtitutione Vitæ, ac Regulis Morum, ſed & doctrina Fidei prorſus recedunt Schiſmatici, & Heretici ab Apoſtolis, Sanctiſque Patribus, qui ætate proximi, & Apoſtolorum ſapientia imbuti fuerunt: imo antiquos redolent Hereticos, eorumque Errores Apoſtolicæ Fidei repugnantes, ab Inferis excitant. Ac primò ex Cauſis oſtēditur, hoc ita neceſſariò eveniſſe. 477

2 Singillatim demonſtratur, non ab Apoſtolis, ſed ab Antiquis Hæreticis hauſtas eſſe Opiniones Schiſmaticorum. 480

3 Quæ operanda, & credenda præſcribunt Heretici, non ab Apoſtolis fluxerunt, ſed ab Antiquis Eccleſiæ Divinæ Perduellibus. 482

Digitized by Google

SIGNVM VIII.

Perpetua Pontificum Romanorum in Apoſtolico Throno Succeſſio.

Apoſtolica, ideoque Vera, omnino cenſetur Eccleſia Romana ob perpetuam ab ipſo Petro ad noſtra uſque tempora in Apoſtolico Throno Pontificum Succeſſionem. Evidentia Veritatis, quæ ab hac Succeſſione arguitur. 487

SIGNVM IX.

Eadem Succeſſio manifeſtè deeſt Schiſmaticis, & Hæreticis.

1 Legitima, & ab Apoſtolis derivata Succeſſio deeſt Schiſmaticis, quorum Epiſcopi validè quidem, ſed illicitè, Sacra peragunt. Succeſſionis ab Apoſtolis neceſſitas in Vera Eccleſia. 490

2 Nulla penitus ab Apoſtolis Succeſſio eſt Recentibus Hæreticis, quorum Sodalitia nuper nata,& ab ipſis condita ſunt. 494

SIGNVM X.

Spiritus Apoſtolicus in Romanis Pontificibus ad Apoſtolorum Fidem tuendam.

Indubitatò fulget Apoſtolicæ Prærogativa in Eccleſia Romana ex Apoſtolico Spiritu ad Catholicam Fidem tuendam infuſo Romanis Pontificibus, iis etiam, qui ſui Muneris Sanctitatem degenerantibus ab illa moribus dedecorarunt, cum illibata illis Fides, non autem Charitas fuerit deſponſa Divinitus. 496

SIGNUM XI.

Patriarchalis nulla Orientis Sedes cenſeri poteſt Apoſtolica, cum omnes inſederint plurimi Hæreſum Inventores, aut Aſſeclæ.

1 Apoſtolica, Veraque Fidei Magiſtra, haberi non poteſt Conſtantinopolitana Cathedra, cujus Patriarchæ non ſolùm Apoſtoli-

co

to zelo non incláruerunt, ſed etiam frequentiſſimè ab Apoſtolorum Fide prævaricati ſunt, vel Hæreſes primùm docendo: vel inventas ab aliis conſectando: vel earum dilatationi minimè obſtando, ut Imperatoribus conniverent, vel ob alias humanas cauſas. pag. 497

Ab Apoſtolicæ etiam Doctrinæ laude prorſus exciderunt Præſules Alexandrini, Antiocheni, & Hieroſolymitani, Hæreſum Inventores, aut Aſſeclæ. 502

SIGNUM XII.

Deficiens nunquam Apoſtolica Fides in Romanis Pontificibus.

1 Hæreſis nulla, ex Hoſtium etiam Confeſſione, inventa primò fuit a Romanis Pontificibus; nec inventis ab aliis adhæſerunt. Quibuſdam Errores inſano conatu tribuuntur. Sanctiſſimè alii permiſerunt inſeri Symbolo Particulam *Filioque.* 504

2 Apoſtolicæ Romanæ Cathedræ integritati nihil objectari poteſt ex Liberii lapſu. 507

3 Honorii, Apoſtolicæ Fidei retinentiſſimi, nomen inſertum ab Hæreticis fuiſſe iis, quos Sexta Synodus condemnavit, multipliciter demonſtratur. 510

SIGNUM XIII.

Pontificum Maximorum ardor in aſſerenda Fide contra Ethnicos.

Apoſtolica Romanorum Pontificum, qui proximi fuerunt Apoſtolorum ætati, Magnanimitas in defendenda Chriſti Fide contra Ethnicos Imperatores. Abjectus autem Patriarcharum animus, nihil Apoſtolicum ſpirans ſub Tyrannis Turcarum, a quibus frequenter Sacras Inſulas emunt, ſeſeque invicem proruunt, & accuſant ante Barbarorum Tribunal. 518

SIGNUM XIV.

Immutatus Divinitus quorumdam Pontificum animus.

Apoſtolorum Conſtantia, Divinitus infuſa illis, qui ante Pon-

Pontificatum indolgentem. Erroribus inductionem animi oſtendeٙ- rant, ut Vigilius, Apoſtolicam eſſe docet adminiſtratam ab illis Eccleſiam. 523

SIGNUM XV.

Apoſtolicus vigor Præſulum Romanorum contra Hæreticos, & Saracenos.

Indoles Apoſtolica vigens in Romanis Pontificibus, vexatis ab Hæreticis Italiæ Regibus: ab Orientalium, & ſæpe Hæreticorum, Cæſarum Exarchis: a depopulantibus Italiam Saracenis, & Romæ frequenter obſeſſis. 528

SIGNUM XVI.

Mirifica Conſtantia fulgens in Pontificibus Græcis, aut Conſtantinopolim delatis.

Præmiis, aut Suppliciis vinci neſcium ſtudium Veritatis, & Iuſtitiæ propugnandæ in Pontificibus natione Græcis, quos Imperatores eligi curarunt, vel alios non Græcos Conſtantinopolim duci, ut perperam uſurpata, vel ſtudioſiſſimè quæſita; illius Sedis Privilegia confirmarent; apertiſſimè oſtendit Apoſtolicam firmitatem. 529

SIGNUM XVII.

Apoſtolica Fides a Romanis Pontificibus per Orbem terræ diffuſa.

Apoſtolica lucet Eccleſia Romana ex Fide per Vniverſum Terrarum Orbem, ſtudio Romanorum Pontificum, miſſis ad omnes Gentes Veritatis Præconibus, propagata: & ex vi efficaci in animis ad cultum Veri Numinis alliciendis. 533

Digitized by Google

SIGNUM XVIII.

Modus, quo nunc etiam eadem Fides Romanorum Pontificum ſtudio propagatur; evidenter oſtendit, eandem eſſe Apoſtolicam.

Vt ex Modo Fundationis Apoſtolicæ nituit Eccleſia Romana, ita etiam ex Modo Propagationis; videlicet non inani Scientia, Vi, aut indulta Morum Licentia, ſed Spiritu Divino, Miraculis, Prophetico lumine, ac obita pro Chriſto morte. 536

ANACEPHALEOSIS

Qua breviſſimè innuentes explicata in hoc, aliiſque Libris Veræ Eccleſiæ Signa, quorum ferè ſingula ſufficerent ad Veritatem aſſerendam, manifeſtè conficimus: tam apertè ab omnibus in unum confluentibus Divinam Conteſtationem promicare, ut jure ad Deum exclamare poſſimus: Domine, ſi Error eſt, quem credimus, a Te decepti ſumus. 538

PARÆNESIS.

Ad Schiſmaticos. 542

PARÆNESIS.

Ad Hæreticos.

Quibus aptantur Signa Veritatis, huc uſque in Primo, ac Secundo Libro identidem ſolùm Schiſmaticis accommodata. Expenditur præcipuè Miraculorum vis. 545

LIBER QVINTVS

Quo, Singillatim, ac Directè, Atheis, Theiſtis, Iudæis, Mahometanis, Ethnicis, plurima ipſorum Veſaniæ Manifeſta Signa objectantur. 551

Digitized by Google

I N D E X.

P A R Æ N E S I S
Ad Atheos, ac Theiſtas.

I. Hucuſque allata Signa, probantia Romanæ Fidei Veritatem, Sectas indirectè omnes evertunt. 551

II. Directè Singulas nunc delirantium Claſſes impugnaturi, ac primò Atheos, ac Theiſtas, oſtendimus: arduum eſſe, illos hortari a Rationis, & Honeſtatis Lumine, quod nullum ipſis eſſe poreſt. pag. 553

III. Oſtenditur, Atheos, ac Theiſtas, eſſe Humani Gentis Hoſtes. pag. 554

IV. Morum Corruptela, Superbia, Ignorantia, eos impulit ad Deum, aut Religionem proculcandam. 555

V. Illuſtris nullus Auctor eſt Atheis, ac Theiſtis: Pauci eorum Inſaniæ Sectatores. 557

VI. Multipliciter demonſtratur Inſania Opinantium, conflatum fortuitò ex Atomis Mundum fuiſſe. 559

VII. Dementia tribuentium Infinitis alia indigentibus Cauſis hanc rerum Vniverſitatem. Neceſſitas Cauſæ Primæ, quæ nulla indigeat. 565

VIII. Vecordia referentium omnia in Naturam, excluſo illius Auctore Intellectu prædito. 568

IX. Theiſtæ, qui, Providum, ac Iudicem eſſe Deum, inficiantur, ideoque omnem Religionem, & alterius Vitæ metum, proterunt, Manifeſti Delirii multipliciter arguuntur. 573

X. Neceſſariò Sceleſtiſsimi, non minùs, quàm Athei, Theiſtæ ſunt. 578

XI. Per Summam Dementiam nos ab Atheis Simplices dicimur, eò quòd credamus illa, quæ non videmus. Multò hujuſmodi plura, & abſurdiſsima, ipſi credunt, ac verè ſunt Mortalium Stolidiſsimi. 579

XII. Plurima Divina Prodigia Veritatem noſtræ Fidei demonſtrantia, omniū oculis nunc etiam ſubiici, evidenter oſtenditur. 584

XIII. Præterita Miracula multò clarius fulgent in conſervata Chriſti Eccleſia, quàm Imperii Romani a Cæſare Fundatio, & quæcunque alia Profana manifeſtè conſtent ex Hiſtoria, ac Traditione. 587

P A R Æ N E S I S
Ad Hæbreos.

I. Nullus Hæbręis eſt Pontifex. Iidem jactare nequeunt Antiquitatem, ac Durationem diuturnam, aut ullam ex ea Pręſcriptio-

nem

nem inducere. Noſtri ſunt Prophetæ, omneſque Veteres Patres. Non Adamo, Abrahamo, ac Davidi, ſed Caiphę, & Annæ, Iudæi ſuccedunt. 588

II. Talmudicæ Doctrinæ abſurditas, & Perverſitas Interpretum Sacras Hebræis Literas tenebris involuentium. Nulla proinde ipſis eſt Certa credendi Lex, Sapientia, & Sanctitas nulla. 591

III. Nullum Hæbreis relinquitur Signum Comprobationis Divinæ, cum plurima illis olim fuerint, præſertim in Prophetis, & Miraculis. 593

IV. Manifeſtiſsimum eſt, Hebeæos plecti ob Chriſti Dominicecem. 594

PARÆNESIS
Ad Mahometanos.

I. Sectæ hujus Novitas, & Iniquitas, Manifeſta ſunt Indicia Falſitatis, & Præſcriptionem omnem excludunt. 598

II. Ignorantia, & Nequitia Inſtitutoris. 600.

III. Fraudes, Impoſturæ, Violentia, qua uſus Mahometes fuit, manifeſtè repugnant Veræ Doctrinę Sanctitati. 601

IV. Incredibile penitus eſt, deſtitutum a Deo fuiſſe tenebris conſepultum Genus humanum, quò uſque Scurra impuriſsimus, & vecors hic Carnifex illi Lucem afferret. 603

V. Mahometicæ Doctrinæ Impuritas. 604

VI. Ridiculæ Mahometis Nugæ, Abſurdiſſimæ Fabulæ. 605.

VII. Contradictiones, quibus Alcorani Dogmata Manifeſtæ Falſitatis coarguuntur. 607

VIII. Nulla Mahometanis eſt Sanctitas Vitæ. 608

IX. Divinarum nulla Doctrina rerum Turcis eſt. Philoſophus nullus, aut aliis Literis excultus Auctor fidem Mahometo præſtitit. 610

X. Expenditur Averrois dictum de ſua, & noſtra Lege: Manifeſta noſtra Credibilitas & Credenditas. 611

XI. Inſanum Mahometis Præceptum de ſua Lege non explotanda, 614

XII. Propheticum nullum Mahometi, aut ejus Aſſeclis, Lumen, fuit; quod mirificè Chriſtum Dominum, ejuſque Sectatores illuſtrat. 616

XIII. Quæ ſua Prodigia Mahometes jactabat, Nugæ erant vel a Pueris comperiendæ. Apertè falſus eſt, negatam ſibi fuiſſe virtutem Miracula perpetrandi. 618

XIV. Mahometani deſtituti omnibus Signis Divinis fidere nequeunt Numero Sociorum in ſua Inſania. 620

Blan-

Digitized by Google

XV. Blandiri ſibi Turcæ non poſſunt ob humanam, quaſi Divinitus indultam ſibi, Felicitatem: qua etiam ipſos carere, manifeſtè conncitur. 622

XVI. Confeſſio ipſius Mahometis, quod Chriſtus ſit Deus: ex qua, & ex conſtanti ejuſdem Aſſertione, quod Chriſtus ſit Maximus Proppheta, Turcæ penitus evertuntur. 624

XVII. Ex eo, quod Mahometes fateatur, etiam poſt ſuum adventum, a Chriſtianis obtineri poſſe Immortalem Salutem, evidentiſſimè oſtenditur, Chriſti Religionem ab omnibus non inſanis eligendam eſſe. 626

XVIII. Nemo Mahometis Legi nomen dedit ſub exitum vitæ, aut impulſus amore Vitæ Immortalis. 627

XIX. Cum ſummopere Ardua, & pugnans Propenſioni corruptæ Naturæ, ſit Chriſti Domini Fides, patet, illam eſſe Divinam ex eo, quod adeo latè propagata fuerit. Contrarium autem conſtat de Mahometica Lege, omnia vitiatæ Naturæ indulgente. 629

PARÆNESIS

Ad Ethnicos.

I. Nulla eſt Idololatriæ Vnitas. Probroſa ejuſdem, & Veſana Initia. Nulla Præſcriptio. 630

II. Evertitur precipuus Ethnicorum Error de Numinum Pluralitate. Ratione manifeſtiſſima, & ipſorum etiam Confeſſione Idololatrarum demonſtratur, Vnum ſolummodo Deum eſſe. 632

III. Innuuntur alia Ethnicorum Abſurdiſsima Deliramenta. pag. 634

IV. Ridenda, & Probroſa inanium Deorum facinora. 635

V. Doctrina Deorum, qui Homines fuerint, antequam, ineptè illis tributa, Divinitate donarentur, aut ſint Belluæ, Saxa, aut Dæmones, Examini neceſſariò ſubiici debet ab omnibus non omnino inſanientibus. Si autem expendatur, manifeſtæ Falſitatis arguitur. 636

VI. Sapiens nullus acquievit Superſtitioni Ethnicorum, quibus nulla Divinarum rerum Sapientia eſt. 637

VII. Morum Sanctitas nulla Ethnicis eſt, aut eſſe poteſt. 638

VIII. Vero nullo Prophetico lumine, aut Miraculo aſſerere poſſunt Cæleſte ſuffragium inſano ſuo cultui Ethnicorum Dii. 640

Digitized by Google

LIBER PRIMUS

De Signis Fidei generatim, deque iis, quæ præcipuè ſpectant Eccleſiæ Veræ Vnitatem, quibus evertuntur Schiſmata, & Hæreſes.

I. *Incipienda eſt Tractatio à Signis Fidei, non à probatione ſingulorum Myſteriorum. Quid ſint hæc Signa, quibus refelluntur Sectæ omnes falſæ.*

FRequenter mirari contigit mihi, quod, qui contra hoſtes Catholicæ Religionis certamen inſtituunt, illud non exordiantur à Manifeſtis Veræ Fidei Signis, hoc eſt quibuſdam Notis, & quaſi Characteribus Veritatis, qui Falſo convenire nullatenus poſſunt, & ab omnibus facillimè percipiuntur. Pervulgatum eſt: in unaquaque facultate à magis perſpicuis, & facilibus incipiendum eſſe, ut deinde ad obſcuriora, magiſque ardua, quibus prima lucem affundant, progrediamur. Cur ergo non ſervemus hoc ipſum in tractatione rerum altiſſimarum, nimioque ſuo fulgore noſtros hebetes oculos obruentium, hoc eſt Arcanorum Sanctiſſimæ Fidei, quam Obſcuram, vt Liberam, & promerendæ Divinæ Gratiæ aptam, eſſe voluit Deus?

Singulorum adoriri probationem Myſteriorum, lon-

longa, & perdifficilis provincia ſolet eſſe; præſertim dum agitatur bellum cum Adverſariis audaciſſimis, qui plurima in controverſiam revocarunt. Non ſemper eſt obvium, illos opprimere depromptis è Sacrarum Literarum cæleſti fodina telis, quorum etiam ictus eludunt perverſa Interpretatione, nunc Proprium, Allegoricum nunc, aut Anagogicum ſenſum conſectati. Neque leve negotium eſt, eas diſſipare nubes, quæ contra ipſum, utcumque fulgentiſſimum, veritatis Solem excitari poſſunt. Perinde ac contra res ipſas meridiana luce clariores captioſa argumenta funduntur, quæ torquent maxima ingenia: ut Ariſtotelem vexavit Zeno negans Motum, & Auguſtinus in explicanda natura Temporis deſudavit.

Non hæc idcirco præloquimur, quia multa ſint à Schiſmaticis impugnata Romanæ Fidei Myſteria, & ineluctabilia diffidamus fore Divina Teſtimonia noſtræ cauſæ faventia: nulliuſque ponderis, quæ contra nos ab illis afferentur, dum ſingula ipſa, negata ab iiſdem, Arcana expendemus. Sed quia præſtat, ea primò tradere, quæ clariora ſunt, & ſervandum, cum ceterorum Errores impugnabimus, doctrinæ ordinem ſequi.

De his, ut opinor, ex profeſſo ſcribere moliebatur S. Auguſtinus, dum Præfatione ad librum de Hæreſibus, qui ſupremus illius Operum fuit: *Iamdiu eſt*, inquit, *quod animo volvo, atque revolvo, & quadam meditatione contueor*. Et infra: *Ego verò hoc magis volo facere, ſi & Deus velit, unde poſſit omnis Hæreſis, & quæ nota eſt, & quæ ignota, vitari, & unde rectè poſſit, quæcumque innotuerit, judicari*. Hæc vir Divinus, qui certè omnes unico ictu Errores interimere nequivit,

 niſi

Digitized by Google

niſi Communes Veræ Eccleſiæ Notas in medium afferendo.

II. *Ab Exiſtentia, & Providentia Divina, & à Neceſſitate: ut videlicet Fides poſſit eſſe ſimul Obſcura, & Prudens: probatur, dari hæc Signa, quæ à Theologis appellantur Motiva Evidentis Credibilitatis, ideſt Cauſæ, ob quas Prudentiſſimi evidenter ſunt, qui fidem adhibent Divinæ Revelationi.*

PAlam expoſita omnibus eſſe manifeſtiſſima quædam Signa Veræ, quà Maximus, & Optimus Deus coli à mortalibus voluit, Religionis, dubitare nullus poteſt, niſi, qui aut ipſum exiſtere Deum, impius neget, aut Improvidum eſse putet humanarum rerum, aut nullum ſui cultum à nobis exigere. Exiſtere autem, & Providentiſſimum, ſimulque Auctorem alicuius, & quidem ſupra Naturæ Ordinem, quam proſequi nos decrevit, Religionis, ipſum Deum eſſe, nemo ex iis, quos amantiſsimè alloquimur, præter Atheos, ac Theiſtas, inficiatur. Indicia ergo, Argumenta, & Signa compertiſſima nobis exhibuit, quibus, quaſi manu ducti, verum Fidei tramitem ineamus. An enim, qui ad comparandas Scientias, & Artes humanæ vitæ conducentes, certa Principia nobis indidit, non etiam impreſſit Notas, & Signa, Sempiternæ Felicitati adipiſcendæ perneceſſaria, cum illius capaces ceteroqui nos eſſe munificentiſſimo arbitrio voluerit? An magis illius intereſt, ut Dialectici, & Geometræ eſſe poſſimus, quàm aſſequi Regnum immortale?

Non ipſæ ſolùm revelatæ Divinitus Veritates, ſed

ipſa etiam earumdem Revelatio ſubobſcura eſt ex communi placito Theologorum, ac *Lucernæ lucenti in caliginoſo loco* ab Apoſtolorum Principe comparatur. Quod neſcia falli, aut fallere, Suprema Veritas docuerit homines Myſteria Catholicæ Fidei, ita proponitur Intellectui, ut aſſenſum præbere minimè compellatur, debeatque Libera Voluntas religioſa inductione credendi, quam *Pium credulitatis affectum* Theologi vocant, eidem Intellectui aſſenſum imperare. Ipſa igitur Voluntas, ut prudenter in hoc Imperium prodeat, præmuniri debuit quibuſdam, ſibi ante propoſitis ab Intellectu, *Motivis*, ut dicunt, *Credibilitatis*, quæ manifeſtò ipſi demonſtrent, prudentiſſimè à ſe imperandum Aſſenſum, præſtandum eidem, Arcana Fidei revelanti, Supremæ Veritati: cui tantummodo deinde innititur Actus Fidei, præviorum quodammodo, quæ Voluntatem ad imperandum Aſſenſum impulerunt, Motivorum oblitus.

III. *Explicatur, cur hæc Signa dicantur Fidei Præambula, perque illa evidenter Prudens ſit Imperium Voluntatis, præſcribentis Intellectui Actum Fidei, Exemplo Regis, cujus Loquutio manifeſta non ſit: & Iudicis.*

HÆc *Actus Fidei Præambula* communi Scholaſticorum vocabulo nuncupantur. Perinde ac ſi quis Regium Equitatum præire videret, pompam Rege tantùm dignam, Theſauros, Exercitum, Triumphum adeo inſignem, ut manifeſtiſſimum eſſet, inſtrui ab alio, Regia poteſtate non pollente, neutiquam potuiſſe; licet ipſum deinde Regem oculis non uſurparet, ſed ipſius voces ita

ex-

exciperet auribus, vt ex ipſo ſonitu, Regias eſſe, credere non cogeretur; tamen ultro iiſdem, veluti Regalibus, obtemperaret: & Auctoritas ipſa Regis ad parendum urgeret. Ita profectò cum Cæleſtis loquentis Dei Vox auribus, & animo incidit: quæ certè, ut inquit Vates, *non hominem ſonat:* quamvis Divinam eſſe manifeſtum non ſit; ipſi tamen Divinæ Veracitati præſtamus fidem; ſed Prævius ille Signorum Apparatus prudentiſſimum oſtendit eſſe pręſtitum deinde a nobis Deo revelanti conſenſum.

Utque allato etiam ab aliis Exemplo utar: ſicuti licet Iudex ipſe non viderit facinus a Laerte perpetratum; tamen prudentiſſimè credit, Laertem eſſe Auctorem ſceleris, ſi hoc Centum digniſſimi fide Teſtes affirment: ita licet evidens Divina Revelatio minimè ſit; tamen evidentiſſimum eſt, prudenter credi, eam eſſe Divinam, ſi, eandem a Deo profluxiſſe, plurima, & manifeſtiſſima Signa conteſtentur.

IV. *Diſcrimen aliquod, pro Theologis animadverſum, inter Iudicem, & credentem Fide ſupernaturali, cujus Actus ſolùm innititur Summæ Auctoritati revelantis Dei. Ex quo hęc Auctoritas conſtituatur.*

ULterius progredi minimè jubemur, cum Lectores Theologos non requiramus. Sed quia hoc Opuſculum in eorum etiam manus poteſt incidere, qui aliqua ſint Sacræ Doctrinæ cognitione perfuſi, libet hìc ſedulò attexere: ab aliis allatum Iudicis Exemplum ſolùm oſtendere Prudentiam Aſſenſus præſtiti Criminì, quod Iudex ipſe

ipſe oculis non uſurpavit: quo pacto prudentiſſimè credimus, revelatam a Deo fuiſſe veritatem Catholicæ Religionis, licet Revelationem a Deo prodeuntem noſtris ipſi auribus non acceperimus. Magnum ceteroqui diſcrimen eſt Iudicem inter, ac Fide Divina credentem; Sententia enim a Iudice lata non ipſi perpetrato Facinori, ſed Affirmationi Teſtium innititur, *tamquam Motivo*. Actus autem Divinæ Fidei nihil habet pro *Formali*, & *Intrinſeco*, ut loquuntur Scholaſtici, *Motivo*, prçter ipſam Divinã Revelationem, Summãque Auctoritatem revelantis Dei.

Hæc porrò Auctoritas ex Infinita Dei Sapientia, & Veracitate conſtituitur: Sapientia quidem, qua falli nequit Deus, cum ipſius Cognitio neceſſariò conformetur rei cognitæ veritati: Veracitate autem, qua fallere illos, quos alloquitur, minimè poteſt, cum ipſius Loquutio Cognitioni loquentis neceſſariò cohæreat. Niſi ex his duabus prærogativis, Infinitæ ſcilicet Sapientiæ, ac Veracitatis, loquentis Dei conſurgeret Auctoritas, ne ipſi quidem Deo firmiſſimus aſſenſus præſtandus eſſet, ſi eidem, utcumque Maximo, Immenſo, & Æterno, deeſſe poſſet ob defectum Sapientiæ Vera Cognitio rerum, vel ob defectum Veracitatis Vera Loquutio.

V. *Aſſenſus Fidei per modum Concluſionis non habet pro Formali Motivo Veritatem ipſorum peculiarium Myſteriorum: neque ſolam Auctoritatem, aut ſolam Revelationem Dei, ſed utramque ſimul.*

PErinde ergo ac Philoſophi docent, ex admiſſa Veritate *Præmiſſarum* nos moveri ad aſſenſum *Conclu-*

cluſioni præſtandum: ita ex hujuſce Argumentationis *Aſſumptione* pariter, ac *Subiectione*, impellimur ad aſſentiendum ill, quod ex ipſis infertur: videlicet: *Quidquid dicit Summa Veritas, ſive Summa Auctoritas Dei, falli, aut fallere neſcia, id verum profectò eſt. Sed hæc ſumma Veritas dicit, ipſum Deum eſſe Trinum, & Vnum: aut etiam dicit, Vera eſſe omnia Myſteria Catholicæ Religionis. Ergo Deus verè eſt Trinus, & Vnus: aut etiam Vera ſunt omnia Catholicæ Religionis Myſteria.*

Atque hic ſatis mirari non poſſum, fuiſſe, acutiſſimos ceteroqui, viros, qui dicerent, ab ipſorum peculiarium veritate Myſteriorum, tamquam *a Motivo*, nos adigi ad illa credenda. At *Concluſio* non propter ſeipſam, ſed propter *Præmiſſarum* veritatem affirmatur. At Myſteria ipſa nullam in ſe vim habent ad aſſenſum alliciendum. At, niſi ob Auctoritatem dicentis res aliqua in animum inducatur, Fides dicenti præſtita cenſebitur nunquam. *Materiale* igitur *Obiectum Fidei*, ſcilicet id, circa quod Fides ipſa verſatur, veluti circa Terminum ſui, ſingulæ res a Deo reuelatæ dicuntur; non autem *Formale*, ſcilicet id, quod menti propoſitum, & obiectum, nos movet ad aſſenſum alteri rei præbendum.

Neque verò ex Auctoritate tantùm, aut ex ſola Loquutione, ſiue Atteſtatione Dei, vis hæc motiva conflatur, quia, utcumque ſumma polleat Auctoritate Sapientiſſimus, ac Veraciſſimus Deus; ex his tamen cognitis ipſius dotibus præparato ſolùm animo eſſe poterimus ad illi aſſentiendum, ſi nos alloquatur, non autem ad aſſenſum interea præſtandum. Ipſa porrò Loquutio ſi loquentis Auctoritate deſtitueretur, nos ad aſſenſum minimè

ur-

Digitized by Google

urgeret, etiamſi oculis objicerentur illa ipſa, quæ per Loquutionem proponit; nam Divina Fides non eſſet, ſi experientia revelatarum rerum inniteretur: neque etiam, ſi Loquutioni ipſi, ut ſemel de veritate compertæ, quia ad certiſſimum, ac ſuper omnia (ſupra illa ſcilicet etiam, quæ ipſis oculis, aut Metaphyſica ſcientia conſequimur) Conſenſum, præſtandum ex pia inductione Voluntatis, requiritur cognitio ejuſmodi Auctoritatis, quæ non ſemel tantùm non fallatur, aut fallat, ſed nunquam omnino fallere poſſit, aut falli.

Atteſtatio autem ipſa, ſive Loquutio Divina, non tantùm admovet Intellectui credentis Vim movendi ad Actum Fidei, videlicet, Auctoritatem Divinam: quo pacto Approximatio Ignis ſolùm applicat combuſtivam Ignis virtutem; ſed ex parte ineſt ipſimet Loquutioni Motiva virtus, ex Apoſtolo docente: *Prophetico ſermoni bene facitis attendentes*; ſcilicet expendentes vim, quæ ipſi Sermoni ad veſtram excitandam Fidem inhæret; ipſi autem non ut ab ore mortali prodeunti, ſed, quemadmodum alibi de Apoſtolorum doctrina explicatur, quia *non illud accepiſtis, quaſi ex nobis, ſed, ut eſt verè, verbum Dei*.

Et profectò receptiſſimum apud omnes eſt: nos per Fidem credere Loquutioni Dei Summam habentis Auctoritatem: vel Summæ Auctoritati loquentis Dei: ut proinde ex utraque, quæ perinde *in Recto* poteſt apponi, ex Auctoritate ſcilicet, & Loquutione Divina, vis ad Actum Fidei motiva conſurgat.

Quia verò Auctoritas loquentis Dei profectò Divina eſt; Loquutio autem, ſive Atteſtatio ejuſdem, procreatum

tum aliquid includit: (quodcumque demum id ſit, per quod verificatur hæc propoſitio: *Deus loquitur ad extra*) idcirco Motiva virtus ad Actum Fidei conflari dicitur ex aliquo Divino ſimul, & procreato; quod procreatum conſtituitur per Terminationem Extrinſecam Actus Liberi, quo Deus revelat Arcana ſua.

VI. *Reſolutio Fidei in ſua Principia. Diſcrimen inter Motiva Intrinſeca, quorum unum ſcilicet exiſtentia Revelationis, eſt Obſcurum: & Extrinſeca, ex quibus evidenter patet Prudentia credentis. Epilogus pro ignaris Theologiæ.*

IPſa porrò Auctoritas loquentis Dei pèr ſe innoteſcit. Revelatio autem, ſive Loquutio, & Atteſtatio Dei, Summam Auctoritatem habentis, intellectui proponitur per Illuſtrationem Suaſivam Spiritus Sancti: quæ Illuſtratio non obiicitur velut id, *quod* movet; ſed inhæret menti, velut id, *quo* ipſa obiecta menti *Loquutio* movendi virtutem aſſequitur. Atque in his hæret, ut in *Intrinſecis Motivis* Intellectus Fide Divina credentis, in Auctoritate ſcilicet, ipſaque Loquutione Divina: inque hæc duo, veluti *ſua Principia*, Fides ipſa reſolvitur, & ultimò quieſcit, ut Divina ſit, videlicet præſtita Deo loquenti; neque enim ideo credimus, Loquutionem eſſe Divinam, quia, eandem Divinam eſſe, credit Eccleſia: neque *Circulo* ullo implicamur.

Neque verò quiſpiam dicat, incertos adhuc nos fore, utrum Loquutio Divina ſit, nec ne? quia omne dubium eliminatur ab Illuſtratione Suaſiva Spiritus Sancti. Ac præterea præfuerunt in Intellectu credentis, imo &

adſunt, tunc quando credit, alia *Motiva Extrinſeca ipſi Actui Fidei*: ob quæ illi evidenter patet, prudentiſſimè a ſe credi, verè Divinam eſſe Loquutionem, ſive Atteſtationem omnium Myſteriorum noſtræ Fidei. Hæc autem Motiva ſunt ipſamet Eccleſiæ Auctoritas, Miracula, Prophetica dicta, ceteraque Veræ Fidei Signa, de quibus agemus. Sed hæc non influunt in ipſum Fidei Supernaturalis Actum, qui Auctoritati, ac Revelationi Divinæ tantùm innititur. Elicitus ergo antecedenter eſt, vel etiam cum ipſo Actu Divinæ Fidei ſimul elicitur Actus alter, quo ex obiectis animo veræ Fidei Signis manifeſtè cognoſcit Intellectus, prudentiſſimè a Voluntate imperari Aſſenſum, ab ipſo Intellectu, per alium Actum, præſtitum loquenti Deo.

Hæc, non ingrata fortaſſe futura Theologiæ ſtudioſis, niſi ceteri animo hauſerint, in hoc acquieſcant, quod eos nouiſſe ſufficiet, videlicet: per Fidem a nobis credi Deo revelanti: per Signa autem Veræ Fidei, quæ tradimus, evidenter innoteſcere Prudentiam eorum, qui ſibi certò perſuadent, revelata a Deo fuiſſe Myſteria omnia Romanæ Religionis: & manifeſtam Inſaniam aliarum omnium Sectarum, quæ ſtolidè ſibi blandiuntur, adeſſe ſibi Divinam Errorum ſuorum Revelationem, cum Signa ipſis, & Indicia nulla ſint Revelationis eiuſdem.

VII. *Eccleſia in uno ſenſu ſimul eſt Manifeſta, & ſimul Occulta; Sed ob Signa Fidei eſt Manifeſtiſſima, & oculis ſubiecta.*

SUppetunt ergo, & quidem Evidentiſſima, Argumenta ad comperiendam Veram Religionem. Oculis ſu-

ſubjecta dicitur Vera Eccleſia, quia Paſtores palam eidem præſunt, palam indicuntur, & celebrantur Concilia, Sacramenta conferuntur, & in eam palam inducuntur homines, aut ab eadem eliminantur. Sed hæc Eccleſiam videndi poteſtas non adimit Obſcuritatem; aliud enim videmus, aliud credimus. Sacrum illud Regimen intuemur: & credimus, idem non decipi in Cultu Divino: quo pacto Humanam Chriſti Naturam Apoſtoli oculis, Diuinam animis hauriebant.

Alio igitur nomine obiecta Viſui Vera Eccleſia nuncupari poteſt ob hæc Signa, quæ illam a quovis Cœtu ſecernunt deerrantium in obſequio præſtito Divinitati. *His nullus contradixerit*, affirmat Aureum illud Ioannis os, Magnus, inquam, Chryſoſtomus in Oratione, quod Chriſtus ſit Deus: *His nullus*, inquit, *contradixerit, niſi quis valde inſanus, & totus ſtupidus ſit, naturęque ſenſu priuatus*. Et his ſimilia in Orationibus contra Iudæos inculcat. Ob hæc Origenes hom.30. in Matth. *Eccleſia plena eſt*, inquit, *fulgore ab Oriente uſque ad Occidentem*.

Ejuſmodi ſunt hæc Signa, ut fermè naturalis Catholicorum omnium vox illa ſit, a Ricardo, illuſtri apud nos Divinæ Scientiæ Magiſtro, primùm prolata: *Domine, ſi error eſt, quem credimus, a te decepti ſumus*: Tot ſcilicet, ac talibus, a te præiactis, fundamentis inniſi erigimur ad credendum, ut, ſi moles ædificii prolaberetur, tibi, auſim dicere, crimini verti poſſet.

Digitized by Google

VIII. *Explicatur Veræ Eccleſiæ Evidentia non ſolùm Moralis, ſed in aliquo etiam ſenſu Metaphyſica.*

ENimverò ab Orthodoxis Doctoribus, ſecundum certiſſima, & clariſſima Sanctarum Scripturarum teſtimonia, *Eccleſia* ob hæc ipſa Signa *Viſibilis* dicitur, ideſt ſic in luce hominum, & in conſpectu poſita, ut quovis Seculo evidenter internoſci, & quaſi digito demonſtrari queat Congregatio illa, quam, eſſe Eccleſiam Veram, determinatè credere poſſis, ac debeas. Ideo Sapien. 16. affirmatur, *Clara eſt Sapientia, & quæ nunquam marceſcit, & facilè videtur ab his, qui quærunt eam.* Ipſe autem noſtræ Salutis Aſſertor ſuam non ſemel Eccleſiam *Monti* comparat, & *Urbi* in Montis vertice conſtitutæ: *Non poteſt Civitas abſcondi ſupra Montem poſita:* Matth. 5. 15. Ad hæc reſpiciens Auguſtinus tract. 1. in Epiſt. Ioan. ait: *Numquid digito oſtendimus Eccleſiam, fratres mei? Nonne aperta res eſt?* & tract. 2. *Quid amplius dicturus ſum, quàm cæcos, qui tam magnum Montem non vident? qui contra Lucernam in Candelabro poſitam oculos claudunt?*

Gentium Apoſtolus, Hebræus origine, ſed exortu Tarſenſis ex Cilicia, ſpectante ad Græciam illuſtri Provincia, *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpici*, affirmavit: ideſt oculis ipſis omnino ſubiici: idemque diſertè dixit: *Scio, cui credidi*; videlicet: manifeſta ſunt adeo Signa, quæ me, ceteroſque ad aſſenſum loquenti Deo præſtandum impulerunt, ut Scientiam, adeoque Evidentiam prudentiſſimi Aſſenſus pariant.

Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, inquit Da-

David: quia prætergreſſa quodammodo vim procreandi Fidem, Evidentiæ gradum ipſa Signa Veræ Eccleſiæ aſſequuntur; illius, inquam, Evidentiæ, quam Moralem Philoſophi dicunt. Niſi etiam ad Metaphyſicam Evidentiam propius accedant; cum perpetrare Miracula Deus nequeat, ut homines decipiantur. Mirum autem cenſeretur, ſi Vera Eccleſia non eſſet, quam eſſe Veriſſimam Signis manifeſtiſſimis comprobatur.

IX. *Ob Evidentiam, ortam a Signis Fidei, Prudentiſſimi evidenter ſunt, qui credunt; neque tamen ab iiſdem Signis refunditur Evidentia in ipſam Revelationem, aut Myſteria revelata.*

HÆc autem de *Evidentiſſima*, ut omnes Theologi loquuntur, *Credibilitate* Arcanorum Fidei, velim intelligi; ſcilicet de Manifeſta Prudentia in illis fulgente, qui Divinæ Revelationi firmiſſimè adhærent: & de Apertiſſima Inſania fidem illi abnegantium, aut incerto adhuc ambigentium animo, poſt tot dilucida Indicia propoſitæ nobis Divinitus Veræ Fidei.

Neque enim neceſſe eſt, cum Theologis quibuſdam ingenioſiſſimis affirmare, (contra ea, quæ hucuſque diſſeruimus) a Manifeſtiſſima Signorum Veræ Eccleſiæ Perſpicuitate, ac Præſtantia, Manifeſtam effici Divinam ipſam noſtræ Fidei Revelationem, quæ aliquam revelatis ipſis Myſteriis Evidentiam affundat, inſitæ ipſorum Obſcuritati minimè repugnantem: ortam ſcilicet ſolùm ex *Manifeſto Dicto*, & *Atteſtatione Divina*; non autem ex patenti *Rei* ipſius, videlicet Arcanorum Fidei, natura, quæ nobis proponantur Evidenti Teſtimonio Divinitatis.

X. *Cau-*

X. *Cauſæ, ob quas nihilominus aliqui Veram Eccleſiam ignorant.*

CUm adeo perſpicua ſint hæc Argumenta Veritatis, prodigii loco habendum videtur, quod nihilominus aliqui fidem eiſdem abnegent, & in eorum oculos Sol fulgentiſſimus non incurrat. Sed enim quamvis *Lux mundi, & illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum*, propter has Veritatis Notas, a ſe tributas mortalibus, Chriſtus ipſe nuncupetur; tamen *ſupercecidit ignis, & non viderunt Solem*: ſcilicet Ignis Concupiſcentiæ, tenebras Ethnicis, & pleriſque Hæreticorum offundens: vel Factionis, & Odii, excæcans infelici Schiſmate infectos, *totumque*, ut Clemens Primus Romanus Pontifex conqueritur, *obtenebrans Mundum*.

Cæterùm cum clariora hæc Signa Veræ Fidei ſint, quàm quæ argumenta, extitiſſe Tullium, aut Cæſarem, aut exiſtere Conſtantinopolim, iis etiam ſuadent, qui eam viderunt nunquam: ſicuti celeberrimos illos viros extitiſſe, hanc exiſtere præclaram Urbem, nullus inficiatur: ita nemo ambigeret, quænam Vera Eccleſia cenſeri debeat. Sed contra humanas veritates nullus pugnat inordinati animi motus, militans contra Divinas, ideoque oculos mentis extinguens.

XI. *Sectæ ferè omnes, & etiam Athei, aliquas Teſſeras Veri conantur afferre. Quàm abſurdæ afferantur ab Hæreticis, etiam ex Confeſſione Lutheri.*

COmmunis adeo, & mortalium omnium animis impreſſa perſuaſio eſt, dari quædam Diſcernicula

Ve-

Veri cultus, quo latentem Divinitatem proſequi deceat, ut ab ipſa Natura nobis ingenita videatur. Nituntur Hebræi Prodigiis, & Prophetarum Oraculis, quæ dilecto quondam Superis Populo ubertim affluebant: fictis Ethnici Portentis, Auguriis, Viſiſque mirabilibus, quibus eis Tartarei Genii lenocinabantur: deluſi Mahometica ſuperſtitione ſuffragari ſibi Cælum arbitrantur Temporali Felicitate, latèque propagato Armis Imperio. Vel ipſi Athei, qui Numina omnia de medio tollunt, Inſaniæ ſuæ Argumenta ducunt ex eo, quod felices hìc frequenter improbos videant, confectos ærumnis probos: non expendentes, Theatrum hoc eſſe frequenter *ludentis in Orbe terrarum Sapientiæ*, quæ Prœmia, & Supplicia, reſpondentia meritis Virtutum, ac Vitiorum, non ſemper hìc reponit; ſed alibi ſemper ſtatuit immortalia.

Ab Hæreſi miſerè dementati ſuas venantur Notas, fidem Erroribus adſtruentes. Sed, quàm ineptæ illæ ſint, & abſonæ, vel pueris liquet. Quas Lutherus, Calvinus, aliaque recentiora Monſtra Perfidiæ, ſolent afferre, ad duas præcipuè revocantur, ad Synceram videlicet Evangelij Prædicationem, & rectam Adminiſtrationem Sacramentorum. Sed Communes hæ ſunt, cunctæque illas Sectæ vindicant ſibi: neque notiores ſunt aliis Veritatibus, quæ infuſa divinitus Fide credendæ proponuntur. Dum autem Signa inquirimus Veram Eccleſiam indigitantia, ea ſunt exhibenda, quæ ſolius Veræ Eccleſiæ Propria eſſe queant, & Senſibus quodammodo ſubiecta, ut ab omnibus, integra mente non deſtitutis, nullo negotio dignoſci valeant, veluti valida ad Prudentem Aſſenſum imperandum. Idcirco fortaſſe, animadverſa ſuorum levitate

Si-

Digitized by Google

Signorum, ſubiectam oculis Eccleſiam eſſe, Lutherus negauit.

XII. *Nulla Signa Veritatis proferuntur à Schiſmaticis. Iactare ſine inſania nequeunt, ut Veræ Fidei Notas, Controverſos ipſos Articulos. Quænam Signa ſapienter tradenda ſint. A noſtris Sectæ omnes, ſed Schiſmatici præſertim, & Hæretici, ſunt impugnandi.*

Nullum inueni a Schiſmaticis allatum, dum ipſorum Opera ſedulo ſtudio percurrerem, a Photio nullum, à Balſamone, aut Marco Epheſio; niſi, quæ Romanis obiiciunt, additam videlicet Symbolo particulam *Filioque*, Azymorum uſum, aliaque hujuſmodi, velint eſſe Characteres amiſſi a nobis Veri Cultus Divini. Hoc autem effugio nihil ineptius excogitari poteſt; peculiares enim hæ ſunt Controverſiæ, non generatim ſumpta Eccleſiæ Veræ Argumenta.

Quod ſi mordicus hærerent in pronunciato, inſultarent ipſis Lutheri Sectatores, affirmantes, multò plura ſibi ſuppetere Signa Veritatis, eò quod plura nobis vitio vertant, vt Incruentum Sacrificium oblatum Immortali Deo, Religioſa Vota, Sacrarum Imaginum cultum, Cælitum Invocationem, aliaque Sexcenta.

Miracula erant a Schiſmaticis afferenda, aut ipſis Miraculis mirabilior Modus, quo Schiſma propagatum fuerit: ut Chriſoſtomus, & Auguſtinus Idololatras hoc telo confodiunt: aut Cæleſtia Prophetarum Oracula, aut hujus generis alia, quibus, inductos prudenter ſe fuiſſe, dicerent, ad ſejungendos ſe a Romano Pontifice, adſpecta-

ſtabili Chriſtianorum Capite, cui per tot Secula adhæſerant. Sed cum ejuſmodi nullum, utcumque ſyluas omnes Errorum perſcrutarentur, aſſequi Signum poſſent, maluerunt, hanc de Notis Veræ Eccleſiæ Quæſtionem non ingredi.

Nos autem, quæ allaturi ſumus, Veræ Manifeſta Signa Eccleſiæ Schiſmaticis ipſis præcipuè obiectamus, tum ob cauſas in Generali Præfatione indicatas, noſtrum erga Chriſtiani Orientis ſalutem ſtudium preſertim incendentes: tum etiam quia, præſtitum hoc ab ullo fuiſſe, minimè compertum habemus. Quæ porrò Veritatis Indicia Schiſmaticos Erroris coarguunt, potiori jure Lutheranos, alioſque Recentiores Hæreticos labefactant, ut ſemper apertiſſimum erit, & a nobis identidem ratiocinando urgebitur.

Plurima ex iiſdem Signis, ac præſertim, quæ Secundo Libro de Veræ Eccleſiæ Sanctitate, ac Sapientia, Propagationis Modo planè Divino, Propheticis dictis, Miraculis, Martyriis, afferemus, evertunt etiam puros Theiſtas, Iudæos, Mahometanos, Ethnicos, atque Atheos.

XIII. *Veræ Eccleſiæ Signa ab aliјs allata, & præcipuè à Cardinali Bellarmino.*

Romanæ autem Aſſertores Religionis plurima, & ad perſuadendum aptiſſima, Veri Argumenta ſolent afferre. Sex protulit Auguſtinus lib. con. Epiſt. Fundam. cap. 4. Hieronymus duo, contra Luciferianos in fine. Recentes Auctores alia addiderunt, ex quibus Sapientiſſimus Card. Bellarminus, qui validiſſima in unum collegit, enumerat quindecim, ſcilicet ipſum Catholicæ

Nomen: Antiquitatem: Durationem diuturnam, nec unquam interruptam: Amplitudinem, ſive Multitudinem, & Varietatem credentium: Succeſſionem Epiſcoporum in Romana Eccleſia, ab Apoſtolis ad nosuſque deductam: Conſpirationem in doctrina cum Eccleſia Antiqua: nexum Membrorum inter ſe, & cum Capite: doctrinæ Sanctitatem: ejuſdem efficaciam in animis convertendis: Sanctitatem Auctorum, ſive primorum noſtræ Religionis Parentum: Miraculorum gloriam: Propheticum lumen: Confeſſionem Adverſariorum: infelicem exitum eorum, qui Eccleſiam oppugnarunt: & fauſtitatem conceſſam illis Divinitus, qui eandem tutati ſunt.

XIV. *Signa indicata in Conſtantinopolitano Symbolo Fidei, à nobis expendenda, ſcilicet quod Eccleſia Vera ſit* Una, *Sancta, Catholica, & Apoſtolica. Rivi manantes à Primo ex Quatuor præcipuis Veritatis Fontibus, ſcilicet Diviſio Primi Signi, petiti ex eo, quod Eccleſia Vera ſit* Una, *in multiplex Argumentum.*

NOs verò, ut maiorem iis, quæ trademus, Signis Auctoritatem conciliemus, ſimulque Lectorum memoriæ conſulamus, ex Primi illa Conſtantinopolitani Concilii Symbolo mutuabimur, quod, *Unam*, *Sanctam*, *Catholicam*, *& Apoſtolicam*, dixit *Eccleſiam*. Quatuor ergo erunt, ut olim è Terreſtri Paradiſo manantes, præcipui Fontes Veritatis, orti ex eo, quod, *Unam* eſſe Veram Eccleſiam, neceſſe ſit, eandemque *Sanctam*, *Catholicam*, ſive Univerſalem, & jure *Apoſtolicam* nuncupatam.

Primum porrò Flumen plures in Rivos tribuemus, oſten-

Digitized by Google

oſtendentes, Unam ſemper, eandemque fuiſſe Romanam Eccleſiam ab ipſa Antiquiſſima Origine. Ipſi per decem omnino Secula generatim fœderatam Græciam, licet plurimæ intercelſerint Græcorum quorumdam velitationes, a pleriſque Græcis damnatæ. Præſcriptionem nobis faventem ob Vetuſtiſſimam Eccleſiæ Romanæ Unitatem, & contrariam Novitatem opinionum, quas amplexi Schiſma, contra Sacrarum Literarum, Traditionum, Pontificum, Synodorum, & Sanctorum Patrum Sententiam, per annos Mille receptam, excogitarunt. Cognitam ab ipſis aſſeclis Græci Ritus neceſſitatem præſtandi Romano Pontifici obſequii, adeoque Unius, eiuſdemque Fidei nobiſcum aſſerendæ, cum Sexdecim omnino vicibus id communi nomine, vel miſſis Romam Legationibus, vel confluentes ad Generalia Concilia, profeſſi ſint. Summum inter ſe, conſtituentium Veram Romanam Eccleſiam, Membrorum nexum, & maximam eorumdem erga ſubiectum oculis Catholicorum Caput Romanum Pontificem venerationem. Nexum hunc Schiſmaticos inter eſſe non poſſe, cum idem Caput minimè venerentur, ſed Quatuor diverſa, quorum unumquodque, nullum in ſe Ius alteri eſſe, opinetur, aliique plurimi Præſules exemptos a Regimine Patriarchalium Sedium ſeſe putent. Inconſtantiam eorumdem in ſuis Aſſertionibus propugnandis, a quibus frequentiſſimè reſilierunt. Certamina tandem eorundem, inter ſe digladiantium, mutuiſque ſe ictibus confodientiũ, in iis affirmandis, aut reiiciendis, diverſaque Interpretatione illorum, quæ, deficientes ab Unitate Romanæ Fidei, ſunt auſi pronunciare. Dum autem Rivos hujuſmodi ſuos in alveos inducemus, in plurimos iden-

Digitized by Google

tidem Paragraphos claritatis gratia partiemur diſputationem.

XV. *Subdiviſio Notæ, petitæ ex eo, quod Vera Eccleſia ſit Sancta, in varias probationes.*

Secundi ampliſſimi Fluminis copiam in ramos, aut brachia plurima derivabimus, oſtendentes Sanctitatem Romanę Eccleſiæ Fundatorum. Perverſitatem oppoſitam eorum, qui primi excogitarunt Errores, quos Schiſmatici ſunt amplexati. Semitam, quam in eiſdem diſſeminandis inierunt, penitus contrariam Sanctitati, quam profiteri tenentur Veritatis Præcones; ut proinde nullus Divinæ Miſſionis character ipſos ornaverit. Ipſius Romanæ Doctrinæ Sanctitatem. Vim efficacem in animis ad cultum veri Numinis alliciendis. Divini Spiritus Unctionem mirificè diffuſam per Libros Catholicorum. Undequaque fulgentem in Profeſſoribus Romanæ Fidei Sanctimoniam, qua poſt exortum Schiſma alii deſtituuntur, ac præſertim Charitate, aliiſque Teſſeris Cæleſtis comprobationis. Magnam vim Romanorum Pontificum eximia virtute præſtantium, & omnium penitus, etiam non reſpondentium moribus Sacratiſſimæ Dignitati, perpetuam in Chriſtiana re procuranda ſolicitudinem. Conſortium Sanctitatis cum Doctrina, quod celeberrimum olim in Græcia fuit, ſed, poſt Seceſſionem infauſtam, deficiens in Oriente, ad hæc uſque tempora viguit inter Latinos. Præſenſionem, & Scientiam futurarum rerum, florentem inter cultores Romani Pontificis. Perpetrata Divinitus ad eorumdem preces Miracula. Aſſertam frequentiſſimè toleratis ſuppliciis Romanæ Fidei veritatem.

tem. Manifeſta Cæleſtis ultionis argumenta in præcipuos Diviſionis Auctores,& univerſam Gentem, ab icto Fœdere in Florentino Concilio deficientem.

XVI. *Signum Catholicæ in plures formas diducendum.*

MUltiplex etiam erit a Tertio exortum Flumine aquarum divortium, dum, ipſum Catholicæ Nomen adminiſtratæ a Petri Succeſſore tributum perpetuò Eccleſiæ fuiſſe, manifeſtis argumentis evincemus. Univerſalem re ipſa cenſendam eſſe,quoad Obiectum:& Loca, quam tot,ac tam varii,etiam in utraque India, Populi venerantur, cuique nunquam defuerunt, nec in præſentia deſunt,ex ipſis Græco Ritui adhærentibus,Sectatores, cum Latinus nemo ad Bizantinos Præſules a Romano Paſtore deficiat.Univerſalem exiſtimandam,quam,ſaltem poſt ſuam,omnium optimam,atq; Veriſſimam ipſi hoſtes profitentur, imo etiam omnino Veram Eccleſiam appellant. Uſurpari non poſſe Univerſalis nomen a Cœtu Schiſmaticorum, aut Hæreticorum, cum Univerſalem nullam Synodum celebraverit, neque porrò celebrare queat. Ejuſdem nominis uſum incaſſum ab illis ambiri, qui ſecum in ipſa profeſſione Schiſmatis,& Hæreſum, mirificè pugnant. Vetuſtatem, imo Tempora omnia, Mores hominum, Traditiones, & Hiſtorias explorando, Latinæ ſolùm Eccleſiæ Titulum Univerſalis,& Catholicæ vindicari. Romano Pontifici convenire Appellationem Univerſalis Epiſcopi, aut ſaltem Epiſcopi Eccleſiæ Univerſalis. Nulla penitus veri Iuris apparentia eandem ſibi a Conſtantinopolis Præſulibus arrogari. Univerſalem fuiſſe Romanam ſingula Tempora recenſendo: talem

lem ab ipſa generatim Græcia perpetuò cognitam: ab Univerſalibus Concilijs: a Sanctis omnibus Latinis, & Græcis Patribus: a Conſtantinopolitanis Patriarchis: ab Alexandrinis: ab Antiochenis, & Hieroſolymitanis.

XVII. Apoſtolicæ Teſſera diſtributa in multiplices Ratiocinationes.

NEque verò areſcet Quarti Fluminis ubertas, antequam in plures alveos diducatur; nam, ſemper Apoſtolicam a Patribus, & Conciliis, appellatam fuiſſe Romanam Eccleſiam, conficiemus. Talem eſſe, quia ab Apoſtolorum Principibus fundata fuit, quod non contigit Conſtantinopolitanæ. Patere, Apoſtolicam eſſe ex modo Fundationis. Ex conſpiratione Doctrinæ cum Apoſtolica. Idipſum a Schiſmaticis, aut Hæreticis, jactari non poſſe. Apoſtolicam eſſe Romanam ob perpetuam in Apoſtolico Throno Pontificum Succeſſionem. Hanc omnino deeſſe Schiſmaticorum, & Hæreticorum, Cœtui. Liquidò conſtare, Apoſtolicam eſſe Romanam, cui ſemper flagrantiſſimo Veritatis ſtudio incenſi Præſules præfuerunt. Ex oppoſito plurimos Bizantinos Antiſtites, infectos Hæreſibus, aut Hæreſum Inventores, fuiſſe. Plurimos etiam Alexandrinos, Antiochenos, & Hieroſolymitanos. Erraſſe nunquam in Fide, præſertim cum ex Cathedra docerent, Romanos Pontifices: veroque verius eſſe, quod Hæreſis nullius Auctores extiterint. Singillatim expendemus Magnanimitatem in defendenda Veritate Pontificum Romanorum ſub Ethnicis Principibus, cum ſecus præſtiterint Patriarchæ ſub Hæreticis, & in præſentia ſub Turcarum Tyrannide. Eorumdem Roma-

manorum Præſulum Apoſtolicam firmitatem ſub Exarchis, & Saracenis. Animaduertemus, immutatum Divinitus Apoſtolico Ritu animum eorum, qui ante Pontificatum ruituri in omne dedecus videbantur. Invictum, ideoque Apoſtolicum, pectus eorum, qui exortu Græci, vel in Græciam deducti fuerunt, ut, ſummo Cæſarum ſtudio quæſitis, ſed indebitis, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ prærogativis conniverent. Apoſtolicam etiam indubiè habendam Romanam Eccleſiam, eò quòd miſſis Præconibus veritatis totum ferè Orbem terrarum Chriſtiana Fide illuſtraverint. Demum quia ſemper iiſdem, quibus ab Apoſtolis fundata fuit, artibus propagetur, effuſo videlicet ſanguine, Prodigiis, & Præſenſionibus futurorum. Ex his ergo plurimis Signis Manifeſtiſſimis Veritatis evidenter conſtabit, prudentiſſimos eſſe, qui Romanæ intra Navim Eccleſiæ continent ſe, vel ad illam poſtliminiò revertuntur, ne ſempiterno naufragio abſorbeantur.

XVIII. *Veritas patens ex eo, quod Eccleſia Vera ſit Una, ſcilicet illa eadem Antiquiſſima, & Mundo Coæva.*

MUltiplici nomine Una eſſe dicitur Vera Eccleſia, & quia Unum, idemque illi Caput eſt Chriſtus, & quia in Una, eademque Fide conveniunt, quos Eccleſia Filios amplectitur. *Unus Dominus, Una Fides, Unum Baptiſma*: Et qui ab hoc vinculo ſolvuntur, & ab unico Chriſti Corpore recedunt, Sectarii appellantur, & Hæretici. Porrò ipſi etiam idem ſibi vindicant Caput, Veræque Eccleſiæ membra ſe eſſe, contendunt. Ut proinde in anguſtias redigantur, alia etiam Unitas explicanda eſt, quam aſſerere ſibi minimè valeant.

Una

Digitized by Google

Una ergo etiam dicitur Vera Eccleſia, quia eſt illa eadem Vetuſtiſſima, quæ fuit inſtituta ab ipſo Deo, cum primùm condita eſt hæc Univerſitas rerum,& poſt adventum Reparatoris noſtri ſolùm mutavit ſtatum juxta Oracula Prophetarum; adveniſſe enim credimus illum, quem venturum Prophetæ prædixerant; ideoque eandem habemus cum Davide, Abrahamo, & Adamo Fidem. Hanc autem Antiquiſſimam,& Unam, eandemque Seculorum omnium Eccleſiam, eſſe Romanam, infra conſtabit.

Interim præfamur: Argumenta, quibus hoc ipſum evincitur, manifeſtum fore Indicium Veritatis, ſaltem apud eos, qui fidem non abnegant Verbo Divino, imo etiam humanæ ipſi ratiocinationi, qua, mentiri, ac decipere Deum, nemo non inſanus in animum ſibi unquam inducet. Decepiſſet autem mortales, ſi pugnantia cum illis, quæ primò eos edocuit, deinde revelaſſet. *Rogo vos, fratres*, inquit Paulus ad Roman. 16. *ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula, præter doctrinam, quam a nobis didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis*. Et rurſus 1. ad Corinth. 1. *Obſecro vos, fratres, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis Schiſmata*. Et iterum ad Hebr. 13. *Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci*. Ac tandem ad Gal. 1. *Licet nos, aut Angelus de Cęlo evangelizet vobis, pręterquàmquod evangelizavimus vobis, anathema ſit*.

XIX. *Una*

Digitized by Google

XIX. *Una neceſſariò eſt Vera Eccleſia; extra quam non eſt Salus.*

QUi ab hac Una Vera Eccleſia conſultò ſejunguntur, Sempiternam deſperent Felicitatem. Quod non adhæret reliquo Corpori Membrum, vitam amittit: præciſus ab Arbore non germinat Ramus: areſcit Rivus ſeparatus a Fonte: in ſola Vinea laborantes denarii mercede donantur: Diluvio ſunt omnes abſorpti, quos Arca Noe nonexcepit.

Eccleſiæ Sponſus eſt Chriſtus: & certè non Adulter, neque filios generat, niſi ex Sponſa ſua Eccleſia. Hinc efficitur, filium neminem eſſe Chriſti, niſi Matrem agnoſcat Eccleſiam. Huc ſpectat celeberrimum illud Cypriani, magni Africæ luminis, ſummoque a Græcis in pretio habiti, pronunciatum lib. de Unit. Eccleſiæ. *Non habet Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem.* Et Auguſtini Latinorum Patrum Sapientiſſimi lib. 4. de Symbol. ad Cathecum. cap. 13. *Si quis abſque Eccleſia inventus fuerit, alienus erit a numero Filiorum; nec habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem.*

Eòdem pertinet Iſaiæ Vaticinium cap. 60. *Aperienter portæ tuæ jugiter: die, ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur.* Quibus verbis prædicit, apertam omnibus gentibus, quæ intrare velint, adeoque ipſis oculis manifeſtam, Eccleſiam fore: & omnes perituros, qui eam non fuerint ingreſſi. Ut proinde mirum non ſit, ſi tam diſertè hoc affirmaverint Sanctiſſimi Patres: ut idem Auguſtinus lib. de Unit. Eccleſ. cap. 19. *Ad ipſam verò Salu-*

tem, ac Vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet Caput Chriſtum. Habere autem Caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in eius Corpore fuerit, quod eſt Eccleſia: Et alibi Epiſt. 50. ad Bonif. Com. in fine: *Eccleſia Catholica ſola eſt Corpus Chriſti, cujus ille Caput eſt, Salvator Corporis ſui. Extra hoc Corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus.* Ac demum. *Quiſquis ergo ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumvis laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quod à Chriſti Unitate disjunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

XX. *Non ſufficit Fides in Chriſtum, ſi negetur aliquis ex Articulis definitis, ex quibus nullus eſt Indifferens ad ſalutem.*

ID ſolum ſubterfugium excogitarunt aliqui, ut in quavis, quæ Chriſtum adoret, Secta ſpes ſalutis affulgeat; quamvis in quibuſdam diſſentiat, quæ Græco nomine ἀδιάφορα hoc eſt Indifferentia, nuncupantur. Omnes idcirco probabiles putant: ut varia Theologorum Lycea de multis altercantia, quæ Chriſtianæ Fundamenta Fidei non convellunt.

Sed enim Theologi quæcumque a Divinis Literis, ab Apoſtolico Throno, a Conciliis, & unanimi conſenſu Patrum, ſancita ſunt, obſequio proſequuntur: neque pertinaci ſuperbia ſuis, veluti Zoophyta ſcopulis, Opinionibus adhæreſcunt: parati eaſdem a paginis, & animo expungere, ſtatimatque Divinus Spiritus, per ſuam in terris Tubam Errori nulli obnoxiam, illas exulare juſſerit ab Academiis. Et experimento quotidie liquet, quod

cum

cum primùm Cenſoria Pontificum, aut Synodorum virga quaſdam ex illis notavit, extinctæ ſunt illico; licet diu multumque floruiſſent, ſtudiosè a magnis ingeniis, & illuſtrium partium Ducibus, irrigatæ. Quamobrem Catholici Doctores, etiam cum diſſentire videntur, concordes re ipſa implicitè ſunt, conſtantiſſimè ea omnia profeſſi, quæ in Divinis Revelationibus continentur juxta ſententiam, quam illis dedit, aut quandocumque adorata Eccleſiæ Auctoritas datura ſit. Schiſmatici verò, & Hæretici, mordicus hærent in dicto, & nauci faciunt quodcumque, contrarium ſibi, Tribunal.

Quis porrò qualitatem, & numerum definivit Fundamentalium Propoſitionum, quibus adhibita Fides, & aliis negata, ſufficiat ad Salutem conſequendam? Non Sacræ profectò Literæ; ſi enim ex illis pateret, quænam ſint Adiaforæ, non fuiſſent ab ipſa Chriſtianæ Fidei origine tot orta diſſidia: nec ad ea pacanda tot fuiſſent coacta Concilia pro agitandis Quæſtionibus, minimè pernecesſariis ad Immortale Regnum comparandum. Non ipſa profectò Eccclesia, damnans, vt putrida Membra, eos omnes, qui quæcumque a ſe, in qualibet materia, definita in animum non admittunt. Ita damnatos fuiſſe conſtabit in plurimis, celebratis in ipſa Græcia, Generalibus Concilijs, qui pernegant, ab ipſo etiam Filio procedere Divinum Spiritum, & Summum Eccleſiæ Univerſæ Paſtorem, ac Magiſtrum, eſſe Romanum Pontificem.

Si Calvini Diſcipulos urgerem, aut Lutheri, ſupereſſe illud, affirmarem, ut, quemadmodum horum quilibet circa Fidei veritatem in ſua falli neſcium Tribunal, & Senatum mente, incredibili arrogantia, molitur, cui

Digitized by Google

præeſſe ſomniat Spiritum Sanctum : ita in diſcernendis Articulis Fundamentalibus, quibus abrogata fides radix ſit Sempiternæ ruinæ, ſe Iudicem unuſquiſque conſtituat. Sed in has Schiſmatici inſanias minimè ſunt provoluti. Eos autem, qui nullam rejiciunt Sacri Codicis paginam, interrogo, qua veritate, aut charitatis Spiritu, Apoſtolus edicere generatim potuerit: *Hæreticum hominem devita*: non infectum ſolummodo, ſed alios etiam contagio afflantem, declarans illum, qui Chriſti cohæres eſſe queat? Qua veritate, aut charitatis Spiritu, Sanctiſſimi Patres, Concilia, & Eccleſia Univerſa identidem Hæreſi, aut Schiſmate imbutos condemnaverit : execrata fuerit: poſſeſſis mulctaverit Sedibus: perculerit fulmine Excommunicationis : Seculari Poteſtati, hæc verò flammis, illos tradiderit? An hoc hoſtili odio, & abominatione in vetuſta Eccleſia ſævitum eſt inter illos, qui diffidebant in Articulis, Cæli aditum minimè prohibentibus?

Quo demum pacto infringent compedes, quas illis injicit hujuſmodi Argumentatio? Si eorum de Adiaphoris Opinioni veritas ſuffragaretur, pares illis eſſemus in probabilitate adipiſcendæ Salutis. Si vera ſit noſtra, negans ingreſſum Cæli inficiantibus ullum ex Articulis ab Eccleſia definitis, Perennis Vitæ ſpes nobis tantùm blanditur. Neutra ſententia, ut ipſimet affirmant, probabilitate caret. Quæ igitur amentia eſt, ultro ſe induere in Sempiternæ miſeriæ diſcrimen, cum poſſis eligere ſecuritatem? Quis cibos mauult, quorumdam opinione venenatos, cum alii ſuppetant omnium confeſſione ſalubres? Quis iter habet per ſemitam Latronibus, didita a plurimis ſapientibus fama, obſeſſam, cum alia præſtò ſit, om-

nium

nium aſſenſu expers diſcriminis? Quis, opinione plurimorum incerto, innititur ſolo, cum hærere alteri poſſit, cui firmitatem ineſſe dubitet nemo?

Fruſtra pluribus rem conficimus contra inſanientes,& ea circa nunquam interituram Felicitatem,aut Miſeriam, ſolicitudine non uſos, quam, ſi de pecuniis ageretur, profectò adhiberent. *Sancta Univerſalis Eccleſia*, Magnus inquit Gregorius lib.4. Moral. cap.2. *prædicat, ſalvari veraciter, niſi intra ſe, non poſſe: aſſerens, quod omnes, qui extra ipſam ſunt, minimè ſalventur*. Quis ergo non omnino demens extra illam conſeneſcat, inani ſpe ſalutis lactatus?

XXI. *Non tamen ſunt extra Veram Eccleſiam Schiſmatici, quos dicimus, Materiales.*

NOn tamen extra Veram Eccleſiam cenſuerim plurimos, qui Sacro fonte luſtrati, & aliorum participes Sacramentorum, ea omnia pronis ad credendum animis amplexantur, quæ ipſis a ſuis Paſtoribus proponuntur: nec, ob ſummam,& vinci neſciam, Inſcitiam, ſuſpicari poſſunt, pabula ſibi præberi falſæ doctrinæ. Ex his, quos Materiales Schiſmaticos Theologi appellant, præſertim Ruſticis hominibus,aut Opificibus, magnam vim eſſe arbitror, cui Cælum patere poſſit; licet alii, quibus de Veritate Controverſarum Quæſtionum rumor, aut ſuſpicio aliqua fuit aſperſa, itaut Craſſa, quam dicunt, & Culpabili Ignorantia veri, demerſi jaceant, fruſtra ſibi de conſequenda Salute lenocinentur.

XXII. *Unitati Fidei non obſtat permiſſa Diverſitas Rituum. Quid ſubſit Nominibus Latinæ, Græcęque Eccleſiæ, cum Vera Chriſti Eccleſia Una tantùm ſit.*

POſt reſeratam neceſſitatem Concordiæ in Una, eademque Fide propoſitis ab Eccleſia, ut revelatis a Deo, Articulis adhibenda, illud ſupereſt, ut nihil huic obeſſe innuamus Rituum in Sacris diſcrimina: præſertim ſi eadem ipſorum diverſitas ſit a Chriſti Vicariis, Sacriſque Conciliis comprobata: ut certè frequentiſſimè fuerunt Latinæ pariter, & Græcæ conſuetudines. Imo præſcriptum a B. Pio hujuſce nominis Quinto (ab ipſa Vaticana Arce ob eximiam virtutem ſpectare promerito Chriſtianam de Turcis in Naupactæo freto Victoriam) Græcis fuit, ne ad Latinum Ritum tranſirent, neve ipſi ad Græcum Latini. Reginæ a Regio Pſalte comparatur Eccleſia, amorem rapiens Sponſi Divini *in Veſtitu deaurato* propter Unam, eandemque Charitatem, & Fidem: *circumdata Varietate* propter Variam in Sacris peragendis Rituum Diverſitatem.

Cæterùm cum Una tantùm ſit, ac eſſe poſſit Vera Eccleſia, & ex Multiplicitate Nominum oriri poſſit ipſa animorum Disjunctio, Sapientiſſimus Nazianzenus, formidari a ſe, dicebat, Appellationes Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ: quæ duplex Nomenclatura originem primò habuit ex Imperii Profani Diviſione, cum cæteroqui Chriſtiani populi ſub Uno, eodemque Rectore Romano Pontifice conquieſcerent. Et nunc iiſdem Nominibus Latinæ, ſive Occiduæ, Græcæque, ſive Orientalis

Ec-

Eccleſiæ, ſubeſſe aliud nihil poteſt, quàm Linguæ, ac Rituum, in Sacris peragendis permiſſa diſcrimina.

SIGNUM I.

Una eſt Romana Eccleſia, cui Unum Caput.

Pronum eſt oſtendere, ſemper Unam, eandemque fuiſſe Romanam Eccleſiam, quæ Unum, idemque Caput perpetuò coluit.

1 EX ipſo Titulo liquet vis Argumenti; Corpus enim, quod Capiti ſemper adhæſit, Unum profectò, idemque perpetuò fuit. Sed a Romano Pontifice, quem ab ipſo Inſtitutore Chriſto Domino impoſitum, veluti Caput ſubiectum oculis, addicto ſibi Cœtui fuiſſe, opportuno loco demonſtrabimus, Romana nunquam Eccleſia receſſit. Una ergo, eademque, ut ab initio fuit, cenſenda nunc etiam eſt.

Multiplex autem ex oppoſito patet Schiſmaticorum Congregatio, quorum una Conſtantinopolitano, Alexandrino altera paret, aut Antiocheno, aut Hieroſolymitano, abſque eo quod uni ex his in alios Ius ullum ſit, ex plurimorum ſaltem ſententia, aut ab uno liceat ad alterum provocare; quamvis honoris tantùm cauſa in Conciliis unus altero nobiliorem occupet Sedem. Quin etiam plurimi ſunt in Græcia Præſules, qui ab omni ſe Patriarcharum poteſtate putant exemptos. Ut proinde non Quatuor tantùm, ſed plures eorum Eccleſiæ habendæ ſint.

Neque verò hoc, diviſæ in plures, Eccleſiæ dedecus, & Falſitatis Argumentum, in Romanam retorquere valent, eò quòd plurimi Latinorum, Chriſti nomine ſuperbien-

bientes, ab illa reſiliant. Hos enim ut Putrida Membra, & Hæreſis veneno infecta, deteſtamur. Schiſmatici autem cuicumque Græco Patriarchæ, aut Præſuli ſubiectos, dummodo Summum Pontificem ejurantes, veluti Legitima, & Sana Eccleſiæ Græcæ membra complectuntur: quam proinde nõ Unam, & Naturali more Capitis Unius, ſed monſtroſam Multiplicis Hydram confitentur.

SIGNUM II.

Antiquitas Unius Romanæ Eccleſiæ.

I. *Unam, eandemque cum ea, quam Chriſtus inſtituit, probatur eſſe Romanam Eccleſiam.*

HAnc ſibi laudem omnes uſurpant, ſed cui eadem convenìat, non arduum eſt demonſtrare. Veram, & Unicam Chriſti Sponſam ab ipſis Græcis habitam per Annos Mille fuiſſe Romanam Eccleſiam, mox oſtendemus. Interim interrogare præſtat, cum ultro nobis Schiſmaticorum plerique concedant, Eccleſiæ Regimen Petro demandatum, & ab ipſius in Epiſcopatu Romano Succeſſoribus exceptum fuiſſe, perque Secula plurima ſine ullo Fidei nævo ſanctiſſimè adminiſtratum: quando nam declinare Pontifices, & Romana cum ipſis Eccleſia, a recta Fidei regula inceperit?

An cum permiſſum eſt inſeri Symbolo particulam *Filioque*? An cum, haud Ordinis ſolummodo Primatum, ſed verum in Chriſtianos omnes Ius Pontifices uſurpaverint? Sed vetuſtiſſimum addendi aliqua publicæ Fidei Teſſeræ morem fuiſſe, neque ullatenus vetitum ab Epheſina Synodo addere illa, quæ nequaquam pugnarent cum ve-

veritatibus antea definitis, neque porrò vetari potuiſſe, ſuo loco patebit.

2 Cur verò poſt Additionem illam, (quæ paulò poſt Sexcenteſimum ab Exortu Reparatoris noſtri Annum contigiſſe fertur) ab Eccleſia Romana non receſſit Græcia, ſed per Quatuor adhuc Secula illam ſequuta generatim fuit: eamque Sexta, Septima, & Octava, deinde celebratæ in Græcia, Synodi veneratæ ſunt: ſi amplius Una, eademque non erat cum Eccleſia a Chriſto inſtituta?

3 Quod autem, ſui terminos Iuris poſt aliquot Secula Romani Pontifices amplificare, adorti non fuerint, manifeſtum erit ex illo, quod primis ipſis Salutis noſtræ Seculis in Univerſum Chriſtianum Populum, omniumque Gentium Epiſcopos, exercuerunt.

4 An verò quis in animum inducere queat, poſt abitum Conſtantini, cum deſtituta plerumque Cæſaribus Roma fuit: cumque Hæretici ſæpe in Oriente imperarunt: Romani Epiſcopi Auctoritatem augeri potuiſſe? Qua ille hoc vi conſequi valuit, ceteris Præſulibus, & ipſis Imperatoribus, conniventibus?

5 Quod hujuſce mutationis in ipſis Græcis Hiſtoricis, Euſebio, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Zonara, Cedreno, Nycephoro, veſtigium extat? Qua hoc tempeſtate, & ubi gentium exerceri incœpit?

Si quando Novus aliquis Error, aut Nova morum facies apparuit, tot illius monumenta ſuperſunt, ut propemodum poſterorum oculis ſubjiciatur. Arii, Macedonii, Neſtorii, Dioſcori, Eutichetis, Nomina, Originem, Dogmata, Tempora, Oppugnatores, Progreſſum

Digitized by Google

Condemnationem, novimus, & propemodum oculis intuemur. Quando igitur, ut egregii Fidei Teſtis verbis utar, Fidem, tantopere ab Apoſtolo celebratam, qui *eam in Univerſo Mundo annunciari*, dixit, ad Romanos 1. Roma perdidit? Quando eſſe deſiit, quod ante fuit? Quo tempore, quo Pontifice, qua via, qua vi, quibus incrementis, Urbem, & Orbem Religio pervaſit aliena? Quas voces, quas turbas, quæ lamenta progenuit? Omnes Orbe reliquo ſopiti ſunt, dum Roma, Roma, inquam, nova Sacramenta, novum Sacrificium, novum Religionis Dogma procuderet? Nullus extitit Hiſtoricus, neque Latinus, neque Græcus, neque remotus, neque citimus, qui rem tantam, vel obſcurè, jaceret in commentarios?

Pudet nos propemodum, refellere Magdeburgenſes Hæreticos, qui Cent. 7. Cap. 1. contra omnem Vetuſtatis fidem affirmare ſunt auſi, Incrementa Pontificiæ Auctoritatis a Phocæ temporibus incœpiſſe, qui Romanum Pontificem Epiſcoporum Caput appellari præceperit. Sed id ipſum Iuſtinianus Senior ante Annos ferè Centum ſcripſerat in Epiſtola ad Ioannem Secundum: Id ipſum Chalcedonenſe Concilium in Epiſtola ad Leonem Magnum: Idemque ipſum perſuaſiſſimum ab ipſo Exortu Univerſæ fuerat Eccleſiæ, ut ex progreſſu Operis unuſquiſque percipiet, & manibus propemodum contrectabit. Conſtantinopolitani ſolummodò Patriarchæ contumaciam ſua illa Declaratione Phocas infregit, cum ille Æqualia ſibi cũ Romano Pontifice Iura arrogaret, adeoque moliri Bicipitem, vt Serpentem Amphisbenam, Eccleſiam videretur.

Cæ-

Cæterùm hujuſmodi a Cæſaribus, & ipſis Conciliis, attributæ Pontificibus Appellationes profeſsæ ſolummodo ſunt, cognitum ab ipſis fuiſse Ius Petro, & ejus Succeſsoribus a Chriſto conceſsum: neque ipſæ fuerunt hujuſce Iuris Origines.

6 Quod ſi tam ignobilis, Phocæ videlicet proles, fuiſſet Pontificiæ Auctoritatis Nativitas, cur Agathonis Papæ ſententiam, per Legatos, & Epiſtolas, ipſius explicatam, ſequuta deinde fuiſset, veluti Cæleſte Oraculum, Sexta Synodus Generalis? Cur decantatum in Septima Symbolum cum additione *Filioque*? Cur Octaua in Adriani Pontificis verba juraſset? Cur ipſe Photius ſupplices ad Nicolaum, alioſque miſiſset Literas, & Legatos, & ab ipſis in Patriarchali Sede confirmari, obſequentiſſimis precibus poſtulaſset?

II. *Novitas nulla irrepſit in Romanam Eccleſiam, ob quam* Una, *eademque non ſit cum illa, quam Chriſtus inſtituit.*

7 PRæter duas jam exploſas, quas dicunt Novitates, alias Romanæ hoſtes Eccleſiæ ſomniarũt, Hæreſi, aut Schiſmate delyrantes. Et Hæretici quidem omnia ferè, quæ a Sacris accepimus Traditionibus, Novitates dicunt, quibus admiſſis Eccleſia defecerit a Priſca Syncera Fidei veritate: quia ſcilicet omnes recipimus Sacrarum Codices Literarum, quorum Numerus ex ipſis Sacris Literis minimè liquet: quia certos Ritus in offerendo Sacrificio ſervamus: quia Sacras Imagines veneramur: quia invocamus Cælites: Deo nos Religioſis Votis obſtringimus: jejuniis ab Eccleſia præſcriptis corpora cruciamus.

Et eò progrediuntur amentiæ, ut, contra manifeſta Sacrarum Oracula Literarum, Novum eſſe dicant, affirmare, Verum Chriſti Corpus adorari, & ſuſcipi in Euchariſtia Sacroſancta: novum, Virtutis Opera neceſſaria eſſe ad Salutem conſequendam: novum, nos eſſe compotes Libertatis, neque Deum Auctorem, & Cauſam criminum: novum, non eſſe penitus deletam in homine imaginem Dei: novum, Divinam Gratiam Donum eſſe animæ infuſum, quod eam ſuo nitore conveſtiat; neque tantùm eſſe Occultationem Delicti, quam qui ſola Fide, aut ſuperba potius Fiducia, comprehenderit, tam certus ſit de Salute, ac ſi jam pridem Cæleſti Regno potiretur: novum, Septem eſſe Sacramenta Eccleſiæ: ut alia mittam innumera, quibus, corruptam a Pontificibus Fidem fuiſſe, ſanctiſſimè pejerant, eò quod Matrimonio præſtantiorem Virginitatem affirmant: negant, Actiones omnes bonas eſſe Peccata: putant demum, ad Chriſtianos pertinere Decalogum.

8 Illud autem omnem profectò ſuperat admirationem, quod, cum hæc omnia, nobis Errori, & Novitati tributa, in Vetuſtiſſimis Patribus legunt, vel eos cum Luthero, ut Inſanos homines execrantur; vel, cum aliis non adeo effrontibus Tartari Emiſſariis, *Nævos* in Patribus dicunt, quas *Hæreſes* in nobis appellant. Supervacaneum eſt, in his immorari, cum omnes ipſorum Schiſmaticorum Manipuli contra Recentes Hæreticos nobiſcum pugnent: & in coactis hoc Seculo, in Ruſſia, & Conſtantinopoli, ſuorum Præſulum Congreſſibus, omnes Lutheri damnaverint inſanias, & Calvini. Non tamen incaſſum hæc recenſuimus, ut in optimo lumine ſtatueremus, quàm

pro-

projectè amentes illi ſint, qui Romanam audent Eccleſiam Novitatis inſimulare.

Quæ porrò, veluti recenter inventa, Trullana Pſeudoſynodus, &c, a ſe ante damnati, Schiſmatis Auctor Photius, carpere in Romana Eccleſia fuit aggreſſus, quàm Vetuſta illa ſunt, quàm Sancta, nullaque erroris labe aſperſa, Deus Immortalis! Vetitum videlicet Sacerdotibus uſum Conjugii: unicuique Divortium, quod novis nuptiis viam aperiat: permiſſum Azimorum uſum: aliaque hujuſmodi, Novitates appellat. Hæc certè præcipua ſunt, præter illa, quæ ſupra recenſuimus, & ab omni erroris labe vindicavimus.

Neque hæc verò Novum aliquid, & in Vetuſtiſſima Eccleſia non receptum, continere, ex ipſis Eccleſiæ Græcæ Magiſtris palam fiet, cum de ſingulis iſtis controverſis Articulis quæſtio inſtituetur. Nunc ſolùm generatim innuimus illa, quæ ſuo fuſius loco exequemur, ut Methodus doctrinæ ſervetur: & ex Communibus Pronunciatis appareat optimæ Cauſæ fiducia. Signum ergo ineluctabile Veritatis Romana ſortitur Eccleſia ex eo, quod Vetuſtiſſima, & omnis Novitatis expers, Una, Eademque perpetuò fuerit.

SIGNVM III.

Græciæ nobiſcum Conſenſus per Decem Secula.

I. A Græca generatim Eccleſia per Annos Mille cognita fuit Romana, ut Una*, eademque omnium Princeps, quam in Petro Chriſtus fundavit: ac primò agitur de obſequio a Græcis præſtito Romanis Pontificibus per annos Trecentos ante Primum Generale Concilium.*

QUoſdam ſolummodo flores ab innumeris referto viridario incurioſa manu decerpimus, cum idipſum in diverſas areolas diſtributum nobis iterum ſit inviſendum, Tertiam Univerſalitatis Eccleſiæ, per Tempora omnia, & Loca latiſſimè diffuſæ, Notam ſtudioſius expenſuris.

9 Mitto inſtitutas a Petro Patriarchales Alexandriæ, Antiochiæque Sedes, quarum ſupra cæteras Imperium non a Chriſti Domini Decreto, ſed ab ejuſdem Petri Arbitrio profectò manavit. Mitto datos ab eodem plurimis Græciæ Urbibus Epiſcopos: præſcriptas a Lino, Cleto, aliiſque Antiquiſſimis Pontificibus Orientali etiàm Eccleſiæ Leges miſſis Epiſtolis, quarum veritatem, auctoritatemque, omnium obedientia comprobatam, ne ipſi quidem vetuſta eruditione aſperſi Græci vocant in dubium.

10 At quod illuſtrius documentum agnitæ a Græcis Supremæ in Romano Antiſtite Poteſtatis, quàm quod ab illo peterent ſolutionem omnium, quæ circa Fidem orieban-

bantur, Controverſiarum, cum ad Synodos confluere, regnantibus Ethnicis, prohiberentur?

11 Quis præter illum damnavit Hæreſes omnes, ex quibus tot uſque ad ſua tempora exortas enumerat Irenæus, qui Secundo Seculo floruit: & ad Romanam, *Propter Potentiorem Principalitatem, omnes congregandas dicit Eccleſias*?

12 An non ad illam Irenæi Magiſter, & Ioannis Apoſtoli diſcipulus, Polycarpus Smirnæ Epiſcopus confugit ob quaſdam exortas de Paſchate quæſtiones?

13 An non omnes Aſiæ Minoris Epiſcopi ſuæ circa idem Paſcha opinioni, contra communem Eccleſiæ ſenſum, obdurato animo addicti, & ob id Anathemate a Victore Romano Pontifice perculſi, cohorruerunt: in quo nimis ſeveram aliqui indolem, Poteſtatem autem carpere nullus eſt auſus?

14 An non per conſequentia etiam Secula, cum, convenire Præſules ad Concilia, expeditum erat, plures vel a ſolis Romanis Præſulibus, vel ab illis particulares Synodos, falli neſcia ceteroqui Auctoritate non pollentes, approbantibus, proſcriptæ ſunt Hæreſes, vt Apollinarii a Damaſo, Pelagii ab Innocentio Primo?

15 Quid, antiquiſſimus ille mos porrectæ in Orientem Eccleſiæ graviſſimas quaslibet, etiam Antiſtitum, Cauſas Romam afferendi, per conſequentia etiam Secula perpetuò ſervatus?

II. *Octo Generalia Concilia, in Græcia celebrata uſque ad annum 860. Unam, eandemque aliis præſidentem, Romanam Eccleſiam conteſtantur.*

16 ACturi ſingillatim de ſingulis Conciliis tria ſolū hìc innuimus Argumenta propoſitæ in titulo veritatis. Primum, quia nullum non jubente, vel annuente ſaltem, Romano Pontifice coactum eſt: omnia palam illo indicente coaluerunt. Reclament, licet, Hæretici, Quartum certè Sexcentorum triginta Epiſcoporū Chalcedonenſe Concilium ſedere inter alios Dioſcurum Patriarcham Alexandrinum prohibuit, quòd is ſine Poteſtate Apoſtolicæ Sedis alium Epheſi Conventum indixiſſet: & graviſſima Concilij verba ſunt: *Licuiſſe nunquam, neque factum eſſe*, vt hanc jubendi Synodos prærogativam quiſquam Romæ Senioris Epiſcopis uſurparet. Socrates certè, ac Sozomenus, licet Novatianis erroribus inquinati, diſertè affirmant lib. 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 7. *Non licere inconſulto Romano Pontifice Canonicos Cœtus, ſeu Concilia, præſertim Generalia, convocari, & Canones Eccleſiaſticos condi*. Sanctus profectò Conſtantinopolitanus Martyr Stephanus, cujus triumphalem memoriam 28. Novembris die celebrant Græci, ex hoc capite in Iconoclaſtarum Satanicum Congreſſum ſapienter invectus: *Quomodo vos*, ajebat, *veſtrum Conciliabulum, Sanctum et Oecumenicum Concilium appellare audetis: cui non eſt aſſenſus Romanus Papa, ſine quo nihil in rebus Eccleſiaſticis poteſt canonicè concludi*.

17 Alterum, ex quo efficitur id, quod oſtendendum aſſumpſimus, Argumentum eſt, quod Primus ſemper lo-

cus Pontificiis Legatis in omnibus Conciliis eſt attributus ſupra ipſos Alexandriæ, & Conſtantinopolis Patriarchas; quamvis Legatorum aliqui Sacerdotali tantùm, non Epiſcopali etiam dignitate præſtarent: Ipſi Cœtibus præſidebant. Primi ipſi Decreta Synodalia ſubſcriptione firmabant. Neque hic certè honor illis, ut hoſpitibus, habebatur; longius enim Bizantio, Nicæâ, Chalcedone, & Epheſo, Ægyptus, & Palæſtina, vnde plurimi Præſules confluebant, quàm Roma, diſtabat.

18 Quælibet demum Synodus OEcumenica Romam Acta Synodalia cum ſupplicibus, & Pontificiam Confirmationem petentibus, Literis dirigebat, cum probè compertum eſſet, nihil, ut firmum, & ſtabile, ab Eccleſia Catholica recipiendum, cui Supremam Romanus Pontifex manum minimè impoſuiſſet. Hoc Secundus, idemque Tartareus conſpirans Epheſi Cœtus: & *miratus* Arimini, ut Hieronymi verbis utar, *Arianum ſe eſſe* in ſuis Sacrorum Præſidibus *Orbis Terrarum*, expertus eſt, cum vterque Conventus, ut infauſtus Nubium, & Cometarum turbo fuerit omnium execrationibus appetitus, eò quòd Romanus illum Sol ab Eccleſiæ Cælo depulerit.

III. *Sancti Quatuor Eccleſiæ Græcæ Doctores, ut Unicam, aliiſque ſecum conjunctis imminentem, venerantur Romanam Eccleſiam.*

19 CUjus, niſi Iulii Romani Pontificis, Præſidium imploravit Magnus Alexandriæ Præſul Athanaſius, ab Euſebianis per ſummam calumniã inſimulatus? Ad quem confugit, niſi ad illum, quem ipſe, imo etiam hoſtes, Arii Sectatores, ut Univerſarum Controverſiarum,

quæque antea in Athanaſium Sententiam tulerant, Synodorum Iudicem agnoſcebant? Quis ineluctabilem illum Veritatis Aſſertorem amantiſſimè amplexus, inſontem declaravit: ſuæ Sedi reſtituit: ac deinde ſæpius ſtrenuiſſimè tutatus eſt, niſi Iulius idem? *Cum*, Sozomeni verba ſunt lib. 3. cap. 7. *propter Sedis dignitatem cura omnium ad eum pertineret*.

20. Extant Magni Baſilii ad Synodum Damaſi Literæ, quibus Eccleſiæ Orientalis, ab Hæreticis exagitatæ, curam illi commendans, Unamque cum condita a Chriſto Servatore, eamque nobiliſſimam partem, profeſſus, eſſe Romanam, Epiſt. 70. *Unius*, ait, *Corporis membra ſumus: non dicat Caput pedibus: non eſtis mihi neceſſarii,&c.* Et Epiſt. 77. miſſâ Romam per Petrum Presbyterum: *Si ad nos volueritis venire, & a nobis rerum noſtrarum exigere rationem, obviis vos excipiemus manibus, Veſtroque nos ſiſtemus Examini: aut ſi locum Iudicii deſignare malueritis, debitum veniendi explebimus.* An non judicandum ſe Romano Pontifici offert Sapientiſſimus, idemque Sanctiſſimus Doctor: eumque maniſeſtè ſuum *Iudicem*, & Unicæ *Caput* Eccleſiæ profitetur? Idemque Epiſt. 182. mirificè ſuffragatur huic veritati, cum Romanam Eccleſiam Novitate nulla a Vetuſtiſſima Fidei Regula receſſiſſe affirmans, dicat, *Eccleſias Occidentales immaculatam retinere Fidem, & inconcuſſam doctrinæ Apoſtolicæ ſtructuram conſervare; Orientales autem Cœnodoxiæ ſtudio Novitates venari.*

21 Spirat adhuc in Divinis Gregorii Nazianz. de Vita ſua Carminibus, de Sacra Romani Pôtificis Orbi Chriſtiano Univerſo Iura dividendi Poteſtate, perſuaſio, cum diſertè

tè pronunciet: RomanamEccleſiam ſemper conſervaſſe veram de Deo ſententiam, *ut decet Urbem, quæ toti Orbi præſidet*. Humano autem Imperio certè non præerat; regnante tunc enim Theodoſio, & Occidentem etiam gubernante, Sedes Imperij Conſtantinopolis erat. Sacri ergo Regiminis vim extollit: quam facto etiam eximiè veneratus eſt, cum maluit Epiſcopatu Regiæ Urbis cedere, quàm a Conſtitutione Damaſi de Antiocheno Patriarcha avelli. Idem cum Apollinariſtæ mentirentur, ſe a Damaſo in Communionem receptos, ita eis reſpondet in Epiſtola 1. ad Cledonium: *Si a Damaſo Papa recepti ſunt, probent, & nos contenti erimus, quia manifeſtè patebit, eos eſſe Orthodoxos, ſi verè ab Eccleſia Romana recepti ſunt: neque aliter eſſe poteſt.*

22 Ioannes verò Chriſoſtomus, ut ex Prima, & Secunda illius ad Innocentium Pontificem litera manifeſtiſſimum eſt, pauca quarum verba decerpimus, ejuſdem omnino ſententiæ fuit: *Studium veſtrum, & magnam diligentiam adhibete, quò retundatur hæc, quæ in Eccleſiam irrupit, iniquitas. Obſecro, ut ſcribas, quod hæc tam iniquè facta non habeant robur: illi autem, qui iniquè egerunt, pœnæ Eccleſiaſticarum legum ſubjaceant. Nobis verò, qui nec convicti, nec redarguti, Literis veſtris, & charitate, aliorumque omnium, quorum antea fruebamur, Societate frui concedito*. Et in ſecunda. *Perpetuas vobis gratias agimus, quod Paternam erga nos benevolentiam declaraſtis. Oro veſtram vigilantiam, ut ſi curari a morbo voluerint*, loquitur autem de ſuis Adverſariis, *ne affligantur, neque a Cœtu abjiciantur*. De Fide tandem, & Charitate Pontificia, concludens ait: *Hic no-*

Digitized by Google

ſter murus, hæc ſecuritas, hic portus, hæc lætitiæ cauſa eſt. Quid potuit luculentius dici (& quidem ab, omnis oſore adulationis, Sanctiſſimo viro, ob ejus criminis deteſtationem in exilium ſæpius amandato) ad oſtendendam Poteſtatem Romani Pontificis medendi morbis Orientalis Eccleſiæ: Statuta, etiam Synodalia, Epiſcoporum irritandi: a Fidelium Cœtu ejiciendi Orientis Epiſcopos, & Patriarchas?

23 Quatuor ergo Eccleſiæ Græcæ Columnæ Petri Cathedram obſequentiſſimè fulciunt, quam omnes non ſolùm præconiis exornarunt, ſed *ad illius omnes Tutelam confugerunt*.

IV. *Eadem Uniuerſæ Græciæ primis decem Seculis fluentibus de Romanæ cum Apoſtolica Unitate Confeſſio multiplici argumento comprobatur.*

NON hìc Sapientiſſimorum aliorum ex Græcia Patrum Exercitum producimus in arenam, quos nobiſcum pro veritate pugnaſſe, ſuo loco, eorum aurea dicta, & heroica facta recenſendo, conſtabit. Supremos Quatuor Sacræ Militiæ Duces, pro defendenda Majeſtate Apoſtolici Throni pugnantes, indicaſſe ſufficiat.

24 Non immorabimur in Pontificiis Apocriſariis, plerumque Conſtantinopoli excubantibus, ne aliquid incommodi Catholica Religio pateretur. Non in Vicariis Romani Pontificis in Oriente: quod Munus plerumque Theſſalonicenſi Metropolitæ conferebatur: eoque nomine urbs illa tanta Cleri frequentia redundabat, ut modus imponendus fuerit Cauſis, quæ ad illius Tribunal devolvebantur. Non in Appellationibus, a Mino-

rum

rum Præſulum, & ipſorum Patriarcharum, & Synodorum, Sententiis, ex Oriente Univerſo ad Romanum Pontificem provocantium.

25 Sed prævaricatio cauſæ videretur, illud prætermittere, quod non ſemel urgebimus, & Exemplis ipſorum Rebellionis Ducum ponemus ob oculos: Miſſam videlicet Romam a quatuor Principibus Græciæ Sedibus ſuæ Fidei Profeſſionem, ut pateret, Unam, eandemdemque eſſe cum illa, quæ ab Apoſtolica nunquam defecerat Romæ. Suppliciter flagitatum, ut a Romano Sacrorum Præſide in eorundem Communionem reciperentur. Petitam in Paſtorali Munere Confirmationem. Exceptum cum eximia obſequii ſignificatione Patriarchale Pallium, a Pontifice Romano ſubmiſſum.

Viguit hæc Bizantii, etiam poſt Photii tempora, conſuetudo, uſque ad annum Trigeſimum Quartum ſupra Nongenteſimum, quo Albericus Romanus Tyrannus, muneribus Conſtantini Imperatoris corruptus, a Ioanne Pontifice in carcerem conjecto, per vim, & nefas extorſit, ut adoleſcenti Conſtantini Filio Theophilacto Pallium conferret: ſimulque Conſtantinopolitanos Patriarchas ab onere petendi ab Urbe Roma Pallii eximeret in futurum. Ab eo primùm tempore, hoc privilegio per Tyrannidem extorto, Pallium ipſum, ſuæque Electionis Confirmationem, Româ petere deſiere.

26 Sed hoc ipſum inviĉtiſſimum Argumentum eſt, illam eò uſque Eccleſiàm ſubjectam Romanæ fuiſſe. Neque verò ab illius Iuriſdictione in poſterum exempta cenſeri poteſt, eò quòd hanc ab illa Prærogativam violenter extuderit.

Ne-

Neque tunc Publicum Orientalis ab Eccleſia Romana Divortium erupit; licet enim Sergii Diſſidium coortum fuerit, tamen poſt annos quindecim miſſa Romam fuit a Baſilio Imperatore, & Euſtatio Patriarcha Legatio perhonorifica, & ampliſſima munera, ut OEcumenici Titulus diu ambitus, & iniquè ab aliquibus uſurpatus, Conſtantinopolitano Præſuli aliquando tandem annuente Pontifice tribueretur. Et licet plurimi largitionibus corrupti connivendum perſuaderent, ut Univerſalis, hoc eſt plurimis Orientis Provinciis imminens, diceretur; propoſiti tenax, & immota negando hæſit firmitas Apoſtolica. Neque idcirco Græci palam a Fidei Conſortio deſciverunt, a quo non alienus fuit Alexius Patriarcha decedens anno 1043. cui Michael Cerularius ſucceſſit, conatus ad Rebellionem ſuos accendere, ſibique tribuens Principatum Sacrorum: quandoquidem improſperè illi ſucceſſerat conſilium humani Imperii invadendi; actuſque in Exilium fuerat a Ioanne, fratre Michaelis Imperatoris, ob Tyrannidem affectatam.

Iamque, ut opinor, ex his Hiſtoriæ floribus delibatis, ſatis in aperto eſt: per Annos pluſquam Mille adhæſiſſe Romanæ Græcos Eccleſiæ, ut Uni, Eidemque cum illa, quam Chriſtus Auctor fundaverat.

SI-

Digitized by Google

SIGNUM IV.

Græciæ Recentioris Atteſtatio de Romanæ cum Vetuſtiſsima Eccleſia Unitate.

I. *Ab Undecimo, & conſequentibus Seculis Græca Eccleſia non receſſit penitus a Latina, quam, Unam eandemque cum Apoſtolica eſſe, negaverit; imo frequenter illi ſe iterum agglutinavit.*

QVi miſeram Quatuor Principum Græciæ Sedium ab Apoſtolico Throno Seceſſionem nunc intuentur, vix in animum queunt admittere præteritum Obſequium, ab iiſdem per omnes Ætates præſtitum Romano Antiſtiti. Sed collatis, ut inquit Cicero, tabulis, hoc eſt expenſis locis innumeris Auctorum omnium, tum addictorum Romæ, tum hoſtilem in nos animum profitentium, manifeſti eos erroris coarguit Leo Allatius Chius eruditiſſimus vir, Primus Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos, vivaque ipſe Bibliotheca, in inſigni Volumine de Perpetua utriuſque Eccleſiæ Conſenſione: quod Opus fruſtra execrati Recentiores Hæretici, nunquam tamen infringere potuerunt Achillæam Haſtam Auctoritatis Græcorum omnium, nobis adſtipulantium in iis, quas Lutheri, & Calvini phalanx Romanas Novitates appellat. Id ipſum ante Allatium tentaverat Corteſius Brana Ceraunius in aureo Libello de Uno, eodemque a Græcis, & Latinis ſervato ſacrificandi more: & ulterius progreſſus Petrus Arcudius Corcyræus: ipſe etiam, ut Allatius, & Brana, Collegij Græcorum Alumnus: Uniformitatem oſtenderat Græcorum, & Latinorum in Septem Eccleſiæ Sacramentis adminiſtrandis.

Uti-

Utinam quemadmodum doctiſſimi, Divinæque gloriæ ſtudio flagrantiſſimi viri hoc unicum Argumentum, a præterita Conjunctione petitum, egregiè pertractarunt: ita innumera alia, quæ nobis ſuppetunt ad Rebelles in noſtram ſententiam pertrahendos, Veræ Fidei Signa expendiſſent. Pauciores, opinor, nunc hærerent in caſtris Schiſmaticorum.

27 Ex iis verò, quæ conſequenter hoc in Libro afferemus, liquidò comperient Lectores: utcumque ſæpius per ultima Secula Rebellionis tuba in Græcia inſonuerit; vix unquam tamen, &, ſi ſemel, & iterum, breviſſimè certè, per Annos Mille quadringentos, Patriarchas omnes a Romano fuiſſe abjunctos: Frequenter omnes ad obſequium illi præſtandum regreſſos: Sæpius initam in OEcumenicis Synodis Eccleſiarum Pacem; donec poſt captam a Turcis Conſtantinopolim, ſimul dedere Infelicis,& Superbi Diſſidii Pœnas: ſimulque ipſum, cujus cauſa plectebantur, Defectionis Crimen auxere. Quamvis non defuerint,etiam poſt Græci Everſionem Imperii,plurimi ex ipſis perſtantes in Unitate Romanæ Fidei,aut ad eandem poſtliminiò revertentes: quod, præſtitum hoc ipſo,quod agitamus, Seculo fuiſſe a Tribus Conſtantinopolis Patriarchis, oſtendemus.

II. *Na-*

II. *Natæ per annos Mille quadringentos in Oriente Hæreſes, & audacia quorumdam molimina, ſemel tantùm, aut iterùm, ſed breviſſimè, Patriarchis omnibus recedentibus ab Unitate, nihil obſtant Perpetuæ Græcorum cum Romana Eccleſia Conjunctioni.*

ILlud ſupereſt diluendum, quod ex tot in Græcia natis Hæreſibus, contra Græcæ, Latinæque Fidei, aſſertum a nobis, Conſortium, videtur inſurgere: ſimulque ex Diſcordiarum Seminibus, jactis ab illis, qui Patriarchæ nomen Bizantino Præſuli arrogarunt: exortis in Frutices ex primo, quem idem Præſul ambivit, poſt Romanum, in Conciliis locum: adultis in infauſtæ Arboris Truncum ex OEcumenici Titulo a quibuſdam jactato.

Sed Hæreſum in primis colluvies veram Græcorum Eccleſiam non inquinavit: perinde ac non deturpant Latinam latè nunc ſparſi per Occidentem Errores; neque enim inter Eccleſiæ, a qua ſunt abſciſſi, Membra cenſentur Hæretici. Plurimi ſyncerae Fidei Sectatores, & plerique ferè ſemper Animorum Paſtores, nobiſcum eadem ſentientes, etiam dum maximè gliſcerent Hæreſes, in Oriente floruerunt, qui publico nomine Græcæ Fidem Eccleſiæ repræſentabant.

Quamvis autem frequenter Anteſignani damnatarum opinionum, nec raro Auctores fuerint ipſi Conſtantinopolis Patriarchæ; nulla ex hoc labes redundat in alios Præſules, qui eiſdem minimè ſuberant. Sed hinc ſolùm evincitur, Bizantinam Eccleſiam non eſſe illam, cujus integram Fidem nunquam defecturam ſpopondit Chri-

Digitized by Google

ſtus, ſed Romanam, quæ proinde ſemper integram, illibatamque ſervavit: ſemperque Romæ Petri Navis, ad inſtar Noemicæ Arcæ, innatavit incolumis ſupra Eluvionem Errorum, plurimos aliquando in Univerſo terrarum Orbe propemodum abſorbentium.

Quæ verò primas affectando Sedes, & vaniſſima Nomina, moliti ſunt Antiſtites Conſtantinopolitani, cauſæ nihil officiunt; neque enim aliorum Græcorum calculis audacia hæc tentamenta probata ſunt: & ille præterea, qui omnium maximè vanis iſtis Nominibus inhiavit, ſcilicet Photius, miſſis obſequentiſſimis Literis, & Legationibus, ut ſibi eadem uſurpare liceret, a Romano Pontifice flagitavit: cui proinde ſubiectum ſeſe, dum hæc *ſerviliter*, ut inquit Tacitus, *propter Dominationem* faceret, profeſſus eſt.

Illud certè conſtat, tam infixum Græcis univerſim fuiſſe, Unam, Eandemque cum inſtituta a Chriſto, & Romam inducta a Petro, perpetuò Romæ ſervatam Religionem fuiſſe, ut ante Balſamonem, qui Duodecimo Seculo vixit, Græcorum nullus auſus fuerit Latinos Hæreſis calumniari. Ipſum verò manifeſti erroris arguerunt Schiſmatici ipſi; qui eadem tempeſtate ſcripſerunt, ut, cum ad ea ſingillatim tempora deveniemus, agentes de Romanæ per Secula omnia Eccleſiæ Univerſalitate, allatis in medium eorum verbis demonſtrabimus.

Digitized by Google

SIGNUM V.

Firmamentum Præſcriptionis.

I. *Ex Antiquitate, ac Diuturna, nec unquam abrupta Duratione, Unius, Ejuſdemque Romanæ Fidei, quam ipſimet Græci per Annos ſaltem Mille nobis conſentientes profeſſi ſunt, oritur Præſcriptio Veritatis: & erumpentis deinde Diſſidii Novitas, manifeſtum eſt Argumentum Falſitatis, qua Schiſmatici laborant, & Hæretici.*

Ac primò oſtenditur, Antiquam Fidem retinendam eſſe.

INfuſam ab ipſo Deo primis mortalium Parentibus, adeoque Mundo ipſi coævam, in venturum humani generis Reparatorem Fidem: & ab eodem, ſuo terras Adventu dignato, aliorum explicatione Arcanorum auctam: & in relicto a ſe Vicario ſui Muneris, Religionis Magiſtro, & falli neſcio Dubiorum Interprete, ſtabilitam, quicumque ſervare abnuat, is enimverò è mentis ſtatu dejectus habendus eſt. Suam omnia ſunt ad Originem revocanda, præſertim ſi nobilis illa fuerit, & ſalutaris.

28 Quæcumque naſcatur in materia Fidei controverſia, id omnino credendum eſt, quod Antiqua nobis proponit Eccleſia, Veritatis Magiſtra. *Quid enim*, inquit lib. 3. cap. 4. Irenæus, ex Græcia profectus ad Gallias ſuo calamo, & ſanguine illuſtrandas, *& ſi de aliqua modica Quæſtione diſceptatio orta fuiſſet, nonne oporteret in Antiquiſſimas recurrere Eccleſias, & ab eis ſumere de præſenti quæſtione, quod certum, & re liquidum eſt.*

Ad Romanam verò, *propter ſuam principalitatem*, alibi dicit, *omnes congregandas*.

Tertullianus autem idipſum graviſſimè urgens lib. de præſcript. *Quid*, ait, *prædicaverint Apoſtoli: quid illis Chriſtus revelaverit, & hìc perſcribam: non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, & Matricibus, & Originalibus Fidei conſpiret, Veritati deputandam: reliquam verò omnem de Mendacio præjudicandam*. Hæc ingenioſiſſimus Afer, nondum a Montani œſtro correptus, qui hoc gladio, effuſa deinde a ſe in publicum, portenta Hæreſum, antequam pareret, jugulavit.

29 Præcipuam porrò ab Apoſtolis fundatam Eccleſiam, & verè *omnium Matricem* eſſe Romanam, conſtat ex dictis, & ex dicendis in Operis decurſu clarius meridiana luce conſtabit. Interim innuo, inter aliarum cunas prorepſiſſe Serpentes, nam ab Apoſtolo arguuntur Corinthii 1. Corin. 1. 1. Corin. 15. quod docerent, non eſſe futuram Reſurrectionem: & Galatæ per totam ferè ad ipſos datam Epiſtolam reprehenduntur, quòd affirmarent, ſervandam eſſe Legem Moſis cum Evangelio.

Satum primò veræ doctrinæ Triticum in Eccleſia Vetuſtiſſima fuit, & ſuperſeminata deinde Zizania; ideoque ad hæc colligenda, & in ignem Tartareum amandanda, ad Romanam recurrendum Eccleſiam, quam ab Apoſtolo ſine exceptione laudatam comperimus.

II. Ve-

II. *Vetuſta Eccleſia prius, quàm Sacræ ipſæ Literæ, conſulenda eſt.*

30 NE ad ipſas quidem Sacras Literas a nobis prius, quàm ad Antiquiſſimam Eccleſiam, provocandum eſt; priùs enim debet eſſe notus Cuſtos Theſauri, quàm Theſaurus, & Doctor, quàm Doctrina, cum a Doctore petatur Doctrina, non contra. Ideo potius Eccleſiæ Vetuſtas eſt Veræ Prædicationis Signum, quàm Vera Prædicatio (hanc enim omnes vindicant ſibi) ſit Indicium Veræ Eccleſiæ. Et profectò Vera Prædicatio eſt Vera, Veræque Scripturæ Interpretatio. Quæ autem Vera Scriptura ſit, & quis verus ejus Senſus, ſcire nequimus, niſi ex Teſtimonio Veræ Eccleſiæ: vt Auguſtinus docet lib. contra Epiſt. Fundam. cap. 5. & lib. de Util. credendi cap. 14.

31 Quia frequentiſſimum Eccleſiæ hoſtibus eſt, ad Sacras Literas laceſſere, illis præſertim, qui eas pro arbitrio detruncant, immutant, Libroſque integros ex Catalogo Bibliorum expungunt, juvat, in hoc ulterius argumento immorari. Hiſtoriam aliqui Machabæorum eliminant: ipſi ſemper, aut nunquam, hærendum Literæ, aliqui autumant: ex quo fiet, è Regno Cælitum excludendos eſſe Calceatos, aut etiam in ipſum introducendos Adulteros, atque Fures; quia *Calcei*, alicubi, ut alibi *Furta*, & *Adulteria* in Sacris Literis prohibentur: neque minus *Petræ*, & *Agni*, quàm *Hominis* naturam in Divinæ Conſortium aſſumptam fuiſſe, opinabimur, quia *Petram*, & *Agnum* appellari legimus Chriſtum.

32 Si verò ex plurimis, aut detruncatis, aut integris, quæ

quæ proponantur, Utriuſque Teſtamenti Voluminibus ſuo unuſquiſque ductu, abſque Eccleſiæ Auctoritate, illud certò ſeligere poſſet, quod afflante Divino Spiritu fuit exaratum, Prodigium eſſet majus illo, quo in unam, eandemque ex Hebraico Textu Græcam Verſionem Septuaginta Interpretes conſpirarunt. *Alius manu*, dixit Tertullianus lib. de præſcript. cap. 39. *alius ſenſu Expoſitiones intervertit. Neque enim ſi Valentinus integro teſtimonio uti videtur, non callidiore ingenio, quàm Marcion, manus intulit veritati. Marcion enim exertè, & palam, machæra, non ſtylo uſus eſt, quoniam ad materiam ſuam cædem Scripturarum confecit; Valentinus autem pepercit, quoniam non ad materiam Scripturas, ſed materiam ad Scripturas excogitavit.* Et infra. *Non periclitor dicere, ipſas quoque Scripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, ut Hæreticis materias ſubminiſtrarent, cum legam: Oportet, & Hæreſes eſſe: quæ ſine Scripturis eſſe non poſſunt.*

Hinc efficitur, ad Vetuſtam prius Eccleſiam, in his, vel illis Sacris Paginis, earumque Vera Interpretatione admittenda, convenientem, quàm ad ſacras ipſas Paginas, confugiendum eſſe: ex quibus ceteroqui Hæretici omnes in Catholicos, Iudæi in Chriſtianos, imo ipſe in Chriſtum Diabolus, perperam adhibita arma deprompſit.

III. *Diuturna, nec unquam abrupta Eccleſiæ Romanæ Duratio maximum illi pondus addit Auctoritatis.*

De illa vaticinatus eſt Daniel Cap. 9. commendans *Regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Contra illam Portas Inferi minimè prævalituras ſpopondit Chri-

Chriſtus. Regium illa Flumen eſt areſcens nunquam, cum ſecus accidat cænoſis Rivis Errorum, quos deſcribens Auguſtinus in illud Davidis Pſalm. 57. *Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens*, ait: *Non vos deterreant, Fratres, quidam fluvii, qui dicuntur torrentes: decurrit aqua, ad tempus perſtrepit, mox ceſſabit: diu ſtare non poſſunt. Multæ Hæreſes iam emortuæ ſunt: cucurrerunt in rivis ſuis, quantum potuerunt, decurrerunt, ſiccati ſunt rivi: vix eorum memoria repetitur, vel quia fuerint.*

33 Quod ſi Romanæ Flumen Eccleſiæ ab Apoſtolica Origine limpidiſſimum, aliqua tandem voragine fuiſſet abſorptum: quodque fluit in præſentia, Novum eſſet, & ab Antiquo curſu detortum, illius Auctor deſignaretur, neque omnes de hoc Hiſtoriæ prodigio conticeſcerent. Ab illo nobis tot, ſemper Romam allatrantes, Hæretici Nomen impoſuiſſent: ut Macedoniani, Neſtoriani, Iconomachi dicti ſunt, qui ab inficientibus Conſtantinopolitanam Eccleſiam Errorum Magiſtris promanarunt. Cum hoc præſtare nequiverint, liquet, Unam, eandemq; cum Apoſtolica Romæ perpetuò Eccleſiam perduraſſe.

34 Illius, tot ſuffragio Seculorum amplificatæ, Auctoritati inſiſtendum eſt. *Brevem*, inquit Hieronymus in extremo Dialogo adverſus Luciferianos, *apertamque animi mei ſententiam proferam: In illa eſſe permanendum, quę ab Apoſtolis fundata uſque ad diem hanc durat.* Et Auguſtinus: *Dubitamus, ait, nos illius Eccleſiæ condere gremio, quæ ab Apoſtolica Sede per Succeſſiones Epiſcoporum, fruſtra Hæreticis circumlatrantibus, culmen Auctoritatis obtinuit?*

IV. Fir-

IV. *Firmamentum Præſcriptionis, in ipſa Vetuſtate, Diuturnaque Romanæ Eccleſiæ Duratione, conſiſtens.*

35 UT in Civilibus rebus, qui diu poſſeſſum a Parentibus, & Avis, Agrum, aut Regnum fuiſſe, nunquam interrupta ſerie, comprobavit; niſi per vim, & nefas, in ipſo Poſſeſſionis Exordio uſurpatum fuiſſe conſtet, illius Dominium jure vindicat ſibi, & præſcribere dicitur ejus Imperium: ita cum Sanctiſſimum, & profecto Divinum, quia prodigioſiſſimum, fuerit Sacrum in Romanorum animos Imperium, quod Galilæus Piſcator occupavit: idemque per tot Secula fuerit per omnes Gentes, ipſamque præcipuè Græciam, mirificè propagatum: Romana Petri Fides ſuo jure Præſcriptionem indicit, qua ineluctabilior nulla excogitari poteſt.

Qui Tertius ab illo Summum Pontificatum excepit Clemens, omnium primus in eximio Recognitionum libro Argumentum hoc indicavit. Promovit illud acutiſſimè Tertullianus in aureo de ipſa Præſcriptione Tractatu, in quo ſtatuit hanc legem: *Id eſſe verum, quod eſt priùs traditum; id extraneum, & falſum, quod eſt poſteriùs immiſſum.* Antequam Sacras ipſas Literas conſulamus, ſtatuendum eſſe decernit, cuinam Præſcriptio adjudicet obſcurarum Poſſeſſionem Scripturarum. *Scripturas obtendunt*, inquit, *& hac ſua audacia quoſdam ſtatim movent; in ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. Hunc igitur potiſſimùm gradum obſtruimus: non admittendos eos ad ullam de Scripturis diſputationem. Si hæ ſunt vires eorum, an eas habere poſſint, diſpici debet: cui*

com-

competat Poſſeſſio Scripturarum, ne is admittatur, cui non competit. Et probat hoc ex Apoſtolo 1. ad Timot.6. & ad Tit.3. deinde inferens: *Quoniam nil proficit congreſſio Scripturarum, niſi planè, ut aut ſtomachi quis ineat everſionem, aut cerebri. Iſta Hæreſis non recipit quaſdam Scripturas: & , ſi recipit, non recipit integras: & , ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diverſas Expoſitiones commentata convertit. Quid promovebis, exercitatiſſime Scripturarum, cum, ſi quid defenderis, negetur ex diverſo; ſi quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nil perdes, niſi vocem in diſputatione: nihil conſequeris, niſi bilem de blaſphematione. Ille verò ſi quis eſt, cujus cauſa in congreſſum deſcendit Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes ad veritatem, an magis ad Hæreſes deverget? Certè de pari altercatione incertior diſcedet, neſciens, quam Hæreſim iudicet*. Ratiocinationem deinde claudit aptiſſimè cap. 19. *Ergo non ad Scripturas provocandum eſt* (initio videlicet Diſputationis) *nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut parum certa. Nam etſi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem ſiſteret, Ordo rerum deſiderabat, illud prius proponi, quod nunc ſolùm diſputandum eſt: Quibus, ſcilicet, competat Fides ipſa? Cujus ſint Scripturæ? A quo, & per quos, & quando, & a quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani? Ubi enim apparuerit, eſſe veritatem Diſciplinæ, & Fidei Chriſtianæ* (ideſt, ubi re ipſa conſtiterit, eſſe illam Fidem, Religionem, & Eccleſiam, quam Chriſtus fundavit, & inſtituit) *illic erit veritas Scripturarum, & Expoſitionum, & Traditionum om-*

nium Chriſtianorum. Verius nihil, & prudentem diſputandi tramitem inire cupientibus accommodatius, afferri poteſt.

Græcis verò ſuarum rerum retinentiſſimis, quid inſitæ magnanimitati congruentius proponatur, quàm, ut a Novatorum quorumdam opinionibus reſilientes, id verum eſſe præſcribant, quod Sanctiſſimi omnes Eccleſiæ Græcæ Doctores, omnes in Græcia celebratæ Generales Synodi profeſſæ ſunt: quodque Univerſa propemodum Græcia decem Seculorum confeſſione fuit amplexata?

V. *Novitates omnes Antiquitati, Veritatem præſcribenti, contrariæ manifeſtum ſunt argumentum Erroris.*

36 Quicumque ab Una veram Fidem colentium Societate ſejungitur, & pugnans aliquid cum iis, quæ primò tradita ſunt a Magiſtro Religionis, comminiſci audet, manifeſtam præſefert Hæreſis Notam. Traditur hæc a Ioanne Apoſtolo illos deſcribente, & appellante Antichriſtos, Epiſt. 1. cap. 2. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.*

Quod ſi hoc naſcentis Eccleſiæ initio potuit affirmari, quid erit, poſtquam illa tantum a Vetuſtiſſima Diuturnitate robur accepit? Adſtipulatur conſueta Sacrarum Literarum Phraſis, quæ ſemper deſignat Hæreſes per Sciſſuras, per Diviſionem, atque his ſimilia, ut 1. ad Corint. 1. & 11. Videri poſſunt Tert. de præſcript. cap. 36. Cyprian. lib. de Unit. Eccleſ. & Epiſt. 76. Auguſt. in Epiſt. 1. Ioan. cap. 2. & in Pſalm. 106.

Schiſ-

Schiſmaticos a Vite velut Sarmenta eſſe conſciſſos, inquit S. Optatus Milevitanus lib. 1. qui hoc unico telo confodit Majorini Sectatores. *Nec Cęcilianus*, inquit, *receſſit a Cathedra Petri, vel Cypriani, ſed Majorinus, cujus tu Cathedram ſedes, quæ ante ipſum Majorinum originem non habebat. Et cum hæc ita geſta eſſe, maniſeſtiſſimè conſtet, & vos eſſe hæredes Traditorum, & Schiſmaticorum, evidenter apparet.*

Cauſam autem, propter quam ab Una Veræ Fidei Regula diſcedunt, Cyprianus affert, ex quo illam mutuatur Auguſtinus. *Nemo*, inquit, *exiſtimet, bonos de Eccleſia poſſe diſcedere: Triticum non rapit ventus, nec Arborem ſolida radice fundatam procella ſubvertit: inanes Paleę tempeſtate jactantur: invalidæ Arbores turbinis incurſione evertuntur. Hos execratur; & percurrit Ioannes Apoſtolus dicens: Ex nobis prodierunt, ſed non fuerunt ex nobis &c. Hinc Hæreſes factæ ſunt frequenter, & fiunt, dum perverſa mens non habet pacem.* Et his ſimilia profert Epiſt. 55. ad Cornelium.

31 Patet hoc ipſum ex manifeſta Inductione eorum omnium, qui digreſſi ab Unitate Vetuſtiſſimæ Eccleſiæ in Hæreſes prolapſi ſunt, quibus inſultans Tertullianus eodem lib. de præſcript. inquit: *Qui eſtis vos, unde, & quando veniſtis, ubi tamdiu latuiſtis?* Et Auguſtinus: *Unde ergo Donatus apparuit? de qua terra germinauit? ex quo mari emerſit? de quo Cælo cecidit?* Optatus verò lib. 2. contra Parmenianum: *Veſtræ*, ait, *Cathedræ originem oſtendite, qui vobis vultis Sanctam Eccleſiam vendicare.* Et Hilarius, Ironia religioſiſſima uſus: *Tardè mihi*, ait, *hos piiſſimos Doctores ætas nunc hujus Secu-*

Digitized by Google

li protulit: ſerò hos habuit Fides mea, quam tu erudiſti, Magiſtros. Inauditis ego his omnibus in te credidi.

Hæc vir Sanctiſſimus, Doctiſſimuſque, ſummo plauſu exceptus in Græcia, ubi contra Arianos ſtrenuiſſimè decertavit: cujus exemplo ſeruent Græci fidem, quam Chriſto, & Apoſtolis, eorumque fidis Interpretibus, Eccleſiæ ſuæ Magiſtris, per tot Secula, inaudito Photio, & Cerulario, adhibuerunt.

38 *Quiſquis Aſſertor es Novorum Dogmatum*, inquit Nazianzeni Diſcipulus, idemque Maximus Eccleſiæ Doctor, Hieronymus Epiſt. ad Pammac. & Oceanum, *quæſo te, ut parcas Romanis auribus: parcas Fidei, quæ Apoſtolico ore laudata eſt. Cur poſt Quadringentos Annos docere nos niteris, quod ante neſcivimus? Uſque in hanc diem ſine veſtra iſta doctrina Chriſtianus Mundus fuit*. Et lib. con. Luciferianos in fine: *Ex hoc ipſo, quod poſteriùs inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus pronunciavit: ſcilicet Antichriſtos*. Videatur Aug. lib. con. Epiſt. Fundam. cap. 4.

39 Profectò cum decipere, aut falli nequiverit Suprema Veritas, quæ ſuam in Petri ſoliditate conſtituens Eccleſiam, affirmauit Matth. 16. *Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*: & Apoſtolos alloquuta, Petro ſuo Principi cohærentes, ait: Matth. ultim. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem Seculi*: conſtat, illorum Cœtibus Chriſtum præeſſe, qui Unam, eandemque cum Apoſtolica retinent Fidem: contra illos verò prævaluiſſe Tartarum, qui Novitatum Auctores ab Unius Eccleſiæ gremio diſceſſerunt.

SI-

SIGNUM VI.

Iniqua Diſcordiæ Semina.

I. *An ex vero affirmaverit Recens Hiſtoricus, nullum exortum fuiſſe ante Photium, Latinam inter, & Græcam Eccleſiam, Diſſidium. Quàm parum aptè nullas idem attulerit Schiſmatis Cauſas, aut Semina.*

QVi Schiſmatis Hiſtoriam ab ipſa in apertum erumpente miſera Sciſſione Membrorum a Capite adoriuntur, ſimiles videntur illis, è trivio petitis, bellorum deſcriptoribus, a Polybio traductis ludibrio, eò quòd ipſas Pugnas narrare ſtatim aggreſſi, nullas prius ipſarum Cauſas è tenebris eruunt. His accenſendus videtur Recentior Auctor, qui, conveniſſe penitus per Octo Secula Græcos cum Latinis, affirmat: & enatam extemplo ſub Photio ſciſſuram, cujus prævia nulla Signa micuiſſent; cum plurima tamen Tartarea fulgura nimium quantum maligna luce oculos perſtrinxiſſent.

Quamvis autem Perpetuum Græcorum per Octo Secula erga Romanam Sedem Obſequium, affirmatum ab Auctore, non ſemper erga eandem obſequentiſſimo, conferre plurimùm ad ejuſdem Sedis amplitudinem videatur; præſtat nihilominus, integerrima fide in lucem efferre Primam ipſam Originem Diſcordiarum, primaſque ſcintillas, ſæpe quidem extinctas, ſæpius tamen iterum excitatas, & in immenſum paulatim incendium erumpentes, quo tandem Univerſus ferè, Chriſti nomine conſecratus, Oriens infeliciſſimè conflagravit.

Hæc

Hæc autem narratio Cauſarum Defectionis quorumdam ab Unitate, frequentis Conglutinationis, rurſusque Diſſidii, paucos primò, deinde plurimos corripientis: quam ex Conciliorum Hiſtoria, Græciſque ferè ſolùm Auctoribus contexemus: manifeſtum erit Argumentum Erroris, quo Schiſmatici involuuntur; ideoque Veræ Fidei Signis meritò inſeritur.

Veritas porrò affirmationi Recentis Hiſtorici ſolùm adſtipulari poteſt, ſi, nunquam Communi nomine, ac repræſentatam ab omnibus Quatuor Patriarchis, Græciam profeſſam fuiſſe Receſſum a Romana Eccleſia per Octo Secula, intelligatur: quod ultro & nos profitemur; imo id ipſum ad Milleſimum, poſt Recreatum a Chriſto Domino humanum genus, Annum protendimus.

II. *Ante Concilium Nicænum nulla futuræ Disjunctionis Indicia promicuerant ob Quæſtionem de die præſcripta celebrando Paſchati.*

PRimas Diſſenſionis favillas accenſas aliqui, ſed falsò, putant ob Anathema jactum a S. Victore Romano Pontifice in omnes Aſiæ Minoris Epiſcopos, Divinam Anaſtaſim diverſo ab aliis Eccleſiis die; nimis in ſua ſententia defixo animo, celebrantes. Polycrates, ceterique cum illo Aſiæ minoris Epiſcopi, inſtaurantes Controverſiam ante annos Triginta coortam, ſed illicò ſedatam, eunte S. Polycarpo Smirnæ Antiſtite in ſententiam S. Pontificis Aniceti, obſtinato animo in Quartamdecimam Lunæ diem referendum Paſcha cenſebant. Sed illi Sacris prohibiti ſunt a S. Victore Romano Præſule, in tot Aſiæ Antiſtites Apoſtolicum Ius exercente, abſque

eo quod effutire quiſpiam auſus fuerit, alienæ ab ipſo Ditionis fines invadi: cum compertiſſimum omnes haberent, Unum eſſe Supremum Unius Eccleſiæ Paſtorem, qui noxias Oves arcere poterat ab aliarum conſortio.

40 Quinimo plurimæ tunc celebratæ Synodi, non ſolummodo Ualidum, ſed & Æquiſſimum, eſſe Pontificium Decretum, profeſſæ ſunt: Hieroſolymitana videlicet ſub Narciſſo quatuordecim Epiſcoporum: Cæſaræenſis in Palæſtina duodecim ſub Theophylo: Quinquaginta trium Lugdunenſis in Gallia ſub Irenæo: decem & octo Corinthia ſub Bacchylide: quatuordecim Aſiana ſub Plaſme: octodecim Oſroena: totidem Meſopotamienſis, aliæque plurimæ.

Nicæna verò cum, Hæreticos cenſendos eſſe, declaraverit Quartadecimanos, & Romani Pontificis Munus eſſe, quotannis præſcriptum celebrando Paſchati diem Chriſtianis indicere, ut refert Euſeb. lib. 3. de Vita Conſtantini, nobile ſuæ teſtificationis ſuffragium dedit Supremæ Poteſtati Summi Sacerdotis, ſuumque ſtudium, ut omnes in unum Eccleſiæ conſpirarent, luculenter oſtendit.

III. *Neque Controverſia de non iterando Baptiſmo, ab Hæreticis rite collato, Semen fuit exorituri Diſſidii.*

RsEcentiores Hæretici, excuſſi à ſpe oſtendendi; quod ſub Victore prima contigerint Pugnæ Præludia, ea ſaltem auſpicantur a S. Stephano, ſub quo Synodus Iconii in Phrygia congregata ſanxit, non eſſe reci-

recipiendum Hæreticorum Baptiſma. Stephanus autem vetuit, ne, ſemel rite ab Hæreticis abluti, Sacro Fonte iterum luſtrarentur.

41 Conſtat hoc ex Epiſtola Firmiliani ad Cyprianum, qui de nimia in ſe, alioſque, ob id a Sacrorum Communione illos prohibere interminati, Stephani ſeveritate conqueritur; ſed affirmare non audet, Epiſcoporum Cauſas ad Romanum Antiſtitem minimè pertinere. Ideo ineptè geſtiunt Oſores Pacis, qui has enatæ Diſcordiæ cunas attribuunt; cum dubitaverit nemo de Pontificia Poteſtate, ſed mitiorem tantummodo aliqui animum in Pontifice deſiderauerint.

Incaſſum etiam triumphant, eò quòd Sanctiſſimus Martyr Cyprianus fuerit in ſententia Firmiliani; neque enim Stephanus definiverat, tamquam Divina Fide credendum: nefas eſse, Sacris iterum aquis abluere, qui ab Hæreticis ſemel aſperſi fuiſsent. Imo neque fulmen Excommunicationis intorſit in eos, qui contrarium opinarentur; licet intorquendum jure cenſeret: ut narrant Euſebius lib. 7. Hiſtoriæ Cap. 4. & Auguſtinus lib. de Unico Baptiſmo cap. 14. ſemperque conjunctiſſimi fuerunt Stephanus, & Cyprianus, vt ex eodem Auguſtino lib. de prophan. vocum novit: & Vincentio Lirinenſi, abunde conſtat. Utque idem Auguſtinus animadvertit, noluit Pontifex abſque Generali Concilio rem tantam, ut Fide Divina credendam, ſtabilire; ſed ſolùm Antiquam Eccleſiæ Conſuetudinem ſervari præcepit.

Utcumque autem Cyprianus vel levi ob hoc macula fuerit aſperſus, vel gravi, ut alii putant, inquinatus; tamen aut *Illum nævum in candore Sanctæ Animę charita-*

Digitized by Google

ritatis ubera contegebant, ut Auguſtinus inquit de Baptiſ.con.Donat. lib.1. in fine: aut, ut idem ſubdit, Epiſt. 48. quæ eſt ad Vincentium, *Quamvis, correxiſſe iſtam ſententiam, non invenitur, non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit: & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt*: aut demum effuſo Sanguine crimen expiavit, ut idem Auguſtinus affirmat: *Quod ergo ille vir Sanctus de Baptiſmo aliter ſentiens, quàm res ſe habebat, quæ poſtea pertractata, & diligentiſſima conſideratione firmata eſt, in Catholica Unitate permanſit, & Charitatis ubertate compenſatum eſt, & paſſionis falce purgatum.*

Ex hac ergo Controverſia non inceperunt Diſſidia; quin potius, cum Nicænum deinde Concilium, contra Phrygiam, & Africanam Octoginta Epiſcoporum Synodum, ſequutum fuerit Sententiam Stephani, eundem agnovit Magiſtrum, & Ducem, cujus præceptis, ad Mores etiam, & Chriſtianæ diſciplinæ Conſuetudines pertinentibus, omnes deberent Eccleſiæ obtemperare.

IV. *Unitas Eccleſiæ roborata in Concilio Nicæno.*

EX Nicæna, & Sardicenſi Synodo, quæ fuit Appendix Nicænæ, ſupra Sexaginta eruuntur Argumenta, quibus efficitur, ex Confeſſione Sanctiſſimorum Græciæ Patrum, ſpectare ad Romanum Pontificem Munus Paſcendi, Regendi, & Gubernandi Unam, & Univerſalem Eccleſiam. In iiſdem Synodis declaratur Ius appellandi ad Romanum Pontificem, ex Inſtitutione Divina promanans: & definitur, ſervandum Romanum mo-

rem in Paſchate, ac Hæreticorum Baptiſmo.

Hic autem ſolùm innuimus ea, quæ in edendo quamprimùm ſeorſum Opere dilucidè comprobabimus, cum interea ſcribamus Epitomen, ut ſub unicum quodammodo intuitum ſubjiciantur Cauſæ, Semina, & Initia Disjunctionum, ac aperta deinde Certamina; ſemper ab ipſis Græcis damnata; hoc enim conferre plurimùm arbitramur ad excitandum odium contra Sciſſionem infauſtam. In Tertio præterea hic Libro, Catholicam, ſcilicet Univerſalem, per omnia cognitam Secula fuiſſe Romanam Eccleſiam, oſtenſuris, alia plurima ex Conciliis neceſſariò nobis erunt delibanda: interim ſolùm proponentibus ea, quæ Unitati repugnantia quidam audaciſſimè tentaverunt.

Quæ verò inſigni Fiducia demonſtrandæ veritatis freti ſpondemus, validiſſimum ejuſdem veritatis Argumentum prudenti Lectori fore ſperamus. In eodem Tertio Libro manifeſtæ Calumniæ arguentur Balſamon, & Nilus Theſſalonicenſis, inſimulare auſi Sacroſanctam Nicænam Synodum coarctati intra Eccleſias Occidentis Pontificii Regiminis: & Calvinus, cum Illyrico, aliiſque Perfidiæ Monſtris, Regimen idem anguſtantibus intra Suburbanas Eccleſias.

Digitized by Google

V. Semiarianorum, ac deinde Dioſcori inſania, qui primi auſi ſunt, conſultò recedere à Communione Romani Pontificis: quod, a ſe fieri, ne ipſi quidem profeſſi fuerant Ariani, ceterique Hæretici.

PRimi ex Græcis, qui non cohorruerunt damnare Romanum Pontificem, fuerunt Semiariani in Conciliabulo Philippopolis, eò quòd ipſe de Innocentia Magni Athanaſii ſententiam pronunciaſſet. Sed horum inſania, ut deinde Dioſcori, a Tartarea ſua Communione prohibere auſi Magnum Leonem, cenſeri non debet Defectio Eccleſiæ Græcæ, quæ illos nobiſcum Hæreticos abominata ſemper fuit.

42 Inſigne autem Veritatis Teſtimonium eſt, quod ipſorum etiam Hæreticorum plerique, licet re ipſa ab Eccleſia deficerent; tamen Supremam Romani Pontificis Auctoritatem non pernegabant; ſed illum decipere, ne a piorum conſortio pellerentur, omni ſtudio conabantur: ut Ariani, ſimulantes, aliam eſſe ſuam Fidem ab illa, quæ damnata iam erat.

VI. *Anſam nullam deficiendi ab* Unitate *dedit Schiſmaticis Concilium Conſtantinopolitanum, non inferendo Symbolo Particulam* Filioque. *Imo* Unicum *Unius Eccleſiæ Caput multipliciter agnovit.*

QUamvis in Secundo Generali Concilio Conſtantinopoli celebrato definitum non fuerit, quod

Spiritus Sanctus procedat etiam a Filio, eò quòd nulla tunc Hæreſis hoc negaret; non tamen ex hoc ulla juſta deficiendi anſa præbita fuit Schiſmaticis deinde exortis. Imo ex Græcorum Patrum, qui eò uſque floruerant, innumeris, & manifeſtiſſimis pronunciatis, liquet de Præſcriptione Catholicæ veritatis de Sancti Spiritus Emanatione etiam a Filio.

Luce hoc meridiana clarius apparebit ex præparatis jam Prælo Diſsertationibus, quibus præcipua Schiſmaticorum Fundamenta ſubvertimus, videlicet: pronunciatam ſolùm a Chriſto Domino Proceſſionem Sancti Spiritus a Patre per ea verba: *Qui a Patre procedit*: eandem ſolummodo declaratam ab hac Synodo, iiſdem verbis abſque ulla Additione Symbolo inſertis: & vetitam ab Epheſina ullius Inſertionem particulæ Symbolo Fidei, ob cujus Decreti permiſſam violationem a Suprema Præfectura Sacrorum exciderint Romani Pontifices.

43 In his autem Diſſertationibus inter cetera oſtendimus, ante hoc Concilium negatam ſolùm ab Hæreticis pluribus fuiſſe Sancti Spiritus *Divinitatem*: eumque *a Filio procreatum*, a pleriſque affirmatum. Nullum autem extitiſſe, qui, admiſſa ejuſdem Spiritus Divinitate, illum opinaretur a Patre tantùm profluere; ideoque nullum impreſſum adhuc veſtigium impiæ, quæ nunc inter Schiſmaticos viget, ſententiæ. Receptiſſimum autem a Sanctis Græciæ Patribus fuiſse Theologicum illud Principium, quod *quæcumque Patri conveniunt, præter ipſum eſſe Patrem, Filio quoque ipſi tribuantur*: ac proinde (cum Productio Spiritus profectò non ſit Paternitas, ne Spiritus etiam ipſe dicatur Filius) declarantes Concilii Præ-

ſules,

ſules, ipſum procedere a Patre, atque per hoc ejus Divinitatem aſserentes, arbitrati ſunt, ſatis a ſe pariter definiri ejuſdem Emanationem a Filio.

Hanc autem indubitatam omnibus fuiſse, liquet, præter plurimas diſertiſſimas Græcorum Patrum Atteſtationes, ex Quæſtionibus, quas ex profeſso inſtituerant: Cur, ſcilicet, nihilominus *Filii Filius* dicendus non ſit Spiritus Sanctus; ſi enim a ſolo Patre procederet, ſuſpicio potius oriri potuiſset, an appellandus eſset *Filii Frater*. Et præterea quærentes Patres, an *Cauſæ* nomen ipſi etiam Filio tribuendum eſset, omnino ſtatuerant, ipſum etiam *Cauſam* appellandum, licet non *Anarchicam*, ſcilicet Expertem Principii, ſiue *Procatarchicam*, ſcilicet Primam, & Primordialem. Alioqui enim, cum hæc Quæſtio ad res etiam procreatas protenderetur, negantes, illarum Cauſam Filium eſse, illius Divinitatem evertiſsent. *Imaginem* præterea Filii Spiritum eſse, ſicut ipſe Filius eſt Patris, paſſim aſtirmabant. Eundemque *cum Filio Spiritum, ut ſui Auctore*, ſicut ipſum cum Patre Filium, comparabant. Perque ſimilitudines Vulgo etiam obvias, *Fluminis*, videlicet, manantis a Fonte Filio, qui ſit Fons de Fonte Patre: *Lucis a Splendore, ac Sole* profluentis: *Tertii Catenæ Anuli* a duobus primis pendentis: ac *Seth*, cui ab utroque Parente, Adamo, & Eua, progenito Sanctum Spiritum contulerant: manifeſtiſſimè ſuam de Proceſſione Divini Spiritus a Patre, & Filio ſententiam in medium protulerant.

44 Hìc autem ſolùm indicantur, quæ alibi dilucidè ſtatuuntur; arbitramur enim Veræ Fidei Signis accenſendum hoc ipſum, quod ſcilicet Ingenioſiſſima Gens recedere

dere ab Unitate Eccleſiæ nequiverit, niſi prius non Ingenium ſolummodo, ſed oculos etiam ipſos amiſiſſet, in quos incurrebant innumeræ Sanctorum Græciæ Patrum, Divinarum de hoc Myſterio Literarum Oracula explicantium, apertiſſimæ ſententiæ, & in longum productæ Ratiocinationes uberrimæ, Veritatem, quam Romana docet Eccleſia, conteſtantes.

45 In illa Synodo multipliciter roboratum fuit Vinculum Eccleſiarum, cum Romani Pontificis iuſſu Synodus coaluerit, quæ ipſum appellavit ſuum Caput, ipſe autem Epiſcopos Filios: cumque unius Romani Pontificis Auctoritate Generalem illam Synodum fuiſſe, perpetuò cenſuerit Eccleſia: præter alia plurima evidentiſſima Signa.

VII. *Ex Canone tamen tributo huic Concilio fortaſſe jacta ſunt Prima diſcordiæ Semina.*

Si tamen ea in Synodo, poſt digreſſos ab illa Gregorios, Theologum, & Nyſſenum, alioſque Sanctiſſimos Præſules, conditus fuiſſet Canon, Conſtantinopolitanam Eccleſiam conſtituens Primam poſt Romanam, verè in illa fuiſſent iacta prima Diſcordiæ Semina; cum paulatim erigere frontem iam tum inciperet Sacerdotalis illius urbis elatio.

Hoc caverat mens provida Sanctiſſimorum Pontificum, qui primis conatibus obſtiterunt; licet alioqui nihil ipſorum intereſſet, quod Conſtantinopolitani ceteris Orientis Præſulibus anteirent. Qui Canonem admittunt, non minus pugnant contra Pontificiam Poteſtatem, cum ab unius Petri Arbitrio fluxerit Patriarchalis Au-

cto-

ctoritas,quàm contra Nicænam Sanctionem,quæ Vetuſtum Morem ſervandum edixerat circa Alexandrinum, & Antiochenum; a Petro inſtitutos: & ſolum Titulum præbuerat Hieroſolymitano, cæteroqui ſubiecto directioni Archiepiſcopi Cæſaræenſis, perinde ac Heraclæenſi ſuberat Conſtantinopolitanus.

Nulli certè Iuriſdictionis exercendæ fines tributi a Concilio ſunt Archiepiſcopo Conſtantinopolis; imo nec ipſum Patriarchæ nomen. Thracia, & ipſa Conſtantinopolis eò uſque Romano Epiſcopo,non ſolùm ut Summo Pontifici, ſed etiam ut Occidentis Patriarchæ, ſine controverſia ſubiecta fuerat, & fuit etiam in poſterum, ſaltem ut Summo Eccleſiæ Præſidi: etiam ex vi ipſius Canonis,ſolùm jubentis,ut illa Sedes Secunda eſſet poſt Romanam. Gratis omnino, & ſine ullo fundamento dicitur, Patriarchalem Dignitatem annexam eſſe Urbi Cæſareæ. Idem Canon improbatus fuit a Summis Pontificibus, ipſiſque Græcis,imo & Conſtantinopolitanis Præſulibus, præſertim a S.Ioanne Chriſoſtomo: neque robur obtinuit in Univerſali Eccleſia, antequam illum anno 1215. Innocentius Tertius in Lateranenſi Concilio comprobaverit. Hæc omnia ex Opere de Conciliis apertiſſimè conſtabunt.

VIII. *Primus omnium Neſtorius diſertè negat Proceſſionem Sancti Spiritus a Filio; ideoque Cauſam præbet exorituro Diſſidio.*

46. PRimus,qui Anno 429. poſt clandeſtinum Tartari emiſſariũ Theodorum Mopſueſtenũ magiſtrũ ſuum,circa Divinam Sancti Spiritus a Patre,Filioque

Pro-

Digitized by Google

Proceſſionem ab Una, eademque Catholicorum omnium Fide receſſerit, fuit Neſtorius Conſtantinopolis Præſul: ut liquet ex Anathematiſmis S. Cyrilli in ipſum jactis: *qui tamen non abnuit Pontificiam Auctoritatem*, imo ad Cæleſtinum confugit. Idem, ac Theodoretus, tunc ejus aſſecla, ac deinde reſipiſcens, in Alexandrino primùm, deinde in Epheſino Generali Concilio condemnatur. Falſitas hujus Erroris patet ex ipſa ejuſdem Novitate. Mirum eſt, quod ingenioſiſſima Græcorum Natio illum eruat ex eo, quod Chriſtus Dominus dixerit de Spiritu Sancto: *Qui ex Patre procedit*, cum ex hoc ipſo loco multipliciter inferatur, quod procedat etiam a Filio. Cum Epheſina Synodus à Cæleſtino comprobata definiverit Catholicam veritatem, illa ulterius in controverſiam vocari nequit. Hic illa innuimus, quibus in Opere de Conciliis uberrimam lucem affundemus.

IX. *Damnatur hæc etiam opinio Neſtorii ab Epheſino Concilio, quod non vetat Inſertionem Symbolo particulæ* Filioque; *imo præſumit, præſtare Conciliis Romanum Pontificem.*

47 SVprema Romani Pontificis Auctoritas in ſingulos Chriſti nomine conſecratos, etiam ex Orientali Eccleſia, in omnes Præſules, inque ipſam Univerſam Eccleſiam, etiam in Generalibus Conciliis congregatam, mirificè, ac Argumentis ſupra Sexaginta promicuit Anno 431. in Synodo Epheſina: in qua pariter declarata fuit Divina, ideoque fallere, aut falli neſcia Veritas, quæ ineſt Pontificiæ de Fidei Articulis definitioni.

Ex his omnibus, ac manifeſtiſſimis Concilii verbis,

effi-

efficitur: vetitam ab hac Synodo non fuiſſe, neque vetari potuiſſe, abſque inſania, & contradictionis nota, Romano Præſuli, & Conciliis ab illo recipiendis, ullius Inſertionem Particulæ Nicæno Symbolo. Ac proinde ineptire, qui deinde cum Photio dixerunt: excidiſſe a Suprema Dignitate Romanum Præſulem, quia, inſerta Particula *Filioque*, peccaſſet contra hoc Epheſinum Decretum.

X. *Id ipſum de Unico Unius Eccleſiæ Capite profitetur Concilium Chalcedonenſe.*

48 GEnerale Concilium Chalcedonenſe Anno 451. damnat Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum, præcipuè quia fuerat auſus celebrare Latrocinalem aliam Synodum Epheſinam ſine Auctoritate Romani Pontificis, *quod nunquam licuiſſe*, dicit, & *nunquam factum*. Plaudit Leonis Pontificis Maximi Literis, ut è Cælo ſcriptis a Petro. Ejuſdem Leonis nutibus obtemperat, quem ſeipſa Majorem, ejuſque doctrinam omni Erroris diſcrimine exemptam eſſe, Synodus profitetur. Comprobatis Literis a S. Cyrillo ſcriptis nomine Concilii Alexandrini, & ejuſdem Cyrilli Anathematiſmis in Neſtorium, confirmat Condemnationem opinantium, Spiritum Sanctum procedere a ſolo Patre. Fidei Definitiones ab hac Synodo editas rogatus a Patribus comprobat Leo, aliique poſt ipſum Pontifices.

XI. *Intruſus ab aliquibus huic Concilio Canon Secundam dedit futuris Diſſidiis anſam.*

IDem Leo, aliique omnes, qui poſt ipſum Eccleſiæ Regimen ſuſceperunt, rejiciunt Canonem intruſum

huic Synodo ab inſano ambitu Anatolii Conſtantinopolitani Antiſtitis, qui, poſt digreſſos Pontificios Legatos, Marcianum Imperatorem, & Iudices, abuſus occaſione vacantis Cathedræ Alexandrinæ, ac nuper ab Hæreſi Dioſcori dedecoratæ, ſuam illi, aliiſque Orientalibus prætulit, & Romanæ propemodum, ſaltem nomine tenus, exæquavit.

Si concedatur, Prima Diſcordiæ Semina jacta fuiſſe Conſtantinopoli, hæc appellari poteſt Secunda Velitatio, non tamen aperta Pugna, ſed Præludium Diſſidii quorumdam Græcorum, biciņitem Eccleſiam molientium.

49 Sed luce meridiana clarius eſt, meram Nomenclaturam ambitam fuiſſe, cum illi etiam Antiſtites Cæſareæ Urbis, quorum aliqui hoc Chalcedonenſe Decretum deinde jactarunt, verbis, & re ipſa oſtenderint, ſe minores eſſe Romano Pontifice, cum ad illum, ut Iudicem Religionis, miſerint ſuæ Fidei Profeſſionem: ab eo Pallium, Signum Confirmationis, petiverint, & acceperint uſq; ad Annum 934. quo illos ab hoc onere traditus carceri Ioannes Pontifex exemit: Romani Apocriſarii Conſtantinopoli pro tuenda Fide excubaverint: Theſſalonicę Pontificii Legati Appellationes totius Orientis exceperint: Dejecti a Solio, aut eidem impoſiti fuerint a Petri Succeſſore Præſules Conſtantinopolitani.

XII. *Tertiæ excitandæ Diſſenſionis prænuncia Fulgura extincta penitus in Quinta Synodo.*

TErtia Rixa Iuſtiniani Imperatoris, & multorum cum illo Antiſtitum Orientis incepit Anno 546. ob

ob Tria Capitula, non tamen aperta defectio à Romano Pontifice, cui plurima ipſe Cæſar exhibuit obſequii Signa, & multò plura Synodus Quinta, confirmata a Vigilio Pontifice Anno 554. ſtatim delens maculam ab hoc breviſſimo Diſſidio inuſtam Græciæ.

50 In eadem Quinta Synodo regendæ, ac docendæ Uniuerſalis Eccleſiæ Ius pertinere ad Apoſtolicam Sedem, multipliciter roboratur, ac Tertiò damnatur opinio Neſtorii de Proceſſione Divini Spiritus a ſolo Patre.

XIII. *Quartò exoritur Initium Diſcordiæ, ab ipſis etiam Græcis ferè ſtatim repreſſæ.*

ANno 587. Ioannis Patriarchæ arrogantia, ſeſe *Univerſalem* inſcribentis, Quartum, & quidem manifeſtæ Defectionis ab Una ſub uno Paſtore Chriſti Eccleſia argumentum videtur. Retunditur a S. Gregorio Magno Pontifice.

51 Res tamen nulla ſuberat Tumido, & Evanido Nomini, quia neque abrupta ſunt Signa ſuperius recenſita Obſequii præſtiti ab ipſis Conſtantinopolis Patriarchis Romano Pontifici: neque alij Orientis Patriarchæ, ac illis ſubjecti Præſules, huic, nuper nato, & a ſeipſo condito, *OEcumenico* Præſuli paruerunt.

XIV. *Quinta Rixa ob Patriarchas Monothelitas, damnata a Sexta Synodo.*

QVjnta Diſſenſio Græcorum quorumdam a Romana Cathedra coorta fuit ob Antiſtites Conſtantinopolitanos Monothelitas, Sergium, Paulum, Petrum, Pyrrhum, Pontificio juſſu abraſos a Dypticis.

52 Eorumdem cum ſua Hæreſi Condemnatio Anno 681. fluxit a Sexta Synodo Generali, quæ Literas, & Legatos Agathonis Pontificis, Moderatores, & condendorum Auctores decretorum agnovit: & multiplicibus argumentis profeſſa fuit, Sedem Romanam aliis omnibus præeſſe, ac Errori nulli obnoxiam ejus, Eccleſiam docentis, Auctoritatem. Intruſus proinde ab Hæreticis fuit inter alios ab hoc Concilio damnatos Honorius Pontifex, quem, nil tale merentem, criminari auſa non fuit Synodus Sacroſancta. Eadem Quartò condemnavit affirmantes, emanare a ſolo Patre Spiritum Sanctum.

XV. *De Sextis Querelis, non tamen aperta Rebellione Pſeudoſynodi Trullanæ.*

TRullana Synodus, quæ ſe Quiniſextam dixit, cum tamen nihil ad Quintam, & Sextam Generalem pertineret, viſa eſt attollere Anno 692. publicæ ab Una Eccleſia Defectionis Vexillum: ac Sexta hæc, & quidem apertior, Pugna cenſeri poteſt; cum Romanam carpſerit ob quaſdam Conſuetudines, ac præſertim Iejunium Sabbati, & uſum Conjugii Sacerdotibus vetitum.

53 Non tamen negavit Supremam in Univerſam Eccleſiam Romani Pontificis Poteſtatem: neque, cum maximè quæreret expoſtulandi cauſas, conqueſta fuit de Particula *Filioque* jam inſerta Nicæno Symbolo; ideoque oſtendit, a ſe cognitum fuiſſe, hujuſmodi Additionem non pugnaſſe cum Epheſino Decreto. Statuitur, quid ad illam jubẽdam, aut permittendam Pontifices impulerit: & cur ad hoc ſanciendum vocati non fuerint Græci, qui ob illam additam ab Eccleſia Romana non defecerunt; licèt

hanc

hanc cauſâ, poſt Annos ſupra ducentos a publicata Additione, Photius prætexuerit:& nunc illâ ferè tantùm nitantur Schiſmatici. Novus non fuit mos Sabbato jejunandi, & prohibendi Sacerdotibus Uxorum commercium; imo ab initio vetitum illud in Græca etiam Eccleſia fuit: ac priſcæ Continentiæ contrarium Indultum primò illicitum, deinde criminis expers evaſit ob Pontificum conniventiam, qui mitiſſimè,& amantiſſimè cum Græcis agere conſueverunt.

XVI. *Septimæ Turbæ, ac Defectio Iconoclaſtarum, quos plerique Græcorum, & Septima Synodus abominata eſt.*

SEptima erupit Anno 726. & manifeſtà Defectio ab Una Eccleſia Imperatorum, & deinde Patriarcharum Conſtantinopolis Iconoclaſtarum, non tamen Univerſæ Græciæ; cum potius plurimi Præſules, & aliarum Sedium Patriarchæ, ac Sanctiſſimi cum ſuis Aſcetis Archimandritæ Plato, ac Theodorus Studites, conſtantiſſimo animo Hæreſi obſtiterint, Romanoſque Pontifices fuerint obſequentiſſimè venerati.

54 Patrocinium Neſtorianæ Blaſphemiæ de Proceſſione Sancti Spiritus a ſolo Patre ſuſceptum fuit ab Iconomachis; ideoque nunc Schiſmatici ſequuntur Duces, quos in ceteris deteſtantur.

55 Simul cum aliis Iconomachorum Hæreſibus hæc etiam Quintò damnata fuit in Septima Synodo Generali Anno 787. in qua ſolenni cantu dictum a Patribus fuit Nicænum Symbolum cum Particula *Filioque*. Concilium in Adriani Secundi Pontificis Maximi verba jura-

vit,

vit, eumque, ut Unius Eccleſiæ Paſtorem Unicum, ac Magiſtrum, ampliſſimis, & multiplicibus, obſequii ſui argumentis fuit proſequutum.

XVII. *Diviſio Imperii in Occidentale, & Orientale, non fuit Schiſmatis Origo.*

IMperii Occidentalis ab Orientali Diviſio inſtituta a Romanis Pontificibus Anno 800. non ſolvit Nexum Eccleſiarum, qui per annos ſupra quinquaginta firmiſſimus hæſit uſque ad Photii Rebellionem: non ortam ex hac ipſa cauſa, & brevi ſopitam.

56 Imo ipſi Cæſares Orientis miſerunt ad illos Occidentis Legationes, & iniverunt cum earum filiis Nuptias: & poſtularunt a Romano Pontifice Anno 1170. (cum videlicet in Occidente ictus Excommunicationis fulmine Fridericus imperabat) ut ipſis Regimen Occidentis reſtituere dignaretur.

SIGNUM VII.

Scelera Rebellionis Photii.

I. *Octava Pugna a Photio indicta, imo verius Prima, quæ Communis Græcorum appellari poteſt, & Initium Schiſmatis; cum huc uſque acta ſolùm ſint Diſcordiæ Semina a Patriarcharum Superbia, vel breves fuerint Hæreticorum quorumdam, a pleriſque Græcis damnatæ, Velitationes contra Unicum Unius Eccleſiæ Rectorem.*

PHotius, ejecto per vim, & nefas, S. Ignatio a Patriarchatu Conſtantinopolitano, illius Sedem invadit Anno 856.

57 Pe-

57 Petit a S. Nicolao Magno Romano Pontifice Confirmationem, miſſis obſequentiſſimis Literis, donis, & magnifica Legatione. Non impetrato aſſenſu, audaciſſimè invehitur in Cathedram Apoſtolicam, & ſuos Octava vice provocat ad Diſſidia. Dedecus magnum illorum eſt, qui huic Aulico, doloſo, ſuperbo, & crudeliſſimo, Eunuco in Schiſmate adhæſerunt: cui deinde, cultum, & obedientiam, poſt mortem S. Ignatii Martyris, ſimulanti, quia connivere Ioannes Octavus Pontifex, & vinci ab Eunuco in Patriarchali Sede confirmato, viſus fuit, Mulier vulgò dictus eſt ipſe Ioannes: cujus rei gratia invaluit apud recentiores Hæreticos Fabula de Pontifice Fœmina. Compertæ ſunt Sacrilegæ Impoſturæ Photii Romam accuſantis ob eaſdem cauſas, perperam allatas a Pſeudoſynodo Trullana, quibus addidit Inſertionem Symbolo particulæ *Filioque*, & non nutritam a Latinis Sacerdotibus Barbam, aliaſque hujuſmodi nugas; cum verè unica rebellandi cauſa fuerit ipſius Ambitus, & Arrogantia, qua ſecum ipſo, antea profeſſo ſummum erga Romanam Sedem obſequium, pugnavit.

II. *Ferè ſtatim ad Unam Eccleſiam revertuntur Græci in Octavo Concilio.*

58 EOrum, qui ſequuti fuerant impia Photii caſtra, reſipiſcētia fulſit Anno 869. in Octava Synodo Generali, eundem Photium damnante, & ad Unam, ſub Uno adſpectabili Capite Romano Pontifice, Fidem ſolennis Regreſſio. Ficta a Photio altera Satanica Synodus celebrata numquam fuit, & ab ipſius tantùm virulento calamo fluxit.

59 Pho-

59 Photius ipſe poſt publicam etiam Defectionem dat ſupplices Literas ad Romanos Pontifices: & ope Baſilii Cæſaris ab illis admitti petit in Sacrorum conſortium.

III. *Nonum, breviſſimumque Diſſidium ſub Nicephoro Phoca Cæſare.*

60 PEr annos ferè Centum poſt Photii deceſſum viget Eccleſiarum Pax ſub Uno, eodemque Rectore, cui Stephanus, aliique Patriarchæ, Leo, ceterique Imperatores religiosè obediunt, donec Anno 934. Albericus Romæ Tyrannus, muneribus Conſtantini Cæſaris corruptus, a Ioanne Vndecimo Pontifice conjecto in Carcerem vi extorſit, ut ipſius Conſtantini filio Theophilacto Pallium concederet,&Conſtantinopolis Patriarchas ab onere petendi in poſterum ab Urbe Pallii exemptos vellet: quo Privilegio per Tyrannidem expreſſo paulatim inſoleſcere cæperunt: ac tandem Anno 968. ſub Nicephoro Phoca, incenſo contra Latinos, Summoſque Pontifices, qui Othones Cæſarea Occidentis Corona donaverant, Nonum diſſidium erupit, quamprimùm ſedatum Anno 1009. a Ioanne Vndevigeſimo Pontifice Maximo, qui Conſtantinopolitanam Romanæ iterum junxit Eccleſiam.

SI-

SIGNUM VIII.

Inconſtantia Schiſmaticorum.

I. *Decima, ſeu verius Secunda ad plurimos fuſa Rebellio, ſed breviſſima, ſub Sergio Patriarcha.*

SErgius Patriarcha Photii Conſanguineus, ſceleſtis ejus veſtigiis inſiſtens, Decimam Defectionem molitur poſt Annum Milleſimum ab Ortu Reparatoris noſtri.

61 Eam verò Græcorum plerique deteſtantur, ac præſertim S. Macarius Antiochenus Patriarcha in Occidentem recipiens ſeſe: alterque illius Sedis Antiſtes Petrus, imo etiam Conſtantinopolitani, Alexius decedens Anno 1043. & ante illum Euſtatius, cujus, & Baſilii Cæſaris Legatio, ac pretioſa munera, miſſa Summo Pontifici, & Quiritum potentiſſimis Anno 1024. ut *OEcumenici* in Oriente Titulum, annuente Hierarchâ Eccleſiæ, ipſi Euſtatio impetrarent, ſatis indicant cognitionem Supremæ in Pontifice Poteſtatis. Ea verò irrita Legatio fuit.

II. *Undecima Diſceſſio ſub Cerulario.*

VNdecimum Pugnæ claſſicum canit Anno 1053. Michael Cerularius, qui a Ioanne fratre Michaelis Imperatoris actus in exilium ob Tyrannidem affectatam, Alexio in Patriarchatu ſucceſſit, *Sanctiſſimumq; ſe, & OEcumenicum* inſcripſit. Ei adhæſerunt Leo Achridanus, ac deinde Theodorus Balſamon Patriarcha Antiochenus Petri Succeſſor. Sed Anno 1054. S. Leo Nonus Pontifex Maximus miſſis ad Conſtantinum Mono-

macum Imperatorem Legatis, honorificentiſſimè ab illo exceptis, contudit audaciam Cerularii, *Novumque* appellavit ambitum Conſtantinopolitani Præſulis, Alexandrino ſe præferentis, & Antiocheno. Ac proinde conſtat, neque in ipſo receptos Oriente fuiſſe Canones intruſos Conſtantinopolitanæ Synodi, & Chalcedonenſis, ut Cæſareæ urbis Sedes Secunda eſſet poſt Romanam.

62 Deteſtabilem verò, Inanem, & Sacrilegam appellat Leo Nomenclaturam *Univerſalis* Patriarchæ, qua Cerularius intumeſcebat, *nihil reſpondere auſus, præter calumnias*, & fateri coactus, alios Orientis Patriarchas, Alexandrinum videlicet, & Hieroſolymitanum, ſe fruſtra illos ad arma concitante, in communione Unius Catholicæ Romanæ Eccleſiæ perſtitiſſe: in qua pariter hæſerunt Michael Ducas Orientis Imperator, prodigiosè ſanitati reſtitutus a Petro Anagniæ Præſule, Alexandri Pontificis Legato Anno 1073. qui Michael a S. Gregorio Septimo Alexandri Succeſſore defenſus contra Nicephorum Botoniatem Pontificiæ Excommunicationis fulmine ictum ob exutum Tyrannicè Imperio ipſum Michaelem, ſupplex in Italiam venit Anno 1080. & honorificam deinde ad Urbanum Secundum Legationem Alexius Comnenus Orientis Imperator ornavit anno 1095. ſub quo Alexio Catholico Principe Chryſolanus Archiepiſcopus Mediolanenſis, Legatus Paſchalis Pontificis Anno 1116. Conſtantinopoli de Proceſſione Divini Spiritus feliciſſimè diſputavit, plurimique veritati victas manus dederunt.

SIGNVM IX.

Publicus ad Unitatem Regreſſus in Conciliis Lateranenſi, & Lugdunenſi.

I. *Duodecima Defectio, ab ipſis etiam Græcis damnata in Concilio Lateranenſi.*

INvaleſcente Duodecima Defectione Adrianus Pontifex ſapientes viros legavit Anno 1155. ad Emmanuelem Comnenum Imperatorem, deditque literas ad Baſilium Archidenum Theſſalonicenſem magnę tunc famæ Præſulem, ut ad Petri ſinum profugos ab illo filios revocarent: cui Baſilius reſpondit, nullum Fidei ſuæ, aliorumque ſub Patriarchatu Conſtantinopolitano degentium, a Romana tunc eſſe diſcrimen: & ob offendicula tantùm quædam circa Ritus repullulaſſe Diſſidium, quæ de medio tollere *Paſtorum Princeps* (hoc enim nomine Adrianum compellat) facili negotio potuiſſet. Ad ea tollenda ſuam Alexandro Tertio Pontifici operam Emmanuel Comnenus Imperator per illuſtrem Legationem exhibuit anno 1170. ſummo a ſe ſtudio coli profeſſus Romanam omnium Eccleſiarum Matrem: ſimulque ab Alexandro, qui coactus tunc fuerat diris devovere Fridericum Imperatorem, maximis ab eo iniuriis affectus, flagitavit Ius ad Occidentis Imperium: quo non impetrato, excepit tamen honorificentiſſimè Cardinalem Oſtienſem Pontificium Nuncium, & Hugonem Heterianum, qui, vulgato Conſtantinopoli egregio Volumine de S. Spiritus Proceſſione, plurimis ſaluti fuit. Auctas deinde a Ioanne Patriarcha Schiſmatico turbas repreſſit per Literas

Digitized by Google

ras Innocentius Tertius anno 1199. perque Legationem Pelagii Cardinalis Albanenſis anno 1213.

63 Eædem tandem ſopitæ ſunt in Generali Concilio Lateranenſi anno 1215. cui Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus Patriarchæ coram, Alexandrinus verò, & Antiochenus, per ſuos Nuncios interfuerunt.

II. *Tertiadecima Sciſſio redintegrata in Concilio Lugdunenſi.*

NOn diu viguit inita Romæ Pax Eccleſiarum, a qua plurimi Tertiadecima vice defecerunt, fruſtra aliquamdiu conniſo illam fulcire Michaele Palæologo Imperatore, ac Urbano Quarto, & Clemente pariter Quarto Pontificibus, pluribus ultro, citroque miſſis Legationibus: donec, ope S. Ludovici Galliarum Regis, a Gregorio Decimo (quem Sanctum, & Angelicum virum Græci meritò deinde appellarunt in ſuo Præſulum Cætu) celebratum fuit Generale Concilium Lugdunenſe anno 1274.

64 Ad illud confluxerunt Imperatoris Conſanguinei, duo Præſules Patriarchatu perfuncti, Magnus Logotheta, Camerarius Imperii, aliique Aulæ Cæſareæ Principes, ac Primarii Antiſtites: qui lachrymis perfuſi, ac lætitia geſtientes, poſt obſequium publico Græcorum nomine præſtitum Gregorio Pontifici, Eccleſiarum Concordiâ ſtabilitâ, Ter Latinè, ac Græcè, Symbolum cecinerunt cum Particula *Filioque*. Confirmatum deinde Conſtantinopoli fuit Lugdunenſe Decretum ab Imperatore, & Patriarcha Ioſepho anno 1277.

III. *Quar-*

III. *Quartumdecimum Diſſidium ſub Andronico.*

SUblato è vivis Michaele Palæologo Catholico Cæſare Anno 1283. ejus filius Andronicus, ne plebejo quidem ſepulchro cadaver Patris dignatus eſt odio Religionis: Ioannem Veccum doctiſſimum Patriarcham Conſtantinopolis, cultorem religioſiſſimum Romanæ Cathedræ, alioſque Præſules adhærentes Lugdunenſi Concilio, in exilium amandavit: veritus iram populi Latinis averſi.

65 Sed, in ultionem fracti Quartadecima Violatione Sacri Fæderis, Turcæ ac Tartari coorti ſunt, latè Orientis Imperium depopulati. Anno autem 1333. ſub Ioanne Vigeſimoſecundo Pontifice Andronicus egit de Schiſmate ejurando: & anno 1369. Ioannes Palæologus Cæſar Romam ad Urbanum Quintum Pontificem ſupplex venit: quem Eccleſiæ Univerſæ Paſtorem pariter agnoverunt Paulus Patriarcha Conſtantinopolis, Ioannes Laſcaris, Demetrius Angelus, aliique Græciæ Principes, unà cum Patriarchis Conſtantinopolitano, Alexandrino, ac Hieroſolymitano.

66 Ioannes autem Cantacuzenus, cum evertere Imperio Ioannem Palæologum Catholicum Imperatorem ſuorum ope nequiviſſet, Turcas in Græciam evocaverat, qui ſuperato Helleſponto, captiſque aliquot Græciæ urbibus, & motis in Bulgariam armis, magna illam ex parte ſubegere: jamque ultimum Orientali exitium imminebat Imperio. Sed cognitâ a Græcis Ultionis Divinæ causâ, eamque pleriſque deteſtatis, & enixè favente Paci Eccleſiarum Emmanuele, Ioannis Patris in Imperio, ac

dein-

deinde in Fide Succeſſore, adſuit extemplò Anno 1402. ad ſoluendam Conſtantinopolis, cui Turcæ inhærebant, obſidionem Tamerlanes, qui maximo prælio fractum Bajazetem incluſit caueæ, ludibriumque fortunæ circumduxit; præſtito Græcis Divinitus documento, facilè ab illis Turcarum jugum excutiendum, ſi, ejurato Schiſmate, Unam ſub Unico Paſtore Romanam Fidem conſtanter amplecterentur.

SIGNUM X.

Pax inita in Concilio Florentino.

I. *Quintadecima Seceſſio, damnata a Concilio Florentino.*

NEquaquam ſervata a Græcorum pleriſque conſtantia, & inflata quintadecima Tuba Diſſidij, progreſſus in Oriente maximos fecerunt arma Turcarum; quibus admonitus Emmanuel Imperator per Legatos Martinum Quintum Pontificem adivit; is verò, miſſis Conſtantinopolim Petro Cardinali Fonſeca, & Antonio Maſſano Sacri Minorum Ordinis Generali Miniſtro, ad Concordiam Religionis amantiſſimè Græcos invitavit:

67 Hæc tandem inita fuit Anno 1439. cum incredibili Chriſtiani Orbis plauſu in Florentino Concilio: cui ſuum adhibito calamo nomen dedere, poſt diuturnas, & exactiſſimas de controverſis Articulis Diſputationes, habitas Ferrariæ, Florentiæque, Ioannes ipſe Imperator, Ioſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus, præmortuus quidem fini Concilii, ſed relicta ſua Catholicæ Fidei ſyngrapha, & omnes, qui aderant, (ferè autem omnes intere-

rant

rant, vel coram, vel per ſuos Nuncios) Græciæ Præſules.

Unus mortalium contumaciſſimus Marcus Epheſius Orbi Chriſtiano Univerſo aſſentiri abnuit, & calumniatus exinde Concilii Patres, ut qui, ad extundendum a Latinis contra Turcas auxilium, Fidem prodidiſſent, pleroſque a Fœdere ſacro Sexta decima vice diſtraxit: cujus criminis immanes pœnas brevi dederunt; cum enim finita in Concilio Græcorum Pax fuiſſet anno 1439. occupata fuit Conſtantinopolis a Turcis anno 1453. ut Conſtantino Draguti, Græcorum Imperatorum ultimo, prædixerat optimus Pontifex Nicolaus Quintus.

II. *Poſt hanc Synodum plurimi ex Græcis hæſerunt in Una Romana Eccleſia, vel ad illam regreſſi ſunt.*

POſt captam Conſtantinopolim, gementibus Græcis ſub Turcarum Tyrannide, publica non contigit eorumdem communi nomine Regreſſio ad Catholicam Fidem.

68 Eam tamen profeſſi ſunt ex Patriarchis doctiſſimi, Gennadius, Beſſarion, Gregorius, Dionyſius, Niphon: & hoc etiam vertente Seculo, a Collegii Græcorum Alumnis cognitione veritatis imbuti, Raphael, Timotheus, & Cyrillus Berræenſis, qui alteri, a ſuis expulſo, Cyrillo Calviniano ſucceſſit: præter alios è Clero, & Populo innumeros, qui vel antea hæſerant in integerrima Fide, vel ad illam poſtliminiò, ab ipſis præſertim Alumnis, ſunt revocati.

III. *Quid præcipuè declaraverit Florentina Synodus.*

STatutum Florentiæ fuit, conſtare a Sacris Literis, & communi eis tributa a Sanctis Latinis, & Græcis Patribus, etiam in Generalibus Synodis, Interpretatione, Divinum Spiritum a Patre, Filioque, unica ſpiratione procedere: ac Particulam *Filioque* ſuadente Neceſſitate optimo jure fuiſſe Symbolo adiectam. Non tamen coacti ſunt Græci, dummodo Catholicè ſentirent, ad illam in Symbolo pronunciandam.

Non ſolùm Primatus Ordinis, ſed etiam Plena Poteſtas Paſcendi, Regendi, & Gubernandi Univerſalem Eccleſiam Romano Pontifici Chriſti Vicario in D. Petro ab ipſo Chriſto Domino tradita definitur: prout etiam liquere dicitur ex Actis aliorum OEcumenicorum Conciliorum.

Declaratur, dari Purgatorias Pœnas: nec expectandum ab Animabus corpore ſolutis ſupremum Iudicii diem, ut intueri poſſint Divinitatem. In Azimo demum, ſive Fermentato Pane Triticeo, perindè confici Divinum Corpus, & in alterutrius uſu ſervandam ab unoquoque eſſe Eccleſiæ ſuæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis, Conſuetudinem.

SI-

SIGNUM XI.

Inſania præferentium Concilio Marcum Epheſium.

I. *Quàm magnæ ſit Auctoritatis Florentinum Concilium.*

69 IN nullo autem Concilio accuratius diſcuſſa ſunt illa, quæ definitione firmanda erant, perinde ac ſi actum numquam de iis fuiſſet in aliis Synodis. Data omnibus opponendi facultas. Et quæ non obiecit Marcus Epheſius, Beſſarion, Ruthenus, aliique? Univerſa ſuis in Præſulibus adfuit Græcia: interfuere Latini, Patrum Græcorum auctoritate munitiſſimi. Præfuit ipſe Sacrorum Præſes Eugenius. Interloqui pro arbitrio potuit Græcorum Imperator, & interloquutus frequentiſſimè fuit. Vis nulla, nullæ armatorum cohortes præſtò erant. Procul agebat Latinorum Cæſar. Permiſſus pro libito fuiſſet Græcis diſceſſus infectâ re, optatâ ſolùm, ut Sempiternæ illorum Saluti conſuleretur.

II. *Demonſtratur manifeſta Inſania maiorem fidem adhibentium Marco Epheſio, quàm Univerſali, Sanctiſſimoque Latinorum, & Græcorum Patrum Concilio.*

70 QUi eos, non illuſtratos Divinitus, & a comperta veritate compulſos, iuiſſe dicit in Latinorum, imo verò in omnium Græciæ Sanctiſſimorum Patrum, ſententiam, ſed tempori ſerviviſſe, ut auxilium contra Turcas extorquerent: blaſphemat

contra Divinum Spiritum, Legitimarum Synodorum Auctorem. Quæ autem Syncera magis cenſeri debet, quàm ab Orbe Chriſtiano Univerſo convocata, cujque Chriſti Vicarius præfuit, eamque ampliſſimè confirmauit?

71 Detrahit præterea nomini ſuorum omnium Præſulum, quorum Sanctitati, ac Sapientiæ præfert unius Marci Epheſii vecordiam. Illi verò ſi major, quàm tot egregiis Teſtibus, adhibenda eſſet fides, Deus ipſe, ac Natura nos decepiſſet,quæ nonUnius,ſed plurium Conteſtationi ſtandum docet. Æternis profectò ſuppliciis ab Æquiſſimo Numine addici nequeunt, qui nequiſſimo, quem fuiſſe Marcum Epheſium oſtendemus, Nebulone contempto, ſequuntur Sententiam ſuorum omnium Antiſtitum, florentiſſimorum Sanctimoniâ,& Sapientiâ.

72 Cum ex Divina mortalium Providentia neceſſe ſit, communem omnibus eſſe poſſe Veram Religionem, dummodo ſyncero illam animo quærere ſatagant,ac ſervare: cumque ex omnibus perpauci ſint apti ad illam per Cauſas Intrinſecas propriâ intelligentiâ conſequendam: conſectari Populus debet paucorum illorum ductum, qui, ut doctrinâ præſtantes, decipi non ſolent: utque probitate ornati, alios decipere non cónſueverunt. Quapropter ſi in duabus hiſce prærogativis, videlicet Sapientiâ, & Probitate, cultores Falſæ anteirent cultoribus Veræ Religionis, ſectatores Falſæ tueri ſe poſſent, & ipſum Deum accuſare, qui eos in errandi neceſſitate conſtituiſſet. Quis autem in animum admittat,Univerſitatis Auctorem, qui odore, ac ſapore ſalubres a noxiis cibis diſcrevit, viliſsimorum etiam animantium incolumitati pro-

proſpiciens: quique alias obiectas ſenſibus qualitates diſtribuit, ut Indicia eorum, quæ (juxta naturam, & præter fortuitos, ideoque rariſſimos caſus) uniuſcujuſque corpori expediunt, aut nocent: hunc, inquam, Auctorem rerum omnium Prouidentiſſimum, oblitum ſuæ hujusce Providentiæ ſolùm fuiſſe, quis credat, in rerum omnium ſalutarium, aut noxiarum maxima, ſcilicet in Veræ, aut Falſæ Religionis Indiciis? Oblitus autem profectò fuiſſet, ſi majori unum Epheſium, quàm Univerſum Concilium, Sapientia decoraſſet, ac Sanctimonia; ideoque illius potius, quàm Patrum omnium, ſententiæ inhærere nos voluiſſet, ut Sempiternam Felicitatem aſſequamur.

Enimverò ſi Prodigiis etiam inclaruiſſet Ebrius ille, & Comitiali frequenter, ut Mahometes, morbo correptus, Tartari præſtigiæ habendæ fuiſſent, & non Divina Portenta. Sed illa tentare auſus nunquam Prodigium ſolummodo ipſe fuit obduratæ Arrogantiæ.

Non ſolùm ergo ex revelata Divinitus Conciliorum Auctoritate, ſed ex ipſo etiam humanæ ratiocinationis ductu, liquet Græcis ingenioſiſſimis viris, non diſcedendum ipſis eſſe a Synodi Florentinæ Decretis.

SIGNUM XII.

Veritas patens ex tot Regreſſibus ad Unitatem, & a Schiſmatum Cauſis.

Anacephaleoſis tot Diſceſſionum ab Una Eccleſia, & ad eandem Regreſſuum.

73 SI uno multiplices, huc uſque recenſitæ, Diſceſſiones intuitu ſpectentur, neceſſariò ſui ipſius pudebit Schiſmaticos, quibus maximum Erroris Argumentum erit ipſa frequens Mutatio ſententiæ; Veritas enim ut Æterna, ita Una, eademque perpetuò eſt. Eam verò ſi toties ipſorum Patres agnoverunt, neque enim ceteroqui regreſſi ad illam fuiſſent, cur illam etiam Filii non amplectantur?

74 At ſi Diſſidiorum Cauſa, quæ Una, eademque ſemper fuit, videlicet Superbia, perpendatur, illa etiam Signum manifeſtiſſimum prodet Erroris, in quo Schiſma verſatur. Prima enim Semina Contentionum jacta ſunt a ſtudio Patriarcharum Conſtantinopolis omnibus aliis Græciæ Præſulibus imminendi: tum Ambitus Æqualis in Sede, & evanido *OEcumenici* nomine honoris cum Romano; quamvis hic tantùm, non Conſtantinopolitanus, Petro ſucceſſerit: Deinde ipſa Patriarchalis Dignitas a Photio per vim, & nefas occupata, qui, non extorta Confirmatione, prorupit ad Tartareas calumnias contra Apoſtolicam Sedem, damnatas frequenter, & ſæpius ab Inferis revocatas. Superbia verò certè non eſt Index Veritatis, cum illa ſemper, iam tum a miſera Rebel-

lium Angelorum ruina, Mendacii fuerit Proles, & Mater.

SIGNUM XIII.

Schiſmatis, adeoque etiam Hæreſum, Falſitas ex earum Novitate.

I. *Ex multiplici Mutatione Sententiæ patet Novitas, ideoque Falſitas, qua laborant digreſſi ab* Una *Antiquiſſima Fide.:*

75 CUm autem contraria Veritatibus olim revelatis aperire nequeat Deus Optimus Maximus, fallere, aut falli, neſcius, profectò, qui a concepta olim opinione toties diſceſſerunt, fatentur, a ſe non relictam fuiſſe Antiquam Fidem, a Deo mortalibus traditam, ſed Novos Errores ab Hoſte humani generis in ſuorum animis diſſeminatos. Novitas autem ipſa eſt Nota manifeſtiſſima Falſitatis.

II. *Liquet etiam, ab ipſis peti non poſſe ſuffragium Præſcriptionis circa excuſſum Pontificium Regimen.*

76 HInc ſequitur, præſcribi nullatenus a Schiſmaticis poſſe; cum Præſcriptioni repugnet Uſus primò inductus per Manifeſtam Vim, & Nefas: & contra quem frequenter a læſis fuerit reclamatum: quique frequenter ab ipſis Uſurpatoribus fuerit abruptus. Iniquitas autem Primæ Occupationis conſtat ex dictis: & perpetuæ, ac amantiſſimæ querelæ ab illa læſi Supremi Paſtoris Ovium Chriſti: & interrupta iniqua Poſſeſſio Membrorum a Capite diuulſorum, cum eidem ſe toties ag-

agglutinaverint. Vera porrò Fides, cum Una, eademque perpetuò ſit, ac Divinitus tradita, Sanctiſſimum Initium ſortitur: neque quiſquam contra illam, niſi inſaniens, reclamare poteſt: neque unquam ſententiam mutat; ideoque firmiſſimo nititur Præſcriptionis Fundamento: quo non fulcitæ ultrò corruunt Hæreſes omnes, ut oſtendit acutiſſimè Tertullianus, ſuos ipſos jugulans, antequam naſcerentur, Errores.

III. *Novitas aliorum Errorum omnium, quibus inficitur Schiſma, nullum præſcribere valens.*

QUamvis non ſingulos controverſos cum Schiſmaticis Articulos in præſentia diſcutiamus, ſed ſolùm Communes tradamus Veræ Fidei, & Eccleſiæ Notas, innuere tamen præſtat: non tantùm ab ipſo frequenti Reditu Schiſmaticorum ad Vnam Romanam Eccleſiam, conſtare, ex ipſorum Confeſſione, de Novitate, ideoque Falſitate Opinionum omnium, quibus adhuc incubant regreſſi ad miſerum Schiſma; ſed etiam eandem Novitatem patere, ſi vel leviter Sanctorum Græciæ Patrum Opera delibentur.

De S. Spiritus Proceſſione a Patre, ac Filio, deque Summa Romani Pontificis Auctoritate, ſpecimen damus in edendis quamprimùm Diſſertationibus, idem præſtituri de Purgatoriis Pœnis: de Aſpectu Divino non vetito ante Decretorium mortalitatis diem: de antiquiſſimo & introducto ab ipſo Chriſto Domino in Sacra Cœna uſu Azimorum: de Coniugibus non permiſſis olim Diaconis, & Sacerdotibus, in ipſa Græcorum Eccleſia: & de prohibito ſemper Divortio, quod novis viam nuptiis aperiret.

77 Interim ſolùm innuimus: a Schiſmaticis ipſis compellari ad Aras Sanctos jam nunc cum Chriſto Regnantes, Divinoque potitos intuitu: ac preces, & Sacra inſtitui pro iis, qui in vera Fide quieverunt, quibus proinde, ſi temporariis vrgentur pœnis, ſuffragari ſe poſſe arbitrantur, adeoque ipſas præſumunt exiſtere. Nulla ergo Schiſmaticorum opinio Vetuſtate, ac Præſcriptione fulcitur, ideoque omnibus ineſt Indicium Falſitatis.

SIGNUM XIV.

Inteſtinæ Pugnæ Schiſmaticorum, & Hæreticorum.

I. *Pugnæ ipſorum Schiſmaticorum inter ſe in ſuis Opinionibus explicandis: ex quibus efficitur, Unam non eſſe, ideoque nec Veram, ipſorum Fidem.*

78 IAm verò ſi Certamina, quibus lymphati meraco Schiſmatis, & Hæreſis inter ſe, Corybantum, & Lapitharum more, digladiantur, intueamur, luce meridiana clarius erit, Vera illos non frui, hoc eſt accepta Divinitus Fide; cum enim hæc Una, eademque neceſſariò ſit, nullum intercedere poteſt in illa explicanda diſcrimen.

Exemplum ducamus a Pontificia Poteſtate, quam ampliſſimam ſupra Univerſum Chriſtianum Orbem a Chriſto Domino fuiſſe traditam Petro, quibuſdam negantibus, ultro plerique concedunt. Tranſmiſſam eandem in Petri Succeſſores fateri coguntur, qui primis, ut dicitur, labiis Concilia, & Patres, attigerunt. Coarctant illam aliqui ad cuſtodiam Occidentalis Eccleſiæ. Sunt demum,

qui

qui dicant, utcumque nullo fuerit terrarum ambitu definita, fuiſſe deinde abrogatam ob inſertam particulam *Filioque* Nicæno Symbolo.

De Auctoritate autem Conſtantinopolitani Præſulis, quem, gratis omnino, dicunt, ſucceſſiſſe Romano Pontifici, quanta diſſenſio? Qui enim *OEcumenicum* illum appellant, eam protendere videntur in Orbem terræ Univerſum. Sed alios pudet, etiam Occidentem Sacræ illius Ditioni ſubjicere. Neque ultro Alexandrinus, aliique Orientis Præſules ſub illius jura concedunt: a quibus exemptos ſe quoque Cyprij, aliique Minores Antiſtites putant.

At Divinarum explicationem Emanationum ingreſſi miris anguſtiis implicantur. Utcumque abradant auctoritates omnes, in quas incidunt, Patrum, affirmantium, S. Spiritum procedere etiam *a Filio*, aliæ perpetuò ſoboleſcunt, & plurimæ uſurpant voces: *Per Filium*. Filium ergo vel ſolummodo *Canalem* dicunt, cum tamen Patres illum appellent *Sancti Spiritus Fontem de Fonte Patre*. Vel illius etiam nominis pertæſi plerique, ſolùm adhibitas illas voces aſſerunt ad notandum, quod unius, ejuſdemque Subſtantiæ ſint omnes Divinæ Perſonæ: vel quod non minus, quàm Filius, ipſe etiam Spiritus procedat a Patre. Qui verò ad hæc ſignificanda ineptas animadvertunt illas loquendi formas: *A Filio*, & *per Filium* (vt profecto ineptiſſimæ ſunt) eas detorquent ad indicandas Relationes; cum tamen in Divinis aliæ non dentur, quàm Producentis, & Producti: ac, ſi aliud indicant voces a *Filio*, & *Per Filium*, quàm, ab illo produci Spiritum: neque a ſimilibus loquendi modis aptè inferetur, produci Filium a Patre.

Ne-

Neque de aliis Arcanis Fidei non gliſcunt inter Schiſmaticos Pugnæ, cum, purgari Animas, non tamen Igne, affirment aliqui. Quaſcumque alii Luſtrales pœnas è medio tollant. Riſum verò provocaret(niſi delyrantium infelicitas lachrymas potius extorqueret)illud,quod affirmãt aſſeclæ Gregorii Palamæ,in Græcorum Concilio Hæreſis damnati, nunc tamen a pleriſque Schiſmaticorũ in Triodio Sanctis adſcripti: delibari ſcilicet uſuram Viſionis Beatificæ ab hominibus mortalem vitam ducentibus, ſi demiſſo in ventrem vultu animum affigant Divinitati; cum tamen exutæ corporibus Animæ illâ fraudentur, quouſque conſortio corporum redonentur, in Empyrei Cæli Atrio præſtolari coactæ. Damnant aliqui Azymorum uſum in Divinis Myſteriis: illum alii annumerant Indifferentibus rebus.

Quis, Veritatis eſſe Magiſtros, arbitretur, qui ſecum, non minus, quàm nobiſcum, decertant? Enimverò ipſorum non eſt Una, eademque: ideoque nec Vera Fides.

II. *Eadem Certamina Unitati repugnantia tribui nequeunt Eccleſiæ Romanæ.*

79 NEque verò quiſpiam effutiat, hoc ipſum inter ſe pugnantium Fidei Magiſtrorum dedecus retorqueri poſſe in Latini Sectatores Ritus, quorum plurimi amplectantur Interpretationem, traditam Sacris Literis a Romano Pontifice, a Luthero alii, aut Calvino. Inepta nimis, ideoque Græcis indigna, eſt hujuſcemodi Retorſio, quæ aerem verberat, non Latinam Eccleſiam, extra quam Hæreticos eſſe novimus; neque enim Una

N Eccle-

Eccleſia dicitur ab Unius Linguæ, vel Ritus, ſed Unius Fidei Conformitate. Ideoque Catholicos Græcos, licet Idiomate, ac quibuſdam Moribus, diſcrepantes, ſuo Eccleſia Romana ſinu complectitur: procul abiicit Latinos de Lutheri, aliorumque Hæreticorum grege. Nulla ergo ſunt inter nos Certamina, Veræ, ideoque Uni, Fidei repugnantia.

Nam, quæ ſolùm inter Scholaſticos Catholicos vigent, ingenii pugnæ, circa res verſantur in Sacris Literis non expreſſas, nec dum a Pontificibus, aut Conciliis ex Traditionibus, aut communi Patrum Interpretatione definitas: interque ipſas Controverſias præparato animo Theologi ſunt ad ſuam Sententiam revocandam, ſi eidem contrariam tueri jubeat Eccleſiæ Matris Auctoritas.

80 At Schiſmaticorum Diſſidia ſpectant res Conciliorum olim Definitioni ſubjectas: neque illas inficiati, aut perversè interpretati, proinde ab ipſis cenſentur Hæretici. Dummodo enim Græcis Ceremoniis inſiſtant, neque degenerent ad Calvini, aliorumque Recentiorum Errores, quodcumque circa reliqua ſuperius recenſita opinentur, perinde habetur; licet apertè repugnent Conciliorum Decretis.

81 Quid, quod neque à ſua omnino Communione prohibent populos Hæreſis manifeſtæ compertos; imo Abyſſinis, aliiſque, Neſtorium adhuc, aut Dioſcorum, execrata Græcis nomina, proſequutis Alexandrinus Patriarcha tradere fertur Sacra, & Antiſtites. Una ergo certè non eſt, ideoque nec Vera, Schiſmaticorum Fides, quam ipſius Interpretes, & Magiſtri miſerè ſcindunt in plures.

SIGNUM XV.

Membrorum Unius Romanæ Eccleſiæ Summus inter ſe, & cum Capite Nexus.

Summus inter ſe Membrorum, Romanam Eccleſiam conſtituentium, & cum Capite, Nexus, Unam ipſam, adeoque Veram, oſtendit.

82. NON ſolùm nulla nos dividunt Fidei Certamina, ſed etiam Unus eadem credendi, docendique ardor, ac ſtudium, mirificè inter ſe Unius, ideoque Veræ, Romanæ Eccleſiæ Membra conjungit. Non Divulſio tantùm, ſed quævis etiam Diſtractio partium incolumitati Corporis plurimum officit. Una eſſe debet Fides, ut Unus Dominus, Unumque Baptiſma. Hinc perpetui apud nos Fidei Quæſitores: Epiſcopi videlicet ipſi, aliique Sapientiſſimi viri, ſemper excubantes, nequid Religio detrimenti capiat.

83. At quo proſequimur cultu Chriſtianorum Patrem, adſpectabile Caput Unius Eccleſiæ? Ut ab illo cætera Membra leges accipiunt: prout ipſa Natura præſtandum docet! Indicaſſe iſta ſufficiat, cum vltro pateat, optimum, adeoque à Deo conſtitutum eſſe Corpus illius Eccleſiæ, cujus Partes adeo inter ſe cohærent, & nobiliſſimam omnium, ipſum videlicet Caput, obſequentiſſimè venerantur.

SIGNUM XVI.

Neceſsitas Perpetuæ Diviſionis in Cœtu Hoſtium.

Nexus hic eſſe nequit in Cœtu Schiſmaticorum, habente non Unum, ſed Multiplex Caput; adeoque multò minus Hæreticorum, habente Nullum.

84 ARbitrariæ videri poſſunt Pugnæ, a ſe invicem diſtrahentes Membra Falſæ Schiſmaticorum Eccleſiæ; ideoque, cum certè interea laborent hac Nota Mendacij, ſpem tamen fovere poſſent illam delendi, ſi aliquando tandem inter ſe conſpirarent. Sed neceſſaria profectò ſemper erit Membrorum plurimorum a Capite Diviſio, niſi Vero aliquando Capiti, Romano videlicet Pontifici, admoveantur. An enim unquam Præſules, & Patriarchæ reliqui plenam ſupra ſe Conſtantinopolitani Poteſtatem admittent? Iiſdem artibus, quibus initio ſunt parta, Schiſmata retinentur. Superbia porrò peperit, quæ nunquam alterius jugum ultro ſubibit; licet Cæſarea Urbs Antiſtiti ſuo extorſerit ab aliis honorem primo loco ſedendi. Verum autem in cæteros Ius; cum Sacræ Literæ nullæ, nulla Conciliorum eidem vindicet, aut Patrum Auctoritas, profectò nunquam, ipſis ultro concedentibus, obtinebit. Semper ergo non Unius Capitis formoſum Corpus, ſed multiplicis Verticis monſtroſa Hydra (neque enim Duorum tantùm Amphisbena) erit Schiſmaticorum Congregatio: cui proinde Signum Veræ, ſcilicet Unius ſub uno Capite, Eccleſiæ deſperandum eſt.

LIBER SECUNDUS

De Signis pertinentibus ad Eccleſiæ Veræ Sanctitatem, demonſtrantibus Inſaniam etiam Hebræorum, Atheorum, & omnium prorſus Hoſtium Romanæ Eccleſiæ.

Quid huc uſque præſtiterimus, ac præſtituri ſimus in Operis decurſu. In quo ſenſu Sanctitas ſit Evidens, & quaſi ſenſibus obiectum Veræ Fidei Signum. Quo pacto ab afferendis in hoc Libro Argumentis ſubvertendæ ſint Sectæ omnes, quæ repugnant Eccleſiæ Romanæ: videlicet ipſi etiam Iudæi, Mahometani, Theiſtæ, Ethnici, & Athei.

HActenus aliquem aliorum ductum ſequi potuimus, cùm plurimi egerint de frequenti Diſceſſione Orientalium ab Una Eccleſia: nec deſint, qui univerſam Hiſtoriam Schiſmatis a Photio fuerint aggreſſi. Nullus tamen ſuas in claſſes redegit Disjunctiones omnes, ac toties repetitam, totieſque fractam Concordiam. Neque, quod noverim, immoratus eſt quiſpiam in eruendis ex narratione Diſſidiorum Argumentis ineluctabilibus Errorum, quibus excæcantur avulſi toties, ac tam multipliciter, per inita nobiſcum, & ſecum ipſis Certamina, ab Unius Fidei, & Eccleſiæ Veritate.

eſſe, quæ invicem pugnant: ut Superſtitiones omnes cum Romano Divinitatis cultu decertant.

Præterea ſi Veritas contrariis Sectis ſuffragaretur, neceſſariò Falſa eſſet Romanæ Fides Eccleſiæ, quæ, Falſitate laborare alias omnes, certò credit; ideoque per Miracula, ceteraque compertiſſima Signa non poſſet accedere ipſi Romanæ Divinum Veritatis ſuffragium.

Qui, ne ſe Inſanos fateantur, has Veritatis Notas adeſſe nobis, obdurato in nequitiam animo, pernegant, hoc ipſo ſeſe Dementiſſimos profitentur, qui Scriptoribus innumeris præſtare fidem recuſent, imo & ipſis Oculis, in quos Perpetua plurima, & alia nunc etiam perpetrata, Prodigia frequenter incurrunt.

SIGNUM I.

Sanctitas Fundatorum Romanæ Eccleſiæ: illius Hoſtium, v.g. Mahometis, & Hæreticorum Iniquitas.

85 CUm Sanctiſſimus Deus, in ipſa procreatione hujuſce rerum Univerſitatis, cultum ſui, primamque hominum Parentibus Religionem indiderit, Sanctos etiam eſſe voluit illos, qui recentes Ritus, & Leges, Sempiternæ Felicitati adipiſcendæ, pro Temporum, ac Gentium opportunitate, neceſſarias, traditurì populis erant. Hinc inſigni Sanctimonia præſtitit Abraham Circumciſionis Inductor, & Scriptæ Legis Traditor Moyſes: ipſius verò Divinitatis Sanctitate penitus imbutus fuit humanæ Salutis Aſſertor Chriſtus Dominus, Gratiæ Legem cælitus afferre dignatus.

Quos

Digitized by Google

Quos porrò ad illam per Orbem terræ ſpargendam miſit Apoſtolos, Sanctiſſimis moribus induit, ut ex eorum Integritate Argumenta mortales ducerent Veritatis Doctrinæ, ab illis vulgatæ; neque enim parati ad decipiendum exiſtimari poſſunt, qui ſummâ exornantur illibatæ vitæ innocentiâ. Ab Apoſtolorum autem Principibus fundatam fuiſſe Romanam Eccleſiam, Schiſmaticorum nemo inficiatur: & a Petro cæpiſſe Sacram Chriſtianorum omnium Præfecturam, plerique ipſorum non revocant in controverſiam. Sanctiſſimi ergo fuerunt noſtræ Religionis Auctores.

86 Quis verò illam, novis inductis Morum, aut Rituum, Legibus infecerit, nullus Græcus, aut barbarus Hiſtoricus comminiſcitur. Non audent Schiſmati addicti hariolari cum Recentioribus Hæreticis, qui corruptelam Urbis referunt ad tempora Gregorii Magni, imo illum nobiſcum inſerunt albo Divorum. Et utcumque in Pontifices, permittentes inſeri Symbolo particulam *Filioque*, Sabbato iejunare, & abradi Sacrorum Miniſtrorum barbas, ac prohibentes Latinis Sacerdotibus uſum Coniugii, invehantur; nihil habent, quo ipſorum mores criminentur. Ideoque intactum penitus relinquunt locum hunc, quo de Refingentium Vetuſtas Eccleſiæ Conſuetudines Sanctitate, aut Nequitia diſputamus.

87 At quæ ſe nobis ingerunt, Deus immmortalis, intuentibus, qui primi fuerint Auctores Nouarum Opinionum, quibus illaqueantur Schiſmatici, quique ipſius miſerrimi Schiſmatis, & Hæreſum Duces? Sancta profectò dici nequit ipſorum Eccleſia a Conditorum Sanctitate.

SIGNUM XII.

Veritas patens ex tot Regreſſibus ad Unitatem, & a Schiſmatum Cauſis.

Anacephaleoſis tot Diſceſsionum ab Una *Eccleſia, & ad eandem Regreſſuum.*

73 SI uno multiplices, huc uſque recenſitæ, Diſceſſiones intuitu ſpectentur, neceſſariò ſui ipſius pudebit Schiſmaticos, quibus maximum Erroris Argumentum erit ipſa frequens Mutatio ſententiæ; Veritas enim ut Æterna, ita Una, eademque perpetuò eſt. Eam verò ſi toties ipſorum Patres agnoverunt, neque enim ceteroqui regreſſi ad illam fuiſſent, cur illam etiam Filii non amplectantur?

74 At ſi Diſſidiorum Cauſa, quæ Una, eademque ſemper fuit, videlicet Superbia, perpendatur, illa etiam Signum manifeſtiſſimum prodet Erroris, in quo Schiſma verſatur. Prima enim Semina Contentionum jacta ſunt a ſtudio Patriarcharum Conſtantinopolis omnibus aliis Græciæ Præſulibus imminendi: tum Ambitus Æqualis in Sede, & evanido *OEcumenici* nomine honoris cum Romano; quamvis hic tantùm, non Conſtantinopolitanus, Petro ſucceſſerit: Deinde ipſa Patriarchalis Dignitas a Photio per vim, & nefas occupata, qui, non extorta Confirmatione, proruit ad Tartareas calumnias contra Apoſtolicam Sedem, damnatas frequenter, & ſæpius ab Inferis revocatas. Superbia verò certè non eſt Index Veritatis, cum illa ſemper, iam tum a miſera Rebel-

lium

lium Angelorum ruina, Mendacii fuerit Proles, & Mater.

SIGNUM XIII.
Schiſmatis, adeoque etiam Hæreſum, Falſitas ex earum Novitate.

I. *Ex multiplici Mutatione Sententiæ patet Novitas, ideoque Falſitas, qua laborant digreſſi ab* Una *Antiquiſſima Fide.*

75 CUm autem contraria Veritatibus olim revelatis aperire nequeat Deus Optimus Maximus, fallere, aut falli, neſcius, profectò, qui a concepta olim opinione toties diſceſſerunt, fatentur, a ſe non relictam fuiſſe Antiquam Fidem, a Deo mortalibus traditam, ſed Novos Errores ab Hoſte humani generis in ſuorum animis diſſeminatos. Novitas autem ipſa eſt Nota manifeſtiſſima Falſitatis.

II. *Liquet etiam, ab ipſis peti non poſſe ſuffragium Præſcriptionis circa excuſſum Pontificium Regimen.*

76 HInc ſequitur, præſcribi nullatenus a Schiſmaticis poſſe; cum Præſcriptioni repugnet Uſus primò inductus per Manifeſtam Vim, & Nefas: & contra quem frequenter a læſis fuerit reclamatum: quique frequenter ab ipſis Uſurpatoribus fuerit abruptus. Iniquitas autem Primæ Occupationis conſtat ex dictis: & perpetuæ, ac amantiſſimæ querelæ ab illa læſi Supremi Paſtoris Ovium Chriſti: & interrupta iniqua Poſſeſſio Membrorum a Capite diuulſorum, cum eidem ſe toties ag-

agglutinaverint. Vera porrò Fides, cum Una, eademque perpetuò ſit, ac Divinitus tradita, Sanctiſſimum Initium ſortitur: neque quiſquam contra illam, niſi inſaniens, reclamare poteſt: neque unquam ſententiam mutat; ideoque firmiſſimo nititur Præſcriptionis Fundamento: quo non fulcitæ ultro corruunt Hæreſes omnes, ut oſtendit acutiſſimè Tertullianus, ſuos ipſos jugulans, antequam naſcerentur, Errores.

III. *Novitas aliorum Errorum omnium, quibus inficitur Schiſma, nullum præſcribere valens.*

QUamvis non ſingulos controverſos cum Schiſmaticis Articulos in præſentia diſcutiamus, ſed ſolùm Communes tradamus Veræ Fidei, & Eccleſiæ Notas, innuere tamen præſtat: non tantùm ab ipſo frequenti Reditu Schiſmaticorum ad Vnam Romanam Eccleſiam, conſtare, ex ipſorum Confeſſione, de Novitate, ideoque Falſitate Opinionum omnium, quibus adhuc incubant regreſſi ad miſerum Schiſma; ſed etiam eandem Novitatem patere, ſi vel leviter Sanctorum Græciæ Patrum Opera delibentur.

De S. Spiritus Proceſſione a Patre, ac Filio, deque Summa Romani Pontificis Auctoritate, ſpecimen damus in edendis quamprimùm Diſſertationibus, idem præſtituri de Purgatoriis Pœnis: de Aſpectu Divino non vetito ante Decretorium mortalitatis diem: de antiquiſſimo & introducto ab ipſo Chriſto Domino in Sacra Cœna uſu Azimorum: de Coniugibus non permiſſis olim Diaconis, & Sacerdotibus, in ipſa Græcorum Eccleſia: & de prohibito ſemper Divortio, quod novis viam nuptiis aperiret.

77 Interim ſolùm innuimus: a Schiſmaticis ipſis compellari ad Aras Sanctos jam nunc cum Chriſto Regnantes, Divinoque potitos intuitu: ac preces, & Sacra inſtitui pro iis, qui in vera Fide quieverunt, quibus proinde, ſi temporariis vrgentur pœnis, ſuffragari ſe poſſe arbitrantur, adeoque ipſas præſumunt exiſtere. Nulla ergo Schiſmaticorum opinio Vetuſtate, ac Præſcriptione fulcitur, ideoque omnibus ineſt Indicium Falſitatis.

SIGNUM XIV.

Inteſtinæ Pugnæ Schiſmaticorum, & Hæreticorum.

I. *Pugnæ ipſorum Schiſmaticorum inter ſe in ſuis Opinionibus explicandis: ex quibus efficitur, Unam non eſſe, ideoque nec Veram, ipſorum Fidem.*

78 IAm verò ſi Certamina, quibus lymphati meraco Schiſmatis, & Hæreſis inter ſe, Corybantum, & Lapitharum more, digladiantur, intueamur, luce meridiana clarius erit, Vera illos non frui, hoc eſt accepta Divinitus Fide; cum enim hæc Una, eademque neceſſariò ſit, nullum intercedere poteſt in illa explicanda diſcrimen.

Exemplum ducamus a Pontificia Poteſtate, quam ampliſſimam ſupra Univerſum Chriſtianum Orbem a Chriſto Domino fuiſſe traditam Petro, quibuſdam negantibus, ultro plerique concedunt. Tranſmiſſam eandem in Petri Succeſſores fateri coguntur, qui primis, ut dicitur, labiis Concilia, & Patres, attigerunt. Coarctant illam aliqui ad cuſtodiam Occidentalis Eccleſiæ. Sunt demum,

qui

qui dicant, utcumque nullo fuerit terrarum ambitu definita, fuiſſe deinde abrogatam ob inſertam particulam *Filioque* Nicæno Symbolo.

De Auctoritate autem Conſtantinopolitani Præſulis, quem, gratis omnino, dicunt, ſucceſſiſſe Romano Pontifici, quanta diſſenſio? Qui enim *OEcumenicum* illum appellant, eam protendere videntur in Orbem terræ Univerſum. Sed alios pudet, etiam Occidentem Sacræ illius Ditioni ſubjicere. Neque ultro Alexandrinus, aliique Orientis Præſules ſub illius jura concedunt: a quibus exemptos ſe quoque Cyprij, aliique Minores Antiſtites putant.

At Divinarum explicationem Emanationum ingreſſi miris anguſtiis implicantur. Utcumque abradant auctoritates omnes, in quas incidunt, Patrum, affirmantium, S. Spiritum procedere etiam *a Filio*, aliæ perpetuò ſoboleſcunt, & plurimæ uſurpant voces: *Per Filium*. Filium ergo vel ſolummodo *Canalem* dicunt, cum tamen Patres illum appellent *Sancti Spiritus Fontem de Fonte Patre*. Vel illius etiam nominis pertæſi plerique, ſolùm adhibitàs illas voces aſſerunt ad notandum, quod unius, ejuſdemque Subſtantiæ ſint omnes Divinæ Perſonæ: vel quod non minus, quàm Filius, ipſe etiam Spiritus procedat a Patre. Qui verò ad hæc ſignificanda ineptas animadvertunt illas loquendi formas: *A Filio*, & *per Filium*. (vt profectò ineptiſſimæ ſunt) eas detorquent ad indicandas Relationes; cum tamen in Divinis aliæ non dentur, quàm Producentis, & Producti: ac, ſi aliud indicant voces a *Filio*, & *Per Filium*, quàm, ab illo produci Spiritum: neque a ſimilibus loquendi modis aptè inferetur, produci Filium a Patre. Ne-

Neque de aliis Arcanis Fidei non gliſcunt inter Schiſmaticos Pugnæ, cum, purgari Animas, non tamen Igne, affirment aliqui. Quaſcumque alii Luſtrales pœnas è medio tollant. Riſum verò provocaret (niſi delyrantium infelicitas lachrymas potius extorqueret) illud, quod affirmãt aſſeclæ Gregorii Palamæ, in Græcorum Concilio Hæreſis damnati, nunc tamen a pleriſque Schiſmaticorũ in Triodio Sanctis adſcripti: delibari ſcilicet uſuram Viſionis Beatificæ ab hominibus mortalem vitam ducentibus, ſi demiſſo in ventrem vultu animum affigant Divinitati; cum tamen exutæ corporibus Animæ illâ fraudentur, quouſque conſortio corporum redonentur, in Empyrei Cæli Atrio præſtolari coactæ. Damnant aliqui Azymorum uſum in Divinis Myſteriis: illum alii annumerant Indifferentibus rebus.

Quis, Veritatis eſſe Magiſtros, arbitretur, qui ſecum, non minus, quàm nobiſcum, decertant? Enimverò ipſorum non eſt Una, eademque: ideoque nec Vera Fides.

II. *Eadem Certamina Unitati repugnantia tribui nequeunt Eccleſiæ Romanæ.*

79 NEque verò quiſpiam effutiat, hoc ipſum inter ſe pugnantium Fidei Magiſtrorum dedecus retorqueri poſſe in Latini Sectatores Ritus, quorum plurimi amplectantur Interpretationem, traditam Sacris Literis a Romano Pontifice, a Luthero alii, aut Calvino. Inepta nimis, ideoque Græcis indigna, eſt hujuſcemodi Retorſio, quæ aerem verberat, non Latinam Eccleſiam, extra quam Hæreticos eſſe novimus; neque enim Una

Eccleſia dicitur ab Unius Linguæ, vel Ritus, ſed Unius Fidei Conformitate. Ideoque Catholicos Græcos, licet Idiomate, ac quibuſdam Moribus, diſcrepantes, ſuo Eccleſia Romana ſinu complectitur: procul abiicit Latinos de Lutheri, aliorumque Hæreticorum grege. Nulla ergo ſunt inter nos Certamina, Veræ, ideoque Uni, Fidei repugnantia.

. Nam, quæ ſolùm inter Scholaſticos Catholicos vigent, ingenii pugnæ, circa res verſantur in Sacris Literis non expreſſas, nec dum a Pontificibus, aut Conciliis ex Traditionibus, aut communi Patrum Interpretatione definitas: interque ipſas Controverſias præparato animo Theologi ſunt ad ſuam Sententiam revocandam, ſi eidem contrariam tueri jubeat Eccleſiæ Matris Auctoritas.

80 At Schiſmaticorum Diſſidia ſpectant res Conciliorum olim Definitioni ſubjectas: neque illas inficiati, aut perversè interpretati, proinde ab ipſis cenſentur Hæretici. Dummodo enim Græcis Ceremoniis inſiſtant, neque degenerent ad Calvini, aliorumque Recentiorum Errores, quodcumque circa reliqua ſuperius recenſita opinentur, perinde habetur; licet apertè repugnent Conciliorum Decretis.

81 Quid, quod neque à ſua omnino Communione prohibent populos Hæreſis manifeſtæ compertos; imo Abyſſinis, aliiſque, Neſtorium adhuc, aut Dioſcorum, execrata Græcis nomina, proſequutis Alexandrinus Patriarcha tradere fertur Sacra, & Antiſtites. Una ergo certè non eſt, ideoque nec Vera, Schiſmaticorum Fides, quam ipſius Interpretes, & Magiſtri miſerè ſcindunt in plures.

SI-

Digitized by Google

SIGNUM XV.

Membrorum Unius Romanæ Eccleſiæ Summus inter ſe, & cum Capite Nexus.

Summus inter ſe Membrorum, Romanam Eccleſiam conſtituentium, & cum Capite, Nexus, Unam ipſam, adeoque Veram, oſtendit.

82 NON ſolùm nulla nos dividunt Fidei Certamina; ſed etiam Unus eadem credendi, docendique ardor, ac ſtudium; mirificè inter ſe Unius, ideoque Veræ, Romanæ Eccleſiæ Membra conjungit. Non Divulſio tantùm, ſed quævis etiam Diſtractio partium incolumitati Corporis plurimum officit. Una eſſe debet Fides, ut Unus Dominus, Unumque Baptiſma. Hinc perpetui apud nos Fidei Quæſitores: Epiſcopi videlicet ipſi, aliique Sapientiſſimi viri, ſemper excubantes, ne quid Religio detrimenti capiat.

83 At quo proſequimur cultu Chriſtianorum Patrem, adſpectabile Caput Unius Eccleſiæ? Ut ab illo cetera Membra leges accipiunt: prout ipſa Natura præſtandum docet! Indicaſſe iſta ſufficiat, cum vltro pateat, optimum, adeoque à Deo conſtitutum eſſe Corpus illius Eccleſiæ, cujus Partes adeo inter ſe cohærent, & nobiliſſimam omnium, ipſum videlicet Caput, obſequentiſſimè venerantur.

Digitized by Google

SIGNUM XVI.

Neceſsitas Perpetuæ Diviſionis in Cœtu Hoſtium.

Nexus hic eſſe nequit in Cœtu Schiſmaticorum, habente non Unum, ſed Multiplex Caput; adeoque multò minus Hæreticorum, habente Nullum.

84 ARbitrariæ videri poſſunt Pugnæ, a ſe invicem diſtrahentes Membra Falſæ Schiſmaticorum Eccleſiæ; ideoque, cum certè interea laborent hac Nota Mendacij, ſpem tamen fovere poſſent illam delendi, ſi aliquando tandem inter ſe conſpirarent. Sed neceſſaria profectò ſemper erit Membrorum plurimorum a Capite Diviſio, niſi Vero aliquando Capiti, Romano videlicet Pontifici, admoveantur. An enim unquam Præſules, & Patriarchæ reliqui plenam ſupra ſe Conſtantinopolitani Poteſtatem admittent? Iiſdem artibus, quibus initio ſunt parta, Schiſmata retinentur. Superbia porrò peperit, quæ nunquam alterius jugum ultro ſubibit; licet Cæſarea Urbs Antiſtiti ſuo extorſerit ab aliis honorem primo loco ſedendi. Verum autem in cæteros Ius, cum Sacræ Literæ nullæ, nulla Conciliorum eidem vindicet, aut Patrum Auctoritas, profectò nunquam, ipſis ultro concedentibus, obtinebit. Semper ergo non Unius Capitis formoſum Corpus, ſed multiplicis Verticis monſtroſa Hydra (neque enim Duorum tantùm Amphisbena) erit Schiſmaticorum Congregatio: cui proinde Signum Veræ, ſcilicet Unius ſub uno Capite, Eccleſiæ deſperandum eſt.

LI-

LIBER SECUNDUS

De Signis pertinentibus ad Eccleſiæ Veræ Sanctitatem, demonſtrantibus Inſaniam etiam Hebræorum, Atheorum, & omnium prorſus Hoſtium Romanæ Eccleſiæ.

Quid huc uſque præſtiterimus, ac præſtituri ſimus in Operis decurſu. In quo ſenſu Sanctitas ſit Evidens, & quaſi ſenſibus obiectum Veræ Fidei Signum. Quo pacto ab afferendis in hoc Libro Argumentis ſubvertendæ ſint Sectæ omnes, quæ repugnant Eccleſiæ Romanæ: videlicet ipſi etiam Iudæi, Mahometani, Theiſtæ, Ethnici, & Athei.

HActenus aliquem aliorum ductum ſequi potuimus, cum plurimi egerint de frequenti Diſceſſione Orientalium ab Una Eccleſia: nec deſint, qui univerſam Hiſtoriam Schiſmatis a Photio fuerint aggreſſi. Nullus tamen ſuas in claſſes redegit Disjunctiones omnes, ac toties repetitam, totieſque fractam Concordiam. Neque, quod noverim, immoratus eſt quiſpiam in eruendis ex narratione Diſſidiorum Argumentis ineluctabilibus Errorum, quibus excæcantur avulſi toties, ac tam multipliciter, per inita nobiſcum, & ſecum ipſis Certamina, ab Unius Fidei, & Eccleſiæ Veritate.

Digitized by Google

Utinam verò ceteri, qui Schiſma impugnarunt, egregii Scriptores expendiſſent ſingillatim alias Notas, & apertiſſima Signa Veræ Eccleſiæ, a Conſtantinopolitano Concilio ipſis propoſitas: quod eadem, videlicet, non Una, tantum, ſed etiam *Sancta* ſit, *Catholica*, & *Apoſtolica*; plures enim ad illam, opinor, feliciſſimo exitu revocaſſent.

Hoc nos, Auſpice Numine, adorti, præfamur: non de illa a nobis Sanctitate ſermonem inſtitui, qua conſecratur Eccleſia a Divina Chriſti Domini Auctoris ſui, a Finis nobis propoſiti, ab Inſtituti ſuſcepti, a Sacramentorum, quibus fruimur, Sanctitate; cum hanc etiam Schiſmatici, & Hæretici, (licet nullo Iure, ut ſub finem hujuſce Libri manifeſtis Argumentis conficiemus) vindicent ſibi; neque pateat ex ipſo primo intuitu, & quaſi ſenſibus obiiciatur, Romanæ ſolùm Eccleſiæ Sanctimoniam hujuſmodi convenire.

Ut ergo dilucida, & facilè ab omnibus perceptibilia Signa proponamus, de Fundatorum utriuſque Eccleſiæ, Romanæ videlicet, & a Romana divulſæ, de Profeſſorum, de Doctrinæ Sanctitate, Miraculis, Præſenſionibus futurorum, effuſo pro Fide Sanguine, aliiſque Sanctimoniam comitari conſuetis, diſſeramus; hæc enim menti per ipſos propemodum oculos inſinuabunt, Romanæ ſolummodo Eccleſiæ nomen Sanctæ meritò aptari; ideoque Veram illam tantùm eſſe cenſendam.

A plurimis autem Signis, hoc in Libro afferendis, ſubvertentur Hoſtes omnes Romanæ Religionis. Cum, *Unam* illam eſſe, *Univerſalem*, & *Apoſtolicam*, demonſtramus, aliquo quidem ejus fulgore perſtringimus omnium

nium oculos; ſed magna etiam vis Notis hiſce tribuitur à Divinis Literis, Patribus, & Conciliis: quos Veritatis fontes Adverſariorum plerique contemnunt. At robur Argumentorum, quæ à Teſſera *Sanctæ* naſcuntur, nemo non videt, qui Naturæ ipſo lumine non deſtituitur.

Sanctitas ergo Vitæ Auctorum, & Aſſeclarum Romanæ Eccleſiæ: ejuſdem Sanctimoniæ Conſortium cum Sapientia: Miracula, ipſiſque mirabilior Modus, quo propagata eſt, ſuperantium humanum captum, & pugnantium perverſæ indoli, Myſteriorum Fides: impleta Prophetarum dicta: ubertim manans fluvius magnanimi Sanguinis: aliaque hujuſmodi manifeſta Veritatis Indicia, labefactabunt non ſolùm Schiſmaticos, & Hæreticos: qui negant, Chriſti Doctrinam traditam fuiſſe, tamquam certo Cuſtodi, atque Interpreti, Eccleſiæ Catholicæ, ſub D. Petri, ejuſque Succeſſorum Regimine conſtitutæ; verùm etiam omnes Chriſti Divinitatis oſores, Iudæos, Mahometanos, ac puros Theiſtas, ideſt Deum, ut ſolummodo Auctorem, Rectoremque Naturæ agnoſcentes: ac ipſos demum Ethnicos, & Atheos, qui Patrem, ac Principem Naturalium omnium, ac Moralium rerum, Regem Univerſitatis, Præmio probos, Supplicio ſontes afficientem, Deum, aut ſtolidi multiplicant, aut impij exiſtere inficiantur.

Enimverò ſi Miracula, &, quibus certiſſimus reſpondet eventus rerum, Prophetica Oracula, aliaque hujuſmodi manifeſtiſſima Signa, oſtendunt comprobatam Divinitus Romanæ Fidei Veritatem: apertiſſimum eſt, illam tantùm eſſe Veram, cum Uni tantùm Religioni conſtare Veritas poſſit: ac præſertim Veræ ſimul nequeant

eſſe,

eſſe, quæ invicem pugnant:ut Superſtitiones omnes cum Romano Divinitatis cultu decertant.

Præterea ſi Veritas contrariis Sectis ſuffragaretur, neceſſariò Falſa eſſet Romanæ Fides Eccleſiæ, quæ, Falſitate laborare alias omnes, certò credit; ideoque per Miracula, ceteraque compertiſſima Signa non poſſet accedere ipſi Romanæ Divinum Veritatis ſuffragium.

Qui, ne ſe Inſanos fateantur, has Veritatis Notas adeſſe nobis, obdurato in nequitiam animo, pernegant, hoc ipſo ſeſe Dementiſſimos profitentur, qui Scriptoribus innumeris præſtare fidem recuſent, imo & ipſis Oculis, in quos Perpetua plurima, & alia nunc etiam perpetrata, Prodigia frequenter incurrunt.

SIGNUM I.

Sanctitas Fundatorum Romanæ Eccleſiæ: illius Hoſtium, v.g. Mahometis, & Hæreticorum Iniquitas.

85 CUm Sanctiſſimus Deus, in ipſa procreatione hujuſce rerum Univerſitatis, cultum ſui, primamque hominum Parentibus Religionem indiderit, Sanctos etiam eſſe voluit illos, qui recentes Ritus, & Leges, Sempiternæ Felicitati adipiſcendæ, pro Temporum, ac Gentium opportunitate, neceſſarias, tradituri populis erant. Hinc inſigni Sanctimonia præſtitit Abraham Circumciſionis Inductor, & Scriptæ Legis Traditor Moyſes: ipſius verò Divinitatis Sanctitate penitus imbutus fuit humanæ Salutis Aſſertor Chriſtus Dominus, Gratiæ Legem cælitus afferre dignatus.

Quos

Quos porrò ad illam per Orbem terræ ſpargendam miſit Apoſtolos, Sanctiſſimis moribus induit, ut ex eorum Integritate Argumenta mortales ducerent Veritatis Doctrinæ, ab illis vulgatæ; neque enim parati ad decipiendum exiſtimari poſſunt, qui ſummâ exornantur illibatæ vitæ innocentiâ. Ab Apoſtolorum autem Principibus fundatam fuiſſe Romanam Eccleſiam, Schiſmaticorum nemo inficiatur: & a Petro cæpiſſe Sacram Chriſtianorum omnium Præfecturam, plerique ipſorum non revocant in controverſiam. Sanctiſſimi ergo fuerunt noſtræ Religionis Auctores.

86 Quis verò illam, novis inductis Morum, aut Rituum, Legibus infecerit, nullus Græcus, aut barbarus Hiſtoricus comminiſcitur. Non audent Schiſmati addicti hariolari cum Recentioribus Hæreticis, qui corruptelam Urbis referunt ad tempora Gregorii Magni, imo illum nobiſcum inſerunt albo Divorum. Et utcumque in Pontifices, permittentes inſeri Symbolo particulam *Filioque*, Sabbato iejunare, & abradi Sacrorum Miniſtrorum barbas, ac prohibentes Latinis Sacerdotibus uſum Coniugii, invehantur; nihil habent, quo ipſorum mores criminentur. Ideoque intactum penitus relinquunt locum hunc, quo de Refingentium Vetuſtas Eccleſiæ Conſuetudines Sanctitate, aut Nequitia diſputamus.

87 At quæ ſe nobis ingerunt, Deus immmortalis, intuentibus, qui primi fuerint Auctores Nouarum Opinionum, quibus illaqueantur Schiſmatici, quique ipſius miſerrimi Schiſmatis, & Hæreſum Duces? Sancta profectò dici nequit ipſorum Eccleſia a Conditorum Sanctitate.

Ut a Mahometis: Calvini, Lutheri, aliorumque Hæreticorum ſceleſtiſſima vitæ inſtitutione ſapienter ratiocinamur: nulla veri ſimilitudine credi poſſe, tenebris conſepultum relictum ab Optimo Deo fuiſſe Orbem terræ, quouſque hi mortalium nequiſſimi Cæleſtem ipſi lucem afferrent: ita, ſi de ſimili morum dedecore comperti ſint Schiſmatis Coryphæi, de ipſorum doctrinæ falſitate conſtabit.

SIGNUM II.

Nequitia illorum, qui Schiſmata, & Hæreſes pepererunt.

I. *Scelera Neſtorii, qui Primus diſertè negavit, S. Spiritum procedere a Filio.*

88 NOn ſolùm innumeras ex Athanaſio, Baſilio, Gregorio Theologo, aliiſque Sanctiſſimis Græciæ Patribus ſententias in medium producemus, ex quibus liquet, Romanam de Divinis Emanationibus Doctrinam Sanctitate illam aſſerentium Fidei Magiſtrorum exornari; ſed etiam argumentis conficiemus, Hæreſim ante Neſtorium nullam, contra Divini Spiritus Productionem a Filio, exortam fuiſſe.

89 Primus illam ore ſacrilego, ſed quaſi clandeſtinus Tartari Emiſſarius, eructavit Neſtorii præceptor Theodorus Mopſueſtenus, transfuga è clauſtro Magni Chryſoſtomi: ut conſtat ex illius celebri Epiſtola ad Theodorum lapſum libidine, aliiſque criminibus inſignis, quorum plurima deteſtabili ejus nomini exprobrantur in Quinta Synodo.

90 At

90 At de Superbia, Blaſphemiis, Crudelitate, aliiſque ſceleribus Neſtorii, qui primus apertè Divinum Filium fraudavit producti etiam a ſe Spiritus gloriâ, plena ſunt Hiſtoriarum, & Sacrorum monumenta Conciliorum, neque illa Schiſmatici diffitentur. Novum illum Iudam Epheſina Synodus appellavit.

91 Conqueſta de illo, ut ſuo teterrimo hoſte, Deipara fuit. Negatum huic a Neſtorio auguſtiſſimum Titulum Matris Divinæ, aliaſque Hæreſiarchæ blaſphemias, execrantur Schiſmatici: & ab illius criminibus, præter alia argumenta, prudenter inferunt illius doctrinæ falſitatem. Ne igitur negent, ab iiſdem etiam evinci, mentitum ipſum fuiſſe in eo, quod de Productione Divini Spiritus contra Sanctiſſimos Græciæ Patres Primus edocuit.

II. *Barbara Tyrannis Iconoclaſtarum, qui, damnatum a Quatuor Conciliis, Errorem Neſtorii de Proceſſione Divini Spiritus, poſtliminiò ab Inferis revocarunt.*

92 SAcro ſtatim fulmine icta ab Epheſino Concilio nefaria hæc Proles Neſtorii paulò poſt exortum penè interierat: aliiſque in *Quarta*, *Quinta*, & *Sexta* Synodo telis confoſſa ſemimortuam in paucorum animis vitam trahebat: cum illam a funere, ſeu potius ab Inferis, quibus erat cum Parente ſuo propemodum conſepulta, Iconoclaſtæ Patriarchæ, ac Cæſares, excitarunt. Hæc etiam aliis illorum Hæreſibus accenſetur, qui Sanctorum, Deiparæ, & ipſius Chriſti Imaginibus bellum

Digitized by Google

moverunt: ſublato etiam omni Cælitum cultu; neque enim Iconomachi tantùm, ſed etiam Agiomachi fuiſſe perhibentur. Quæ verò ab illis fuit edita Catholicorum ſtrages! Quanto religioſi Sanguinis flumine Chriſtianus Orbis, & ipſa præſertim Conſtantinopolis inundavit! Enimverò non pleroſque ſolùm ex Ethnicis Principibus, ſed ipſas etiam belluas, immanitate ſuperarunt.

93 Sub his Tutoribus impia Neſtorii Proles, eò uſque latens, aut balbutiens, adolevit; ut non Propagatorum minus, quàm Inventoris, pudore ſuffundendi ſint hujuſce Aſſeclæ Erroris: qui certè nec in Origine, nec in Incremento, ullum præfert Sanctitatis, ideoque Veritatis, argumentum.

III. *In Photium Anteſignanum Schiſmatis Nequitia, Superbia, Fraudes, Calumniæ, Crudelitas, & ſcelera omnia confluxerunt.*

94 COnflatum ex omni vitiorum fæce Portentum fuiſſe Photium, qui Primus, apertè Apoſtolicæ Sedi rebellans, exprobravit Latinis inſertam Symbolo particulam *Filioque*, fateri compellitur, quicumque Græcos Noni, & conſequentium Seculorum Hiſtoricos, & præcipuè deſcriptam a Nicæta S. Martyris Ignatii Patriarchæ Vitam, & Octavæ Synodi Generalis Acta, perluſtrat. In quot ſcelera Michaelem Tertium impulit, & Bardam, Cæſares! Quot Baſilium fraudibus irretivit! Qua injuria, arrogantia, crudelitate, Sanctiſſimum, & Cæſarea inclytum ſtirpe, Ignatium è ſacro ſolio deturbavit: fame, carcere, flagris, vulneribus, propemodum extinctum calcibus impulit, & ſceleſto in Præſulum Cœti-

bus

bus pede protrivit, ac violenta demum ſuſtulit morte: in magnam illi adhærentium innocentiſſimorum hominum vim pari furore graſſatus!

Nullo jure, nulla ſervatâ Canonum formâ, nefariè, ac ſacrilegè, conſecratus a Gregorio Syracuſarum Epiſcopo, a ſua Sede ob crimina dejecto, Superſtitis Ignatii Cathedram invaſit: quod ſcelus cum diſſimulare non poſſet S. Nicolaus, re, & cognomento, Magnus, tunc Eccleſiæ Moderator, incaſſum ſupplicibus Photii, ac Cæſarum, Legationibus circumventus, eo fuit ſuperbiſſimus Eunuchus furiarum æſtro correptus, ut, quem antea veneratus fuerat, veluti Sacrorum Principem: cujus ipſe Confirmatione indigeret, ſi Patriarcha cenſeri vellet ab Orbe Chriſtiano: eumdem Diris devoverit, cumque ipſo Sacroſanctam ejus Cathedram calumniis evertere fuerit aggreſſus: omnia ſerviliter propter Dominationem eò uſque ſe feciſſe, præpoſtero facto profeſſus.

95 Sed Adrianum iterum, Ioannem, Marinum, Pontifices per Literas ſupplicabundus adivit, ut labantem Patriarchæ Titulum, quem jactabat, Romana Confirmatione fulcirent. Et Ioannem quidem, majora, ſi reluctaretur, veritum mala, cum univerſus ob Photii cauſam Oriens fluctuaret, poſt exceſſum Ignatii, ſimulatâ pænitentiâ in fraudem induxit.

Extortas verò, Patriarchatum ipſi adjudicantes, Pontificias Literas, & multa jubentes tollendis Eccleſiæ probris perneceſſaria, mirus fallaciarum artifex in aliam penitus formam redegit: & effronti vultu legit in Patrum, ac populi, Cætu, perinde ac ipſum inſignibus Ioannes laudibus exornaret.

Quid,

Quid,quod & Orbi univerſo auſus imponere integram, a qua ipſe fuerit abſolutus, Synodum finxit, de qua nullus, præter ipſum, verba facit illius tempeſtatis Hiſtoricus,omnes ceteroqui vel tenuiſſimos rerum eventus poſteris tradens.

96 Illud certò conſtat, poſt actam inter Syrtes,& Scopulos vitam, perpetuis turbinibus agitatam,humanæ tandem Gloriæ, quam unicam velis,remiſque quæſiverat,feciſſe naufragium,& in Exilio clauſiſſe vitam incerto funere: *in hoc etiam Apollonio Thianæo, celeberrimo Præſtigiatori,non abſimilem*:veluti commercio Tartari forſitan illum fuerat imitatus,coniunctiſſimus certè Sandabareno, perpetratis ope Dæmonis pernicioſis Reipublicæ rebus infami. Vix profectò ſuffecturæ humanæ artes videntur, ut adeo traduceret ludibrio tot Cæſares,totumque Orientis Orbem, Impoſtor, utcumque vaferrimus,cujus vitam inauditis coloribus variantes rerum eventus certant cum narrationibus Mythiſtoricorum, veriſque Hiſtoriis Luciani.

97 Non modo crudelem Semivirum, ſuperbum, mendacem,fraudulentum,calumniatorem;ſed Crudelitatem ipſam, Superbiam, Mendacium, Fraudem, Calumniam, conſectantur, qui elatum a Photio Schiſmatis Vexillum ſequuntur.

98 Et miſſus a Deo ad illuſtrandos Veritatis fulgore mortales exiſtimari poterit, qui a Generali, totius præſertim Orientis,Concilio damnatus fuit,& cujus nomen, dum ætatem ageret,& poſt interitum,Octo Maximi Pontifices, velut execrabile, proſciderunt?

IV. *Ty-*

IV. *Tyrannis, & Arrogantia Cerularii: liuor, & Rabies Balſamonis: Schiſmaticorum Exercitus illuſtrium Ducum.*

99 EX Titulo, quem ſuis Michael Cerularius Literis præfigebat, *Sanctiſſimum* ſe compellans, & *OEcumenicum*, liquet de non ferenda hominis Arrogantia; ex Muneris enim Sanctitate Sanctiſſimi nos appellatione Maximum Pontificem veneramur; ſed eandem ipſe ſibi non tribuit, imo *Dei Servorum Servum* nuncupat ſe. Si verò *Epiſcopum* ſe aliquando dicit *Univerſalis Eccleſiæ*, Univerſæ Chriſtus excubare juſſit Petrum, & illi in ſacro ſuarum Ovium Regimine ſucceſſuros. At quo ex Oraculo Divinarum Literarum, ex quo Synodorum, aut Patrum, Cerularius hauſit illuſtrem Nomenclaturam? Illam ſcilicet veſanâ Superbiâ uſurpavit, quo pacto aliena Regna Tyranni occupant.

100 Et libentius quidem, quàm hoc evanidum Nomen, Cæſareum Solium Cerularius invaſiſſet, in Exilium amandatus ob hoc flagitium inſano conatu tentatum. Neque malo ſuo ſapere edoctus Infulatus Seditionum Molitor, Iſacii Comneni fax ad rebellandum fuit: eidemque ut Imperium concederet, demum impulit Michaelem Sextum. Cumque ferri amplius a Principe ipſius violentia, & temeritas, nequaquam poſſet, exulare iterum juſſus, diem procul ab Urbe Cæſarea furore tabeſcens clauſit extremum.

101 Non ita immanibus votis jaculatus Imperium eſt Theodorus Balſamon, Sacrum ſolummodo Conſtantinopolis Thronum adipiſci connifus; ſed turpem non ſe-

ſemel paſſus repulſam fuit, & ab Imperatore deluſus, cujus gratiam probroſis artibus mercari ſategerat. Neque ex ipſo, cujus Titulo gloriabatur, Antiocheno rem ipſam fuit unquam aſſequutus, cum alium Urbs illa Præſulem conſectaretur.

102 De Livore autem, & efferata Invidia hominis in Latinos luculentiſſimum teſtimonium ferunt ipſius Opera: utque olim alteri lepidus, & ingenioſus Vates exprobravit:

Stat contra, dicitque tibi tua pagina: fur es:

ita ſcripta Balſamonis, Falſis; aut Apocryphis rebus, jurgiis, & imprecationibus, perpetuò ſcatentia, de illius maligno ingenio diſertè loquuntur.

103 Hos ergo Schiſmaticorum in Apoſtolicam Sedem pugnantium præcipuos Duces cum procul a Chriſtiana Moderatione, & ipſa Humanitate, ne dum a vitæ Sanctimonia, fuiſſet liqueat, iidem ſpeciem vera loquentium exhibent nullam; ideoque a præſtanda ipſis fide animos prudentum, ſuæque Saluti proſpicientium avertunt.

104 An cæno etiam probroſarum voluptatum inquinati fuerint hi, ceterique Schiſmatis Præceptores, decerni nequit, cum illas Hypocriſis facilius, quàm Arrogantiam, aut Rabiem, velare queat. At in illas permiſſus lapſus frequentiſſima eſt Pœna Superbiæ; adeoque de ſe plurimùm præſumentibus familiaris, ut, vel ipſis corpore ſolutis nequam Spiritibus quædam, ſe ipſos in deliciis habentis, Luxuries animi tribuatur, quæ vel Tumoris cauſa fuerit, vel ab illo profluxerit.

V. *Mar-*

V. *Marcus Epheſius nequitiâ obduratus, dolis conſutus, Univerſæ Calumniator Eccleſiæ, & Cauſa Ruinæ Græcorum.*

115 QUid de Marco dicam Epheſiorum Antiſtite? Sanctum ne illum fuiſſe virum, ideoque cælitus miſſum ad afferendam Orienti lucem, quam ampliſſimum Concilium Præſulum creditis ſibi populis inviderет, opinari liceat, qui *nolens*, ut inquit David, *intelligere, ut bene ageret*, oculos contra veritatis Solem conſultò clauſit? Qui non unâ, vel alterâ, ſed innumeris obrutus Patrum Græciæ Sanctiſſimorum ſententiis, ad jurgia prolabebatur, & crimen ſuum adulterandi Scripta Patrum in Latinos retorquens, altius perpetuò inflabat Diſſidii Tubam, & a Pacis ineundæ conſiliis incenſo ſtudio ſuos detorquere contendebat?

106 Quem compertum in Concilio ſæpe fuiſſe abraſæ a Codicibus, quos proferebat, particulæ *Filioque*, vel *per Filium*, aut paginæ non ſemel avulſæ, in qua Patrum ratiocinatio, manifeſtè ſuffragata Latinis, continebatur, ipſi adhuc ſuperſtiti, ſcriptis ad ejus Calumnias Reſponſionibus oculati teſtes, Gennadius Patriarcha, Beſſarion, Gregorius Protoſyncellus, & Ioſeph Methonenſis exprobrarunt?

107 Qui Florentinum Concilium Mendacii, viliſque, & ſacrilegæ Prævaricationis inſimulans Univerſam Latinam, & Græcam, quæ in illo in Unam, eandemque ſententiam conſpiravit, Eccleſiam calumniatus effrontiſſimè fuit?

108 Qui demum renati, quo univerſus propemo-

dum vergens ad Orientem Chriſtianus Orbis miſerè conflagravit, Incendii Tartareus Excitator, & præcipua Cauſa exitii Græcorum, Cæſareæque præſertim Urbis, ac penitus everſi Imperii, traditis populis ultioni de illis, revolutis ad Schiſma; ſumendæ a barbarie Turcarum, eodem ferè ipſe fato ſublatus eſt, quo Verbi Divini hoſtis Arius interiit?

SIGNUM III.

Fraudes Adverſariorum pugnantes cum Sanctitate Veræ Eccleſiæ.

Artes adhibitæ a Schiſmaticis, & Hæreticis, decipiendo populum per Sophiſmata, Sciamachiam, Logomachiam, Homonomijam, Circulationem, profectò non indicant Sanctam, ideoque Veram Doctrinam.

EXpenſa Sanctitate Fundatorum Eccleſiæ Romanæ, contrariaque illorum Nequitia, qui Schiſma pepererunt, aut latiſſimè propagarunt: atque hinc eruta vnius Romanę Fidei Veritate, pandatur eadem ab Artibus vtrinque adhibitis ad ſuam doctrinam mortalium animis inſerendam.

109 De inita ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris, quos Romanæ fuiſſe Conditores, & Amplificatores Eccleſiæ Superiori evicimus Libro, Verbum Divinum diſſeminandi ſemita Schiſmatici ipſi fatentur, immunem illam fuiſſe ab omni Deceptione, Fallacia, & Fuco; adeoque Sanctitati vitæ Præconum Fidei reſpondiſſe, ut ipſe etiam ſervatus docendo Modus Veritatem traditæ ab illis Doctrinæ repræſentaret.

110 At

110 At quàm diverſo calli Schiſmatici, & Hæretici inſtiterunt! Vel Divinas, per Fraudes, & Impoſturam, Literas explicando: vel Sanctos earundem Interpretes detruncando, aut ad Sententias abſonas per Fucos, & Deceptiones detorquendo: 111. Vel *per Sciamachiam* umbras, & aerem verberando: 112. Vel *per Logomachiam*, deſtituto Senſu, loquaciter cum Verbo lites conſerendo: 113. Vel *per Homonomyam*, longè, latèquæ in ornando mendacio ſimilitudine veri graſſatam, præcipuè Sentententias invertendo: 114. Vel *per Circulationem* idipſum, de quo eſt Quæſtio, pro ſolvenda Quæſtione afferendo: Vel uno occluſo effugio ad aliud, quod clauſum antea fuerat, relabendo;

Quædam captioſarum hujuſmodi artium: nihil omnino Sanctam Integritatem, ideoque nec Veritatem Doctrinæ indicantium, exempla damus in Diſſertationibus, quibus ſubvertimus præcipua Schiſmaticorum Fundamenta: daturi facili negotio innumera, cum expendemus, quàm perperam iidem interpretentur Oracula Sacrarum Literarum, Proceſſionem Divini Spiritus a Filio dilucidè demonſtrantia, vel quæ manifeſtant traditam Petro, ejuſque Succeſſoribus plenam Poteſtatem Paſcendi, Regendi, & Gubernandi Univerſam Eccleſiam, aliaſque Romanæ Fidei Aſſertiones, ad perverſam intelligentiam miſerrimè detorta, & eluſum infeliciſſimo exitu Patrum, & Conciliorum omnium, Catholicè illa explicantium, conſenſum unanimem.

Digitized by Google

SIGNUM IV.

Cauſæ, & Adiumenta Schiſmatis, & Hæreſum, contraria Sanctitati.

Cauſæ Schiſmatis, & Adjumenta Secularis Scientiæ, Principum, Præſtigiatorum, Immunitatis ab obedientia præſtanda legitimæ Poteſtati, quibus uſi Schiſmatici, repugnant Sanctitati, ideoque Veritati, eorum Doctrinæ.

PRęter Fucos, Fallaciaſque docendo adhibitas à Schiſmatis Gymnaſiarchis, ſi cetera, quæ Diſceſſum ab Eccleſia Romana circumſtant, intueamur, nulla reperiemus veſtigia Chriſtianæ Virtutis, nedum Sanctitatis.

115 Spirantne Sanctimoniam Semina, & Origines Diſcordiæ, Ambitus videlicet, quo Conſtantinopolitani flagrarunt antecellendi, contra Nicænam Sanctionem, reliquis Orientis Præſulibus: & deinde non imparem Apoſtolicæ Cathedræ prærogativam Sedis, & Nominis, adipiſcendi?

116 Sancta ne cauſa Photium impulit ad Sanctiſſimum Ignatium evertendum? Sancta Cerularium, Balſamonem, Epheſium, ut in arenam Schiſmatis Vexilliferi proſilirent?

117 Quem verò Sanctitatis colorem præſeferunt Adjumenta Rebellionis infauſtæ? Secularis videlicet Eruditio, & Facundia Photii: ejuſdem Conſortium cum Santabareno Pręſtigiatore nequiſſimo: Tutela Superbientium Cæſarum, & quidem Michaelis Tertii, inconſulti Iuvenis, & effrænati, & Bardæ luxuriâ perditi, dolis, ferociâ?

118 Ut reliquis interim Imperatoribus parcam, quos ardens cupiditas ſemper in majus efferendi Cæſareæ urbis Antiſtitem tranſverſos egit: prævaricatio eſſet, in Barda non immorari, quem turpiſſima cauſa in Ignatium concitavit: ſuperinducta videlicet Pellex in expulſæ per ſummam injuriam Conjugis locum: cui crimini cum connivere Ignatius exhorruerit, donatus eſt Infulis Photius, ut lenocinaretur Adulterio: quod ſtrenuè præſtitit omnis Divini, humanique Iuris contemptor.

119 An non Sanctiſſimè auſpicatus fuit Rebellionem a Romana Sede, qui exemplo præivit Henrico hujuſce nominis Octauo Angliæ Regi, Pontificium jugum ob contrahendas, ejecta legitima Conjuge Catharina, cum Anna Bolena Nuptias excuſſuro?

Qui Sancta fuiſſe negat Initia Schiſmatis Anglicani, Orientalis quoque Rebellionis Exordio Sanctimoniæ laudem non indulgebit. Sed adeo palmari, famoſaque Nequitia inclaruit Primordium Separationis Britannicæ, ut illius pudeat ipſos Hæreticos. Cum ergo non abſimile fuerit Photianæ Seceſſionis Auſpicium: ſemperque reliqui Diſcordiæ Incentores eandem, quam Photius incæperat, inſtauraverint: ipſos quoque Schiſmaticos rubore ſuffundi, conſentaneum eſt.

SI-

SIGNUM V.

Dementia opinantium expectandos fuiſſe ſceleſtiſsimos viros ad lucem Veritati afferendam.

Anacephaleoſis, quæ ex Improbitate Auctorum, Cauſæ, ac Modi, quo Schiſma propagatum eſt, infertur, carere Sanctitate, ideoque Veritate, Cœtum Schiſmaticorum.

120 QUis Miſſionis Divinæ Character Anteſignanos primò exorti, ac toties renati Schiſmatis illuſtravit? An ipſorum Mores, & inſtitutio vitæ, an Cauſę diſcedendi a Vetuſta Eccleſia, an Modus ipſe, quo erexerunt Separationis Vexillum?

Quid in his non humanum, imo non Satanicum, eſt invenire? An Superbia, Livor, Luxuria, Crudelitas, admotas a Tartaro ipſorum lateri faces ad rebellandum, non conteſtantur?

121 Uſque adeo ab ipſa Natura perſuaſum eſt omni mortalium generi, oportere Novarum Conditores Legum inclytos eſſe honeſtate morum, & commercio Divinitatis, ut, qui Dotibus his deſtituti fuerunt, ſplendido tamen illas mendacio jactaverint; ideoque ſuas ad Horomaſin Zoroaſtres, Minos ad Iovem, ad Mercurium Charondas, Solon ad Apollinem, Zamolcis ad Veſtam, Numas retulerit ad Ægeriam: de quorum Numinum nocturno colloquio Nova, quæ mortalibus tradebant, Morum decreta ſe accepiſſe, profitebantur.

122 Probrum etiam illud hominum Mahometes ſimulata familiaritate Divina ſuæ invenit inſaniæ ſectato-

cores. Nullus ergo, niſi factum intueremur, fieri potuiſſe unquam in animum induxiſſet, ut Græci, mortalium Sapientiſſimi, relictâ Athanaſii, Baſilii, Gregorii, aliorumque ſuorum Sanctiſſimorum Patrum, Unâ, & Sanctâ Romanâ Eccleſiâ, ſequerentur impios Deſertores, auſos refingere Sacra ſine ullo, ſaltem ſimulatæ, fulgore virtutis, cujus clypeo mentiri ſe poſſent cælitus miſſos Nuncios Veritatis.

123 Quàm infeliciter a priſca Proavorum ſuorum prudentia degenerarunt! Illi enim admirati in Apoſtolis illibatæ vitæ Candorem, & Cæleſtis indolis manifeſta Signa, ſpreverunt Philoſophorum Deos, & Piſcatoribus adhæſerunt. At hi, relictâ Sanctâ, in quam eos induxerant. Magiſtri Sanctitate florentes, Eccleſiâ, in Superbiſſimorum, nulloque Divinorum Chariſmatum Signo illuſtrium, Nebulonum caſtra ſe receperunt.

Enimverò corda tiviri nunquam ſuſpicari poterunt, relictum ab Optimo Numine fuiſſe Ignorantiæ tenebris conſepultum Orbem terrarum, quò uſque ab hujuſmodi Præceptoribus Veræ Fidei, Eccleſiæque notitia mortalibus tribueretur.

SIGNUM VI.

Sanctitas Romanæ doctrinæ: Impuritas illius, quam tradiderunt Ethnici, Mahometani, & Hæretici.

124 SAnctus per Davidem Spiritus, *Immaculatam* eſſe, dicit, Domini Legem: nec Divinitatis, ideoque Veritatis, Organum fuiſſe Davidem, Schiſmatici dif-

diſſitentur. Imo Natura etiam ipſa nos edocet, ab illibatæ traditæ Legis Sanctitate argumentum erui, quod eadem tradita Divinitus fuerit.

Hinc falſitatis arguuntur Sectæ Ethnicorum, labefactantes omnem honeſtatem morum, quibus Adulterium Exempla Iovis, Furtum induſtriæ Mercurii conſecrarunt: & Mahometis ſuperſtitio omne ſolvens pudoris, & continentiæ frænum.

Hinc etiam falſæ patent Recentium omnium Hæreticorum Claſſes, quas indultæ Turpitudinis illicio Tartareus Genius armavit, magna Occidentis parte potiturus eodem artificio, quo per Mahometem magnam edidit in Oriente animorum ſtragem. Diverſis hæ quidem ſemitis inſiſtunt, ſed unum, eundemque ſibi terminum ſtatuunt, perverſæ hominum indoli ſuaviſſimum: & cujus idcirco Promiſſio magnam habet vim ad Sectatores innumeros alliciendos. Hic porrò finis unicuique, poſt Lutherum exortæ, præfigitur Sectæ, ut horrore Criminis non percellamur; ſed libera ſingulis tribuatur facultas Iræ, Libidinis, & cujuſcumque demum exlegis motus, abſque metu Inferorum, explendi.

Sive Neceſſaria eſſe dicantur Scelera, ijſque nos, etiam cum optimè vitam inſtituimus, inquinari; non tamen illa nobis vitio verti, dummodo certâ fiduciâ Sempiternam nos adepturos Salutem præſumamus.

Sive affirmetur, malignam quidem, ac trahentem ad Æternum Interitum, naturam ineſſe criminibus, ſed nos Libertate ad illa vitanda deſtitui, quos proinde cum Deus ipſe urgeat ad lapſum, pudore, ſi labamur, ſuffundi non deceat; ſed certa erigi ſpe gratiæ Cæleſtis, opportunè,

ut ſurgamus, tribuendæ ab illo, qui nos eâdem interim fraudat.

Sive demum alii decernant, ſatis eſſe ad tollendum de medio contrahendæ culpæ diſcrimen, ſi ſemel fluxarum rerum amore, ipſiſque Senſibus, Intelligentia, & Voluntate, ſpoliatus animus integerrima Fide affigatur Divinitati. Poſtmodum enim Quietus hic amici Numinis Intuitus, & Amplexus, abrumpi non poterit, licet in probroſa quævis, & impia facinora, Inferior pars hominis provoluatur. Hæc enim non ipſe, jam donatus Conſortio Divinitatis, Homo perpetrabit; ſed malus in illo Dæmon, Deiferum hominem ſua Perverſitate non inquinans.

Hæ quidem Sectæ ſua ſatis Turpitudine Falſitatem oſtentant: ex quibus quænam omnium maximè pernicioſa ſit Chriſtianæ Reipublicæ, arduum eſt definire; cum omnes penè ex æquo Crimini lenocinentur, & Perſonatum præſeferant Mahometem.

SIGNUM VII.

Abſurditas, & nullus inter ſe Nexus Opinionum Schiſmaticorum.

125 DIverſam inierunt viam pleręque Orientis Hęreſes, Arij, Neſtorji, Eutychetis, aliæque, diu & latiſſimè debacchatæ; ſatis enim Tartaro fuit, Superbiæ Tubam inflare, in cujus ultionem reliqua Vitia ſurrectura erant, licet indultam illis ſe demergendi facultatem non profiterentur Errorum Magiſtri.

Idem in Schiſmate contigit, non permittente morum Licentiam, ſed jactante Sententias, quibus nihil Ratio-

tionis lumen,ac parum Honeſtatis decus ſuffragatur. Præjactæ certè aliorum Arcanorum,quam admittit,Fidei non cohærent illa, quæ deinde negat.

126 Etiam Schiſmatici Paradoxa docent, & in iis, quæ cudunt, Dogmatibus, prima ipſa fronte patet Abſurditas, & Impietas. Cur, ſi a Patre profluit, non etiam a Filio procedat Divinus Spiritus, Utriuſque, Patris, videlicet, Amor, & Filii? Cur Acephalum ſit ſubiectum oculis Eccleſiæ Corpus, aut Biceps, aut Multiceps? Cur Leges Paſtori præfigere potuerint Oves, quibus violatis Paſtor ipſe amiſerit Ovium Præfecturam? Cur, non permiſſis Cælum ingredi animis inquinatis, luſtratione poſt mortem non indigeant, qui, dum vitam protraherent, ſatis luſtrati non ſunt: iidemque, in Divina charitate decedentes, Sempiternum incendium non promerentur? Cur præſtolari Supremum hujuſce Univerſitatis diem in Empyrei Atrio cogantur Animi, qui vel omnem, antequam è corporis vinculis elaberentur,labem excuſſerant, vel eandem exuti concretione membrorum perſolutis pœnis depoſuerunt?

127 At quo huic nexu coniungitur opinio Palamæ de conceſſa interim aliqua uſura Beatitatis mortale adhuc æuum trahentibus,delibare conſuetis Taboriticum illud, viſum olim Apoſtolorum feliciſſimis, lumen, quod *Increatũ*,non tamen Deũ,fuiſſe,ſtolidè affirmat? Et hunc quidem Gregoriũ Palamam,Hęreſis a Concilio condemnatũ, albo Divorum adſcribere,ac Triodioimpium illiusnomen inſerere, pertinet ne ad Sapientiam, & Sanctitatem?

128 Major ne Sanctitas lucet in vetito, an in permiſſo Sacerdotibus uſu Conjugii? Neque verò quiſpiam

de-

deblateret, minus in honeſtatem peccari, ſi hæc ultro remedia pronæ in lapſum naturæ indulgeantur, quàm ſi Sanctiſſimarum Legum, per ſummum nefas, & impudentiam, vincula diſſolvantur: *Immaculatam* enim *Legem* ipſam eſſe, non omnes illâ implicitos, affirmavit David. Quod ſi non majus honeſtatis lumen in contrario Decreto animadvertiſſent Sanctiſſimi Patres Vetuſtæ Græcorum Eccleſiæ, non prohibuiſſent Uxorum conſortium iis, qui Sacras erant ad Aras operaturi.

129 Permiſſæ verò a quibuſdam Schiſmaticis Præſulibus ſuo Gregi novæ, poſt initum cum prima Coniuge Divortium, Nuptiæ pugnant adeo contra Divini Præceptoris, illas interdicentis, Oraculum, contraque ipſam honeſtam Societatis humanæ inſtitutionem, ut fruſtra ſit, in illis improbandis immorari.

SIGNUM VIII.

Frequentiſſima Vitæ Sanctitas in Filiis Romanæ Eccleſiæ, non verò in alienis.

130 QUod Magnus Gregorius de Miraculis affirmavit: ea videlicet neceſſaria fuiſſe in Eccleſiæ naſcentis Exordio, non autem in adulta ejuſdem ætate: id ipſum dici de Sanctimonia poteſt, quæ, dummodo fulgeat in primis Cæleſtis Doctrinæ Præconibus, ſatis ejuſdem Veritatem oſtendit; licet Sanctis deinde moribus non exornentur ipſius Doctrinæ Sectatores, errare ſe faſſi, dum ab illius Sanctitate deficiunt. Si verò Communis, & Frequentiſſima apud cultores alicujus Religionis ſit Integritas Morum, & Vitæ, inſigne Argu-

mentum eſt, eandem Religionem arridere Divinitati.

131 Romanæ porrò Eccleſiæ Cælú non primis tantùm Seculis, ſed conſequutis etiam Orientale Schiſma, fulgentibus eximia virtute Sideribus mirificè inclaruit: ex quibus plurimi Pontifices Maximi, aut minores Præſules, Novarum Inſtitutores Sacrarum Familiarum, Principes, & quodlibet vitæ inſtitutum profeſſi: poſt ſolertiſſimam de ipſorum Moribus Inquiſitionem, ea ſeveritate Cenſuræ adhibitam, quæ de ipſis maximorum criminum reis haberi ſolet: cum liquidò conſtitiſſet de illorum Heroicá vſque ad exitum vitæ Sanctimonia, & Prodigiis, aliiſque, vires, ac ſeriem Naturæ ſuperantibus, Signis Divinis eandem conteſtantibus, relati ſunt in Catalogum Beatorum, & publico cultu donati.

132 At Græcia, quæ cum in Una, eademque nobiſcum Fide coaluit, Sanctiſſimorum fœcundiſſima virorum fuit, poſt Commune Diſſidium hac penitus viduatur prærogativa.

133 Sanctorum ultimi Conſtantinopolis Præſulum, Ignatius, Stephanus, Antonius fuerunt: quorum primus, Romano Pontifici obſequentiſſimus, a Photio pulſus; alii verò excitati a Photio Schiſmatis everſores. Quis aliarum urbium Antiſtes, quis intra Religioſa clauſtra receptus, quis demum quodcumque vivendi genus amplexus, poſt enatum Schiſma, cui adhæſerit, relatus inter Divos, & Menologio inſertus, ab ipſis Schiſmaticis fuit? Nilum, opinor, alioſque Sanctiſſimos Hieromonachos in medium non proferent; hi enim Romani penitus ſunt, & impiæ Separationis oſores, quam abominati in Italiam, ubi Græco Ritu Catholicam Religionem tutò colerent, ſe receperunt.

134 An, ipſum eximiæ apud ſuos virtutis cultum non defeciſſe, affirmabunt, ſed oblivione conſepulta dicent illuſtrium Sanctitate virorum nomina, eò quòd gloriæ incuria ſuorum animos occupaverit: vel Turcarum Tyrannis prohibeat Sacros Præſulum Cœtus, in quibus ſupremi Sanctimoniæ honores decernendi eſſent illos merentibus? At quis in animum poſſit inducere, Græcos, olim gloriæ ſtudioſiſſimos, ſuoque Lapidem quemlibet, ut eſt in Adagio, nomine inſignire conſuetos, nunc ſuos Heroica Sanctitate nobiles viros diſſimulare? Sex verò poſt primam Photii Rebellionem, ante captam a Turcis Conſtantinopolim, fluxerunt Secula, quibus Examen inſtituere, ac celebrare, ſi opus fuiſſet, Concilia ad quoſdam Sanctitatis laureâ donandos, minimè prohibebantur.

II. *Iactare Schiſmatici nequeunt ſuorum Preces, atque Iejunia.*

135 An ſuorum ſaltem Aſcetarum vigilias, jejunia, ſacroque laſſatas cantu fauces jactabunt: & ab ipſo etiam populo quater in anno per hebdomadas plurimas religioſiſſimè ſervatam a carnibus, & ſolenni Quadraginta dierum tempore ab ipſis etiam ſanguine imbutis piſcibus abſtinentiam? Sed nullum ex his Veritati ſuffragium accedit. Validiſſimum hoc eruitur non ex unius, vel alterius, ſed ex omnium complexione virtutum. Ipſi etiam Turcæ Septembri menſe ſemel tantùm poſt Solis occaſum epulis ſe reficiunt, & a vino perpetuò prohibentur. Sui ſunt Indis, & Iaponibus Idolorum cultoribus Monachi.

Quæ

Quæ receptis in Monaſteria Schiſmaticis diſciplina præſcribitur, eadem arctiſſimis vinculis adſtringebat Neſtorianos, Eutychianos, Monothelitas, & Iconomachos Hæreticos, quorum plurimi trahebant vitam in clauſtris. Neque tamen ex illa efficitur, veritatis lumen iiſdem miſerè deceptis affulſiſſe. Ut illos arrogantia, qua Eccleſiæ repugnabant, ex ipſorum Confeſſione Schiſmaticorum, tranſverſos egit: ita ipſos infeliciſſimi Schiſmatis Sectatores Superbia proruet in ſempiternum exitium. Atque utinam, quibus ipſi blandiuntur ſibi, Iejunia eos magis Errorum ſopore non mergant.

Hi, niſi ab inſonti, quæque vinci nequeat, Ignorantia naſcantur, fruſtra Corpus Inedia contrahit, dum Tumor Animum inflat. At plurimos eſſe opinor ſynceræ cognoſcendæ Fidei ſtudioſos, quos, licet ſuprema, quæque interim ſuperari non valeat, Inſcitia Schiſmaticos effingat, ut dicimus, Materiales; pius tamen vera credendi ardor æterna poſſit felicitate donare.

136 Non enumeratis interea innumeris Religioſorum Ordinum viris, Sacrarumque Virginum choris, quibus Romana exornatur Eccleſia: Regina videlicet illa, quam admiratus eſt David, *in veſtitu deaurato circumdatam Varietate*: qui Benedicti, Bernardi, Brunonis, Romualdi, Dominici, utriuſque Franciſci, quibus Aſſiſium inclaruit, & Paula, Ignatii, aliorumque plurimorum Vexilla ſequuntur: diſſimulatis contemptoribus opum: injuriarum, ac ſponte ſuſceptorum corporis cruciatuum appetentiſſimis: non allatis in medium frequentiſſimè, ſupra morem Orientis, Divino Epulo refici conſuetis: aut exercita in Pauperes, Captivos, Ægrotantes, Chriſtiana

na Charitate conſpicuis: neque recenſita immenſa erogatione auri Sacros in uſus; adeo ut *de Piis* tantùm, quæ Romæ fervent, *Operibus* inſigne Volumen editum fuerit, omnem ſuperans admirationem, & fidem: his, inquam; prætermiſſis, illud certò conſtat: eximiam, & plurimis conceſſam Sanctitatem, quo Vera Sigillo Eccleſia inſignitur, Latinæ ubertim affluere, Græcæ verò, qua parte ad Schiſma provoluta fuit, deeſſe penitus, cum antea in Unam cum Romana conſpirans, Cælo intulerit innumera primæ magnitudinis Sidera.

SIGNUM IX.

Romanorum Pontificum Sanctitas.

Sanctitas Maximorum Pontificum, qua Schiſmatici Patriarchæ deſtituuntur, Sanctam, adeoque Veram, oſtendit Romanam, cui præſunt, Eccleſiam.

137 EXpenſa Fundatorum, & generatim Sectatorum Eccleſiæ Romanæ, Sanctitate, de ipſa, præcipuè fulgente in ſubjecto mortalium oculis ejuſdem Capite Pontifice Maximo, curſim aliquid innuamus; ab hac enim etiam efficitur, Sanctam eſſe, ideoq; Veram, quam idem Supremus Antiſtes Eccleſiam moderatur. Illud ſtatui generatim poteſt, Sacram nullam Sedem à pluribus præclarâ Sanctimoniâ inclytis Præſulibus inſeſſam fuiſſe, quàm Apoſtolicam Petri.

Octo omnino, & Septuaginta ex Ducentis circiter Quadraginta Romanis Pontificibus adſcripti ſunt Albo Sanctorum: ex quibus plurimos ipſi etiam Schiſmatici cō-

cc-

celebrant in Menologio: præter alios eodem honore dignos, quos Examinis, & Iudicii rigor, in omnium quidem, ſed præcipuè Pontificum, Causâ ſervatus Sacris nondum Faſtis inſervit. At Conſtantinopolitana Undecim ſolummodo, Sex ferè Alexandrina, Antiochena Totidem, Novem Hieroſolymitana nobis exhibet illuſtri, & ad Aras implorata, Sanctitate conſpicuos.

138 Hanc Romanæ fortaſſe Cathedræ prærogativam vindicatam dicent ab Ethnicis Cæſaribus, qui Romæ imperantes violentam plurimis Romæ Præſulibus mortem intulerunt. At hoc ipſum Divinitatis, plurimùm Romanam Sedem amantis, ſuffragium eſt, cum eandem toties effuſo pro ſua Fide ſanguine voluerit illuſtrari. Neque notatu indignum videtur, quod ab Ethnicis Romani plurimi; Conſtantinopolitani autem nonnulli Epiſcopi à Chriſtianis Imperatoribus Monothelitis, aut Iconoclaſtis, violenta morte fuerint affecti; hoc enim argumentum eſt, Veram ſolummodo in Veteri, Hæreticam ſæpe in Nova, Roma Fidem Chriſti regnaſſe.

Imo Sanctorum Conſtantinopolis Antiſtitum præſtantiſſimi, Gregorius Theologus, & Ioannes Chryſoſtomus, ab ipſis etiam, jam tum per Diviſionum Rudimenta Schiſma facere condiſcentibus, Orientis Præſulibus graviſſimam injuriam paſſi fuerunt. Neque deſunt ex Romanis Pontificibus, quibus imperantes Conſtantinopoli Principes Exilia, & Mortem intulerint.

139 Quinque verò, & Quadraginta, qui poſt Conſtantinum floruerunt Sancti Romanæ, Univerſæque Eccleſiæ Pontifices, aliarum omnium Sedium Antiſtites Sanctimoniâ claros magno certè numero ſupergrediuntur.

140 Quid

Digitized by Google

140. Quid, quod huc etiam ſpectat animadverſio, majori alibi ſedulitate expendenda: nullum ſcilicet è Romanis Præſulibus Hæreſis ullius Auctorem fuiſſe, imo nec ab aliis partos Errores unquam ſequutum, dum publicè ſaltem doceret Eccleſiam: cum Conſtantinopolitanam Sedem dedecoraverint, præter Hæreticos plurimos, ex quibus Quatuor a Sexta tantùm Synodo damnati fuerunt, Hæreſiarchæ tres, Macedonius, Neſtorius, & Sergius: Alexandrinam, præter alios, Dioſcorus, Georgius, Lucius, Cyrus: Paulus Samoſatenſis, Petrus Gnaphæus, Macharius, Antiochenam: Hieroſolymitanam Ioannes, Eutychius, Irenæus, Hilarius.

Sanctitatis ergo, ideoque Veritatis fulgura præcipuè Romanam exornant. Poſt exortum verò Schiſma, cum illud profeſſus Conſtantinopolis Præſul nullus Sancti appellatione ab ipſis Schiſmaticis illuſtretur, nihil habent, quo a præcipui ſui Capitis Sanctimonia hoc ipſum nomen Corpori vindicent.

SIGNUM X.

Quibuſdam Pontificibus aſperſæ labes Romanæ Sanctitatem Eccleſiæ confirmant.

I. Illa ipſa, in quibus Pontificum aliqui a Sanctitate deficiunt, Sanctam, adeoque Veram, eſſe arguunt Romanam Eccleſiam.

141 NOn omnibus Chriſti Athletis pepercifſe legimus feras, quæ ad plurimorum pedes accidentes, in alios, effundere ſanguinem prægeſtientes, ferociſſimis dentibus irruerunt. Quod pluribus indulſerint; prodigioſa fuit Veræ Fidei conteſtatio. Si omnibus indul-

Digitized by Google

ſiſſent, nimis ad evidentiam, nobis propemodum exutis libertate, meritoque præſtandi aſſenſus, ejuſdem Fidei veritas acceſſiſset. Eodem planè pacto ſingulari Divinæ Providentiæ conſilio contigiſse crediderim, quod tanta vis Romanorum Pontificum eximia fuerit Sanctitate ſpectabilis, ut pateret, Sanctiſſimum eſse Munus, quo in Eccleſia fungebantur. At in quorumdam animis tumultuatæ aliquando ſunt humanorum motuum belluæ, ne manifeſta penitus foret exerciti ab ipſis Miniſterii Sanctimonia; ideoque, ſublata obſcuritate, Fides periret.

142 Ad hæc, ſi omnes integerrimis Pontifices moribus inclaruiſſent, ipſorum Vitæ, non Sacerdotii Regalis, Sanctitati tribui poſset obſequium ipſis præſtitum ab Orbe Chriſtiano.

143 Quid, quod ſi a Charitate aliquando, nunquam a Fide deficiunt, ex hoc ipſo liquet, inconcuſsam ſolummodo Petri, ac Succeſsorum Fidem, non ceteras quoque Virtutes, ab efficacibus, quia ſemper auditis à Patre Divino, Chriſti Domini precibus exoratam fuiſse. Idcircò ineluctabile Veritatis, quæ ineſt Pontificum Romanorum Fidei, Argumentum eſt, quod, præter ea, in quibus plurimi leviter humano more delinquunt, aliqui etiam, licet omnino pauci, in magna fuerint ſcelera provoluti. An non enim metuendum ab hujuſmodi hominibus fuiſset, ne, inducta Novitate credendi, & Suppliciis præſertim Æternis, quæ ſua ipſi peſſima vitæ inſtitutione promerebantur, in dubium revocatis, Eccleſiam labefactare tentaſſent? At ſecus profectò contigit, & vigilantiſſimos in illibata Veritate propugnanda eos ipſos fuiſse, comperimus, qui a delati ſibi Muneris Sanctitate impro-

bis

Digitized by Google

bis moribus degenerabant: ut allatis in medium exemplis pronum eſset oſtendere.

144 Accedit, quod ipſa, qua ſe reos profitebantur, Conteſtatio, novum ſuffragium erat, vindicans adminiſtratæ ab ipſis Eccleſiæ Sanctitatem.

145 Ceterùm, cum rara admodum fuerint Maximorum Pontificum Crimina, leues ceterorum Noxæ alio etiam nomine adſtruunt Auguſtiſſimæ illorum Cathedræ Sanctimoniam, cum a conſidentibus in eadem Divinos propemodum Mores vulgus mortalium requirat; ideoque in iis culpet illa, quæ Supremæ apicem Virtutis non aſsequuntur: quæque ſi in ceteris Principibus intueretur, digna potius laude cenſeret.

II. *Sapientiſſimo Divinæ Providentiæ Conſilio Divitiæ, & Humanus Provinciarum Dominatus, attributus eſt Romano Pontifici.*

146 INter has porrò labes deficientis naturæ ſplendidus Aulæ apparatus, Opes, & Studium conſervandæ Temporariæ Dominationis, enumerari ſine inſania nequit; *ſuperabundante enim iniquitate, & refrigeſcente charitate* mortalium iuxta Divinum Oraculum, opportunum fuit, nobilem ingeri ſpeciem ſui a Sacro Populorum Paſtore, ac facultatem eidem ſuppetere illos remunerandi, qui nomen dant ſacræ militiæ. Idcirco Eccleſiæ Dotem, Cæleſtis videlicet Sponſæ, tueri ſedulò jubetur.

Hæreticorum autem eſt, immanibus votis Pontificem ab Auguſto Solio deturbatum ad Cryptas, Ligneoſque Calices amandare. Qui Paupertate ſuperbiunt

Schiſmatici Præſules, libentiſſimè a ſe illam amolirentur: nec animadvertunt, eandem eſse Pœnam ipſimet Arrogantiæ inflictam. Sacerdotum profectò Divitias minimè criminabantur, dum illis Oriens adeo redundabat, ut Equi ſupra ducentos Theophilacti Conſtantinopolitani Patriarchæ piſtaciis nutrirentur.

147 Si coacta, & impetita maledictis, egeſtas oſtenderet, eſſe in deliciis Divino Numini, qui eâ conficiuntur, blandiri ſibi de hoc Signo amicæ Divinitatis Iudæi poſsent, & barbaræ gentes thus adolentes Dæmonum Simulacris, ſummâ plerumque rerum omnium inopiâ laborantes.

SIGNUM XI.

Charitas Pontificia.

Pontificia Charitas in omnes Populos, ac præſertim Græcos, plurimùm ſuffragatur Sanctitati, adeoque Veritati, Eccleſiæ Romanæ.

148 ANtequam ab expendenda Sanctitate Pontificii Muneris digrediamur, curſim intueri præſtat in omnes diffuſam Populos Romanorum Præſulum Charitatem, Virtutum ſcilicet Reginam, & ipſius præcipuam Sanctimoniæ Notam. Ardorem, quo flagrarunt Divini Solis lucem gentibus omnibus afferendi, opportunius celebrabimus, cum *Apoſtolicæ* Teſſeram Eccleſiæ Romanæ tribuemus.

149 Interim ne ſe, quia ſæpe rebellantes, ab amantiſſimæ Matris uberibus excluſos Græci arbitrentur, innuere præſtat, quæ Amoris manifeſtiſſima Signa illis præbue-

buerint Eccleſiæ Moderatores. Quot Sacra olim Aſceteria confluentibus Romam Græcis Monachis extruxerunt? Quo ſtudio ad Turcarum ab illis jugum prohibendum primò, ac deinde excutiendum, immenſam auri vim, perpetuamque curarum erogarunt? Quod ſi ruinam Imperii compeſcere nequiverunt, ſuo id Crimini Schiſmatici vertant, qui ad ſumendas de ſua Contumacia pœnas barbaros invitarunt: præter gliſcentia inter alios Europæ Principes bella, cum Conſtantinopolim Mahometes Secundus invaſit: cujus præterea fortunatam ferociam contra ſe ipſos laceſſere Latini Principes perhorruerunt: neque plurimùm Conſtantinopolitanis fidebant, a quibus non optimè acceptos ſe, cum ad liberandam Palæſtinam confluxiſſent, opinabantur.

Quod ſi non omnia, quæ Pontifices exoptaſſent, pro Græciæ incolumitate, ob temporum, aut ærarii anguſtias, obiectaſque ab aliis moras, præſtare potuerunt, quàm Paterno erga Græcos animo fuerint affecti, conjicere licet ab illis, quæ, cum in ipſorum poteſtate ſita eſſent, iiſdem ultro ampliſſimè contulerunt. Non amanter ſolummodo, ſed, ferè dixerim, reverenter, Suprema in Græcos uſi ſunt Poteſtate; cum tamen eadem non ad ipſos minus, quàm ad reliquos Chriſtianos populos protenderetur. Hinc ſartos illis, ac tectos Ritus omnes Orientalis Eccleſiæ conſervarunt. Hinc ipſas etiam non optimè inductas Conſuetudines carpere non ſunt aggreſſi: veluti Conjugum commercium Sacerdotibus indultum a Pſeudoſynodo Trullana, quod perperam primò uſurpatum, innocens deinde evaſit ob Summorum Pontificum conniventiam. Hinc eorumdem Prærogativas, vt hunc ipſum

uſum

Digitized by Google

uſum Uxorum Latinis Sacerdotibus,& ſub Utraque Specie permiſſam populo libationem Menſæ Divinæ, conſtantiſſimè ceteris promiſcuè gentibus pernegarũt; quamvis optimè de Catholica Republica meriti Principes, Reges, ac Cæſares, inculcato Græcorum exemplo, eadem Privilegia enixis precibus flagitarent: nec inani ſpe lactari a ſe Pontifices opinarentur, extortis illis, univerſæ ad Romanam Fidem Galliæ, Bohemiæ, ac Germaniæ revocandæ. Hinc tandem, dummodo Catholicæ veritati aſſenſum præſtarent, non coegerunt Græcos ad particulam *Filioque* in Symbolo pronunciandam.

Et erunt, qui de tepeſcenti erga ſe Romanorum Pontificum amore conquerantur, quique ex Charitatis defectu de Sanctitate Supremi Sacerdotii ſuſpicentur?

SIGNUM XII.

Sancta Noſtræ Fidei Monumenta.

Sanctam, Veramque eſſe Romanam Eccleſiam, indicant Sancta ferè omnia noſtræ Fidei Monumenta in illius ſinum recepta.

150 UT in hoc immorer, ſuadet auctoritas S. Anaſtaſii Sinaitæ Patriarchæ Antiocheni, a Sexta Synodo miris laudibus affecti, compendiariam hanc in Libro variarum Quæſtionum quæſt. 117. viam indicantis, qua rudes homines occurrere valeant Hæreticis inſanientibus, eoſque in ſalutis tramitem revocare. Nec abſimilem innuit Auctor Quæſtionum ad Antiochum q. 44. quæ Magno Athanaſio, licet falsò, tribuuntur, cum in iis ex ipſo Athanaſio, Gregorioque Theologo veritatis teſti-

Digitized by Google

teſtimonia proferantur. Anaſtaſius ergo commemorat, obſtructum a Catholico fuiſſe os Hæreticis Severianis, eos interrogando: Fidiſne, an infidis, hominibus prudens Rex Conclavia ſua, gemmas, arcanaſque Literas commiſſurus putetur? Cumque Severiani reſpondiſſent: hæc omnia profectò illorum cuſtodiæ tradenda, de quorum ſyncera, integraque fide nequaquam ambigeret Princeps: repoſuit Catholicus: At hæc nobis a Rege Divino credita ſunt.

Non contemnendum ergo Sanctitatis, adeoque Veritatis, Eccleſiæ Romanæ Argumentum eſt, quod in Regiones illi adhærentes, ac Romam præcipuè, delata ſint pleraque Chriſti Domini, Deiparæ, ac Sanctorum Monumenta: Præſepe videlicet, quod Reparatoris noſtri Nativitas conſecravit: Subucula Filio ſuo ab Auguſta Matre contexta: Inconſutilis Tunica: Columna, Corona Spinea, Lancea: Maxima Crucis portio: admotum Sacroſancto Vultui Velum: &, qua Corpus fuit involutum, gemina Syndon. Neque verò magno hæc ſtudio, pretioque, a nobis quæſita dicant, cum temerariè Divinum hinc conſilium excludatur.

151 Quid, quod prodigioſè conteſtata etiam Regina Cælitum fuit, nobiſcum ſe jucundiſſimè diverſari, cum avulſam Nazareto Domum ſuam miniſterio Angelorum deferri Lauretum voluit.

152 Quid, quod impoſita navibus abſque velo, Rectore, aut remigio, plurima Sanctorum lypſana noſtris littoribus appulerunt: aut ſaltem ipſis jubentibus delata ſunt in Italiam; quod narratur de Thaumaturgo Magni Nicolai Corpore.

Et

Digitized by Google

Et utcumque humana etiam in hoc aliquando induſtria deſudaverit, perhonorificum nobis eſt, quod, præter innumeras Sanctorum Græcorum Reliquias, Maximorum Eccleſiæ Græcæ Doctorum, Gregorii Nazianzeni, & Ioannis Chryſoſtomi Sacroſancta Oſſa in Romana Principis Apoſtolorum Baſilica conquieſcant.

Exoſi commune apud ſuos Schiſma, Novamque Romam, videri poſſunt, quæ tam malè ipſos excepit, dum viverent; cum ad Veterem ſe receperint: & prope illius Cineres deliteſcant, Apoſtolicam cujus Cathedram mirificè venerabantur, & nunc etiam fulciunt in æreis, auroque perlitis Simulachris.

SIGNUM XIII.

Sapientia, & Sanctitas Catholicorum.

I. *Sapientia, ejuſque præcipuè Conſortium cum Sanctitate, Divinitus perpetuò indultum Latinis, Græcis verò Schiſmaticis poſt Photii Separationem penitus ademptum, Sanctam, adeoque Veram, eſſe Romanam Eccleſiam oſtendit. Ac primò ſtatuitur vis, quæ ineſt Sapientiæ, ac Sanctitati, ad Veritatem comprobandam.*

153 SI huic probè Signo animum Schiſmatici intendant, ſatis illud unicum erit, ut, procul ſe a calle Sempiternæ Felicitatis errare, comperiant. Sanctitas, atque Sapientia, in unum conſpirare nequeunt abſque ſingulari Patrocinio Divinitatis; cum Conſortium hoc ſit maximum bonorum, quo frui poſſimus in terris, & quo ma-

maximè accedimus ad ſimilitudinem Dei, Optimi, ac Sapientiſſimi.

154 Ariſtoteles ipſe compulſus fuit ad hoc idem Commercium Virtutis, atque Doctrinæ Auctori Deo tribuendum, cum in eo ſtatuerit humanam Felicitatem: Simulque affirmaverit: ſi, ullum nobis indultum a Deo donum fuiſſe, exiſtimandum ſit, id ipſam profectò eſſe Felicitatem, quæ ſummum bonorum omnium cenſetur.

155 Enimverò non ferendæ ſtultitiæ eſſet, arbitrari, Cælitus, Divinoque munere conferri Vitam, aliaſque minores Dotes, communes cuilibet homini, utcumque barbaro, inſano, iniquo, & cæleſte odium, contemptumque promerito; illuſtre autem vinculum Sapientiæ, ac Probitatis, profluere a cæcitate Caſus, aut a propria poſſeſſorum Induſtria: qui proinde a ſeipſis præſtantiora bona, a Deo autem minora ſortirentur.

156 Hinc efficitur, in errorem ab ipſo Numine impellendos mortales, ſi pretioſiſſimo hoc ſuo Munere, ac Teſſerâ Cæleſtis indolis, eos exornaſſet, qui famulatum, & obſequium ipſi non præſtant, quo pacto præſtandum eſt, ut Divinitatis ingenio conformemur, noſtraſque partes, Divinamque voluntatem expleamus: contra verò hujuſmodi donum denegaſſet illorum hominum Sodalitio, quod rectè, ac juxta dignitatem, Deum ipſum adorat, ac veneratur.

II. *Ante Photium laude Sapientiæ, ac Sanctitatis, Græci cum Latinis decertarunt.*

157 His præjactis, nimis apertè conſtat, Schiſmaticis hac laude Romanos antecellere; cum

illi coarctentur ad hominum genus omni Sapientia, Cæleſtique Amore deſtitutum: at illuſtrati quavis ætate fuerint hi a maxima frequentia ſublimium mentium, omni doctrina præditarum, ac amore Divinitatis. Ne quiſpiam hæc gratis, ac ſuperbè, jactari opinetur, præclara fulgentium Sanctitate, ac Sapientia, virorum nomina recenſenda ſunt.

158 Ajo, in Græca Eccleſia, cum ante Photii Separationem nobiſcum communiter in unum coaluit, mirabile fuiſſe Doctrinæ Conſortium, ac Sanctitatis; adeo ut ambigi poſſit, an Sanctorum, eorumdemque Doctorum, copiâ Latinæ præſtiterit: poſt Disjunctionem verò nullum omnino fuiſſe inter Schiſmaticos, qui Doctrina ſimul, ac Sanctitate, claruerit: imo vix ullum, qui, etiam carens inclyto cultu virtutis, illuſtre tamen præſetulerit lumen ſublimis Scientiæ: contra verò inter Latinos quavis ætate floruiſse Doctiſſimos viros, atque ex his plurimos Sanctiſſimis quoque fuiſſe moribus admirabiles.

159 Utraque Sanctitatis, & Doctrinæ laurea exornavit ante Photium inter Latinos Gregorium, Leonem, Cæleſtinum, Damaſum, & Nicolaum, Pontifices hujuſce nominis Primos, Secundumque Gregorium: Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, Iuſtinum, Cyprianum, Hilarium, Fulgentium, Optatum, Paulinum, Eucherium, Proſperum, Bedam, Petros Chryſologum, & Damiani: &, niſi appellatione Sancti, religione certè clariſſimos Boetium, & Salvianum; ut Tertullianum reiiciam, cujus mores, fruſtra ſeveriſſimos, & honeſtos, eximiumque ingenium, Montani hæreſis inquinavit.

Ex Græcis verò, ut ob idem Errorum dedecus reiiciam

ciam Origenem, Dydimum Alexandrinum, Apollinarium,Euſebios Cæſaræenſem,& Emeſenum:neque commemorem pietate, ac doctrina illuſtres, Clementem, ac Theophilum, Alexandrinos: Athenagoram, Philonem Carpatium, Theodoretum, Amphilochium, Ioannem Clymacum, Ammonium, Andream Cæſaræenſem, & Anaſtaſium Nicænum: ut hos, inquam, prætermittam, quàm illuſtria Sanctitate, ac Sapientia, Græci nobis ingerũt nomina in Dionyſiis Areopagita,& Alexandrino: Athanaſio,Baſilio:Gregoriis,Thaumaturgo, Nazianzeno, ac Nyſſeno: Ioanne Chryſoſtomo,Ignatio, Irenæo, Ephrem, Epiphanio, Cyrillis Alexandrino, & Hieroſolymitano,Iſidoro Peluſiota, Ioanne Damaſceno: Maximo, Methodioque Martyribus: Conſtantinopolitanis Germano, Nicephoro, Proclo: Antiochenis Anaſtaſio Sinaita, ac Theophilo: Theodoro Studita: & Hieroſolymitano Sophronio?

SIGNUM XIV.

Manifeſtus Græciæ lapſus à priſca Sapientia, & Sanctitate.

Poſt Photium Sanctimoniæ, ac Doctrinę, dotibus Græci a Latinis penitus obruuntur. Quid ex hoc inferatur.

160 Sed hi omnes ante Photium in Græci admirationem Ingenii, ac Virtutis, mortalium animos rapuerunt. Poſt illum verò, cum totidem, a Divino in terras Adventu, quot ante illum Separationis iniquæ Signiferum, effluxerint Secula, quo ſopore fuit ob-

ruta Græcorum Sapientia? Quod faſcinum, præter idem Schiſma, ingenioſiſſimæ gentis animum hebetavit?

161. Nullum certè Latinorum hoſtes proferunt, quem doctrinâ nobilem ſuis ob Sanctimoniam Faſtis Divorum adſcripſerint, niſi Gregorium Palamam in medium producant, quem tamen Hæreſis inſanæ compertum execrata Synodus fuit. Silebunt, opinor, de ipſo Photio, Cerulario, Balſamone, ac Marco Epheſio, de quorum probroſis moribus aliquid indicavimus: neque jactabunt Nilum Theſſalonicenſem, Gennadium alterum, & Calvinianum Gerganum, alioſque hujuſmodi furfuris, quorum Scripta blaſphemiis, & hæreſibus ubertim ſcatent. Superſunt ergo qui de rebus geſtis, Græcis Ritibus, aut Quæſtionibus nonnullis tractarunt. Sed hi eruditionis quidem, & hiſtorici Styli, non verò Scientiæ, aut celebris Religionis, laude præſtiterunt. Duo certè ſolummodo ſunt, in quibus illuſtre aliquod Sacræ Doctrinæ lumen elucet, Nicolaus Cabaſilas Ioannis Cantacuzeni adulator, ſub cujus Tyrannide Theſſalonicenſem Eccleſiam adminiſtravit: ac Theophilactus Archiepiſcopus Bulgarorum, famam adeptus, Opera Magni Chryſoſtomi ferè in compendium redigendo.

162 Neque verò ſibi Schiſmatici uſurpent exortos quidem in Græcia, ſed religioſiſſimos, ac Romanam Eccleſiam obſequentiſſimè veneratos, Leonem Sapientem Imperatorem, OEcumenium, Olimpiodorum, Eutymium, Ioannem Veccum, Nicætas Choniatem, & David, qui ſua ſuperſtiti Photio crimina exprobravit: Barlaamum, Beſſarionem, Gennadium Patriarcham, Ioſephum Methonenſem, Gregorium Protoſyncellum,

Lao-

Laonicum Chalcondylam, Zachariam Chriſopolitanum, Emmanuelem Calecam, alioſque hujuſmodi.

163 Dies autem, ac paginæ mihi deficient, ſi recenſere Latinos aggrediar, qui Sanctimoniâ, Sapientiâque, nobiles ætatem Photii ſunt conſequuti, poſt quam omnes ad nos viſæ ſunt demigraſſe Virtutes, atque Doctrinæ, ſuſcitatum primò, ac deinde toties in Oriente renaſcens, Eccleſiæ Diſſidium exoſæ. Præcipuos indicabo, & primò quidem Beatis adſcriptos Sanctos Pontifices, Gregorium Septimum, ac Leonem Nonum: Bernardum, Anſelmum, & Edmundum Cantuarienſem, Thomam Aquinatem, Albertum Magnum, Raymundum, Vincentium Ferrerium, Antoninum, Bonaventuram, Antonium Patavinum, Ioannem a Capiſtrano, Bernardinum, & Auguſtinum Triumphum.

Niſi verò ad aras coluntur, eximia tamen fulſit pietas in moribus, & ſcriptis doctiſſimorum virorum Ricardi, & Hugonis a S. Victore, Ruperti Abbatis, Petri Bleſenſis, Nicolai de Cuſa, Thomæ de Kempis, Rusbrochii, Tauleri, Dionyſii Carthuſiani, Simonis de Caſſia, Granatæ. Quid, præclara illa Theologicæ Scientiæ, Chriſtianæque virtutis lumina? Sive Academiarum Principes, Petrus Lombardus, Ioannes Duns Scotus, Alexander de Hales, Durandus, Ocham, Biel, Gregorius Ariminenſis, Ægidius Columna, Henricus a Gandavo, Bacconus? Sive primi Doctores agminum amicè pugnantium de veritatibus nondum ab Eccleſia definitis, Adrianus, uterque Sotus, Antiſiodorenſis, Victoria, Ferrarienſis, Catherinus, Bagnes, Capreolus, Prieras, Cajetanus, Hervæus, Canus, Richardus de Mediavilla, Franciſcus

May-

Mayronis, Lychetus, Paludanus, Aureolus: ac Ioannes Faber, Echius, & Cardinalis Roffenſis, Antagoniſtæ Lutheri? Sive Sacrarum egregii Literarum Interpretes, Toſtatus Abulenſis, Rabanus Maurus, Iacobus a Vitriaco Cardinalis, Ivo Carnotenſis, Nicolaus de Lira, Hugo Etherianus, Petrus Cluniacenſis? Sive in Canonico præterea Iure verſatiſſimi, Gratianus: Æneas Silvius, Pii Secundi nomen indutus in Pontificatu: Cardinales Turrecremata, & Iacobatius: Martinus Navarrus, Anſelmus Laudunenſis? Ac demum in quibuslibet diſciplinis Ingenii, Sapientiæque Prodigium Picus Mirandulanus?

Tædio fortaſſe Lectores affecimus in longum productà illuſtrium nominum enumeratione. Superſunt tamen innumera, quæ noſtro præſertim, ac Patrum Seculo claruerunt; nam tacitos præterivimus Suarium, Vaſquium, Molinam, Gregorium de Valentia, Mendozam, Leſſium, Hurtadum, Montoyam, Salmeronem, A Ponte, Nierembergium: ac Toletum, Bellarminum, Lugum, Pallavicinum Cardinales: alioſque tot ex noſtro ſolùm Ordine inclytos viros, ut ingens ex eorum recenſione conflata ſit Bibliotheca, non Sapientiæ tantùm, ſed etiam Pietatis in omnium moribus exempla poſteris præbens, & eximiæ in plurimis Religionis.

Si quibuſdam è vulgò Schiſmaticorum peregrina hæc accidant Nomina, ſique illorum ferè nulli præclara eorumdem Opera ſint delibata, non ea proinde contemnant, ne ſuam prodant Inſcitiam, & infelicem Livorem.

164 Et profectò incognita ſunt ipſis Theologorum Volumina; neque enim fieri poſſet, ut, ſi verſati eſſent in

Scien-

Digitized by Google

Scientia Divinitatis, Sacriſque Literis impalluiſſent, hærerent adhuc in Schiſmate.

Iam verò cum nimis apertum diſcrimen intercedat inter Veteris, & Recentioris Græciæ Sapientiam: noſtrumque ſolùm poſt Rebellionem Photii fuerit Pietatis, ac Doctrinæ Conſortium: fateantur, Veram nobis indultam Divinitus Fidem fuiſſe, quibus unis Divinum Numen contulit manifeſtiſſimum Sanctæ, Veræque Eccleſiæ Argumentum, Sapientiam videlicet, ac Sanctitatem.

SIGNUM XV.

Divini Spiritus Unctio in noſtris Libris.

Nullus Pietatis liquor, & Divini Spiritus Unctio elucet in libris Schiſmaticorum, & Hæreticorum, ſed mirificè fulget in Operibus Sectatorum Eccleſiæ Romanæ, quæ Una proinde Sancta, ac Vera dignoſcitur.

165 NOn ſolùm Scriptor nullus avulſus ab Eccleſia Romana univerſam Divinam Scientiam rectà methodo ſuas in partes digeſſit, quod noſtrorum innumeri præſtiterunt; ſed neque cetera Divinitatis Arcana, uteumque, & congeſtim, pertractavit: præter pauca illa, in quibus à Romanis diſſentiunt Schiſmatici: quæque per puerilia Sophiſmata, miſeras hallucinationes, captioſaſque artes, involvunt tenebris, perperam explicatis, aut doloſè detruncatis Divinarum Literarum, Sanctorumque Patrum Sententiis. Omnis in hoc ipſorum labor deſudat, ut improbam Rebellionem tueatur, audendo quidlibet in Hiſtoria, nullamque Theologiæ Partem, præter Polemicam, attingendo.

116 At

166 At Romani quot præterea Myſticos Libros exararunt! Quot amplexos egregia formandorum optimè morum Præcepta! Quot Chriſtianæ Perfectionem Virtutis edocentes? Quæ Pietati pabula præbent, ac Religioni, de Mundi Contemptu, de Imitatione Chriſti, de Sempiterna Felicitate, aut Miſeria, diſſerendo: quæque per ſingulos anni dies pia Meditatione recolere ſit opportunum, ampliſſimè ſuggerendo!

167 Neque in his tantùm, quæ ſolummodo tendunt ad erigendos in Cælum animos, eoſque amore Divino inflammandos; ſed in aliis etiam plurimis Catholicorum Operibus, quibus alius finis præfigi videtur: ſcilicet vel Pugna cum hoſtibus Fidei, vel acuta Diſcuſſio Sacrarum rerum, vel informatio Lectoris de ipſa mortali Natura, vel Narratio præteritorum eventuum: quidam elucet Religionis color, ſtudiumque alienæ ſalutis, quo penitus carent Schiſmaticorum, & Hæreticorum Volumina.

Quis hæc percurrens excitari in ſe unquam fuit expertus ullam Sacroſancti Amoris ſcintillam? Quis promicare ab his vidit fulgura, vel ſtricturas ſaltem leves luminum Divinorum? Cæleſtis nulla ſaporis a legentibus libatur ſtilla: iidem nulla Sancti Spiritus Unctione perfunduntur, quæ plurima redundat in animos ab innumeris noſtrorum Codicibus.

Spirans hæc a paginis aura vitalis, ſuaviſſimè provehens volantes in ſtadio virtutis, Indicium eſt flagrantis in Auctorum animis Charitatis, adeoque Sanctam, Veramque, illam demonſtrat Eccleſiam, cujus unius è ſinu naſcuntur, & quidem frequentiſſimè, perutiles Libri,

quos

Digitized by Google

quos non ineptè dixeris Pharetras, vitalia tela cordibus infigentes. Eadem, quæ *Convertens animas*, a Regio Pſalte *Lex* dicitur *Immaculata*, ſcilicet omnis expers Erroris. Idcirco ſi noſtra ſolummodo ſunt Opera, ad Cælum, humo ante affixos, animos convertentia, labes Hæreſis nulla inficit Romanam Eccleſiam.

SIGNUM XVI.

Prædictiones de noſtra ſolùm Eccleſia.

Sanctitatem, ideoque Veritatem, Eccleſiæ Romanæ, non verò Schiſmaticæ, Hæreticæ, aut ullius alterius Sectæ, conteſtantur, illam prædicentia, Oracula Prophetarum.

168 CUm Dei ſolius prærogativa ſit, certò præſcire, ac prænunciare mortalibus ea, quæ ventura trahuntur, Sanctam profectò, Veramque, illam Eccleſiam fateri, oportet, quam futuram, per afflatos a ſe Prophetas, prædixerit idem Optimus, atque Sanctiſſimus Deus. Non ſolùm autem dicta, & geſta omnia Veterum Patrum, quibus *Omnia in Figura contingebant*, exorituram Gratiæ Legem indicarunt; ſed etiam plurima, & quidem apertiſſima, eorumdem Oracula de fundanda a Chriſto Domino Eccleſia vaticinata ſunt. Quam ergo ipſe in Petri Fundamento ſtabilivit, ideſt Romanam, Prophetiæ innumeræ, Sanctam, Veramque eſſe, conteſtantur.

169 At quænam Præſaga futurorum verba lapſum à Suprema Ovium Chriſti Præfectura, in quem provolvendi eſſent Succeſſores Petri: Quæ Vaticinia, præferendam, aut æquandam Romanæ Conſtantinopolitanam Cathedram ſunt ominata?

Supervacanea hæc fortaſſe dicent Schiſmatici, quia eadem Chriſti Religio perſtitit in recedentibus ab Eccleſia Romana, quæ antea vigebat.

170. At certè Novitas magna, & Mutatio contigit, cum illum, quem per tot Secula Univerſus Chriſtianus Oriens veneratus fuerat, ut Paſtorem Ovium Chriſti, inceperint Schiſmatici deteſtari, veluti Lupum, aut ſaltem Mercenarium, ducentem ad paſcua falſæ doctrinæ. Non conſuevit autem Maximus, & Optimus Deus magnam in ſelectum a ſe populum Mutationem inducere, quin ſuam de illa inducenda voluntatem per Miracula, vel Oracula Prophetarum, atteſtaretur. Ita cum primò Circumciſionem Abrahamo imperavit, ad illi obtemperandum Hebræos impulit, manifeſtè illum, alioſque non ſemel alloquutus: immiſſâ cælitus in Urbes iniquas ultrici flammâ: obdurata Uxore Loth in ſtatuam Salis: deſponſo primùm ſeneſcenti Saræ, ac deinde mirabiliter conſervato, Filio. Qua vi præſaga, qua poteſtate Miracula perpetrandi non inclaruit Moyſes, ut haberet in excipienda ſcripta Lege populum obſequentem?

Si ergo Sancto afflati Spiritu fuiſſent, qui Novitatum Auctores ab Antiquiſſima Eccleſia ſeceſſerunt, Vera fore Nova ipſorum Documenta per Prodigia, vel Præſagia, Sanctus idem Spiritus oſtendiſſet. Quod Mirum nihil ad inauditam eò uſque, Doctrinam ſuam confirmandam, ediderint Schiſmatis Præceptores, mox oſtendemus. Interim decernimus, nulla Prædictione Prophetica indicatum fuiſſe, gratam Divino Numini futuram eorumdem ab Eccleſiæ Capite Disjunctionem.

SI-

SIGNUM XVII.

Perpetuitas Prophetici luminis in Romana Eccleſia.

Propheticum lumen, quo penitus carent Schiſmatici, Hæretici, & quamcumque aliam Superſtitionem profeſſi, in Romana Eccleſia perpetuò perſeverans, hujus Sanctitatem, adeoque Veritatem, oſtendit.

171 PRæter ea, quæ, ſtatuendam a Chriſto Domino in Petri Fundamento Romanam Eccleſiam prædixerunt, Præſcius idem aliarum innumerabilium rerum Intuitus, plurimos ejuſdem Eccleſiæ Sectatores illuſtrans, Veram illam eſſe, apertè demonſtrat. An non enim Deus in illorum animis acquieſcit, quibus Arcana ſua, ut amicis, liberaliſſimè pandit?

Cui Schiſmatis Profeſſori Donum hoc Futura prænunciandi conceſſum Divinitus fuiſſe, ipſimet Schiſmatici narrant Hiſtorici? In nullùm penitus me incidiſſe, memini, dum eorum volumina ſedulò perluſtrarem.

172 At plena hujuſmodi narrationibus ſunt noſtra monumenta, Sanctorum hominum Vitæ, Annales Eccleſiæ.

173 Et ex hiſce Prædictionibus aliquæ adeo manifeſtæ fuerunt non uni tantùm, aut alteri Auditori, ſed univerſis Urbibus, ac Provinciis: & quidem verſatæ circa res præclariſſimas: & omnium curam, & ſolicitudinem excitantes: communemque aliquando Orbis terræ, cum impletæ ſunt, admirationem rapientes; ut illas omnes

in dubium nunc revocare, perinde ſit, ac ſi quis ambigeret, Cæſarem füiſſe Perpetuum Romanæ Reipublicæ Dictatorem.

174 Ad hæc, plurimi etiam ex Romanis Pontificibus hoc Prophetico, & quidem celeberrimo, Spiritu donati ſunt: ut Gregorius Septimus, Leo Nonus, Nicolaus Quintus, qui, præter cetera, occupandam brevi a Barbaris Conſtantinopolim vaticinatus füit: & B. Pius Quintus, profligatam apud Echinadas Turcarum Claſſem è Vaticano ſpectare promeritus. Et hæ quidem mirabiles, ipſis conceſsæ Pontificibus, Præſenſiones eandem Romanæ Fidei Veritatem præcipuo quodam nomine atteſtantur; nam ſi Apoſtolicæ Cathedræ inſidentes Prophetico lumine inclyti fuerunt poſt inſertam Symbolo Particulam *Filioque*, profectò acceptiſſimi Superis erant. Ideoque Eccleſiæ Principatum non iniquo jure uſurpabant, ſed æquiſſima Poteſtate eodem fungebantur.

175 Attexere his aliquid juvat de ſingulari in hoc indulta Divinitus prærogativa Indiarum Apoſtolo Sancto Franciſco Xaverio, quia recentiſſima, & celeberrima: & quia cum idem Romani Pontificis Nuncius eſſet, ac Supremam ejuſdem Auctoritatem per Utrumque Orbem Præco veraciſſimus celebraret: exiſtimari nequit, in hoc decepiſſe mortales; ſi vera perpetuò proferebat de aliis rebus loquutus, quas intervalla locorum, aut temporum, cognitioni ceterorum omnium ſubducebant. Quàm porrò mirus hac laude Xaverius fuerit, patet ex *Magni Prophetæ* appellatione illi a communi plauſu tributa, non poſt unum, aut alterum ſumptum Experimentum, ſed innumera, de impletis illius Vaticinis

niis; adeo ut, Centies Millies id contigiſſe, Viri graviſſimi aſſeveraverint. Omnibus intereſſe Maris, Terræque plagis videbatur, nam, quæ ſuperventuræ erant ad littus naves; quæ in diſtantibus Inſulis prælia gerebantur: quis animam alibi agebat: quæ Malacenſibus pueris Nomina erant impoſita: intuebatur, cum vnumquemque ſuo, Malacam primò appulſus, compellaverit: cetera populo inter concionandum edixerit, totamque Præliorum Seriem (perinde ac ſi ab edito colle in proxima valle deſpiceret ea, quæ quadringentis, & aliquando vicies centenis paſſuum Millibus diſſita erant:) pulcherrimis coloribus repræſentaverit. Nulla ædium ſecreta conclavia, cordium latebræ nullæ, ſyparium cæleſtibus ejus oculis admovebant, ne properaret ad illos compeſcendos, quos furor, aut deſperatio urgebat ad violentas aliis, aut ſibimet ipſis manus iniiciendas: neve, detectis laborantium animorum arcanis, ſalubrem illis medelam afferret.

176 Fingi hæc omnia quiſpiam fortaſſe opinabitur? Sed Teſtes innumeros, Urbeſque ipſas, & Provincias habuerunt, eam Xaverio, ſemper veritatis comperto, fidem adhibentes, ut, cum in Mari non periturum Navarchum quendam: & fatiſcentem ſenio Pereiræ navem, omnium victricem diſcriminum, in nativo, ubi compacta fuerat, littore ſolvendam, affirmaviſſet: illi omnes Nauarcho, huic omnes Navi ſalutem ſuam, certamque incolumitatem fidere prægeſtirent.

Digitized by Google

SIGNUM XVIII.

Donum Miraculorum in Romana Eccleſia.

I. *Expenditur Donum Miraculorum, vel ad ipſius Fidei Veritatem, vel ad ejuſdem Fidei Sectatorum Sanctitatem vindicandam: quod frequentiſſimum, atque Perpetuum fuit in Eccleſia Romana, etiam poſt additam Particulam* Filioque.

177 Vires Naturæ ſuperantia Prodigia, ab Auctore elati ſupra eandem Naturam Ordinis, Optimo, atque Sanctiſſimo Numine, perpetrata, manifeſtum Argumentum ſunt Sanctitatis, adeoque Veritatis rerum, ad quas confirmandas Miracula ipſa Divinitus adhibentur. Hæc autem, vel inauditæ eò uſque Doctrinæ ſuffragantur, ut, quæ ad Chriſtianam Fidem ſuſcipiendam homines impulerunt: vel oſtendunt Sanctimoniam illius, cujus ad preces jura Naturæ ſubvertuntur.

Neutrum hujuſmodi Prodigiorum genus contigiſſe Schiſmaticis, mox decernemus. Statuimus interim, admirabilem hac Dote fuiſſe Græciam, cum a Romana nondum Eccleſia defecerat. Thaumaturgos ipſa Gregorios protulit, quorum ad nutum paludes areſcebant, aliò curſum detorquebant flumina, movebantur ſuis avulſi Sedibus Montes.

178 Nunc verò ſi Miraculis inclareſcere amant, Sanctiſſimi Græciæ Præſules ad nos convolant: ut alius Myræ Thaumaturgus Nicolaus, è cujus Corpore Sacroſancto Gratiarum Vena perennis fluit. Et Barium Apuliæ ur-

Digitized by Google

urbem ſelegit ad Balſamum, innumeros mortales incolumitati reſtituens, ex arido Tibiæ ſuæ oſſe ubertim ſuppeditandum: qua in urbe celebratum Concilium damnavit affirmantes, a Solo Divinum Spiritum Patre procedere. Romanæ igitur, non Schiſmaticæ, Fidei Veritatem atteſtantur Nicolai Portenta.

179 In uno hæremus, quamvis Innumerabilium, & Perpetuorum feraci? Noſtra ſunt quæcumque, ab ipſo Eccleſiæ naſcentis Exordio, revelatam Divinitus Fidem comprobaverunt, cum unam, eandemque Antiquiſſimam Fidem ſervatam a nobis fuiſſe, Superiori Libro demonſtratum ſit.

180 Noſtra præcipuo nomine, quæcumque exoratus a Sanctorum Pontificum precibus, etiam poſt additam Symbolo particulam *Filioque*, indulſit Deus: quo in genere illuſtres præ ceteris fuerunt Septimus Gregorius, & Quinti Cæleſtinus, & Pius.

181 Noſtra, quæ Carolus Cardinalis Borromæus, quæque Apoſtolicæ Sedis Nuncius Franciſcus Xaverius impetravit: quinque hic ſupra viginti Mortuis ad vitam revocatis, præter alia, Siderum numerum ſuperantia, celeberrimus: quorum Sexcentis, una tantùm in Urbe patratis, in tabulas relatis, Malacenſis Vicarius ab aliis recenſendis abſterritus fuit. Noſtra demum, quæ Bernardo, Antonio Patavino, Dominico: Aſſiſinati, ac Paulano, Franciſcis: Bernardino, & Catharinæ Senenſibus: Vincentio Ferrerio: Philippis, Benitio, ac Nerio: Thereſiæ: Roſæ Limanæ, ac Viterbienſi: aliiſque, quotidie conceſſa: 182 *Ea expenduntur Severitate, ac Perſpicacia Cenſuræ, quæ confluentibus Romam Hæreticis*

ticis cognita miras illos redigit in anguſtias, cogitque fateri Romanæ Fidei Veritatem; niſi morum Licentia, qua,ſibi a Luthero, & Calvino indulta,orbari ſe nolunt, omne penitus ratiocinationis lumen extinguat.

II. *Cur plura contigerint Prodigia ad alliciendos Ethnicos ad Chriſtianam, quàm ad revocandos Hæreticos, & Schiſmaticos, ad Catholicam Fidem. Explicatur vis celeberrimi Dilemmatis D. Auguſtini de Veritate propagata Miraculis, vel ſine Miraculis.*

NOſtra, inquam, hæc omnia ſunt, noſtræque probant Eccleſiæ Sanctitatem, quæcumque Prodigia illius in ſinu decedentes, amicos Divinitati, Sanctoſque fuiſſe, demonſtrant.

183 Nec defuerunt, quæ ad ipſius præcipuè Schiſmatis Errores refellendos Gregorius, Magnus Protoſincellus, ac deinde Patriarcha Conſtantinopolis, aliique Sanctimoniâ clariſſimi viri Miracula ope Divina ediderunt.

184 Quamvis hæc, ſtatuta ſemel Catholicæ Fidei Veritate, ſupervacanea ſint. Innumeris Prodigiis Ethnicam Superſtitionem labefactavit Deus: paucis Arianam, aliaſque Hæreſes: ac ferè plerumque acquievit in Pœna inflicta ipſi Ario, aliiſque Hæreſum Inventoribus: quam palmarem irrogatam etiam fuiſſe Schiſmatis Vexilliferis opportunè promemus.

Hoc autem diſcrimen ideo contigiſſe crediderim; quia majori, afferenda a Miraculis, luce indigebant Idololatriæ, *Sedentes in tenebris, & umbra mortis*, quàm quibus *Orta lux erat* Catholicæ Fidei, contra quam oculos con-

Digitized by Google

conſultò clauſerunt, ab Unitate Sanctæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, per ſuperbam, graviſſimæque culpæ ream, inſaniam recedentes.

Vim iſtis fulgoris ingentem, totumque ingerunt Solem Sacræ Literæ, Pontificum, Conciliorum, Sanctorumque Patrum Oracula, quibus, a ſe fidem non abnegari, profitentur; ut proinde fruſtra ſit, majori eos per Portenta lumine aſpergi. His etiam, ut Epuloni, de ipſius Fratribus loquutus, Pater Fidei Abraham exprobraret: *Habent Moyſen, & Prophetas: audiant illos. Si Moyſen, & Prophetas non audiunt, neque, ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.*

185 Ardua, & humanæ mentis captum excedentia, Ethnicis proponebantur, veluti Unus, ac Trinus Deus: Dei Filius, idemque Deus humanitatem indutus, & Cruci ſuffixus: Sempiterna Supplicia cuilibet lethali, cum quo quis decedat, Crimini infligenda.

186 Revocandi præterea erant ad aliam omnino ſemitam Mores, & frænum exlegi cupiditati iniiciendum, cui penitus habenas laxaverant fabuloſorum Exempla Deorum, in omnem Luxuriam, Ferociam, & Superbiam, pronos ad eas peſtes, animos impellentia.

187 Hinc de Idolorum cultoribus ſummum robur ineſt acutiſſimo illi S. Auguſtini Dilemmati: vel ſcilicet per Miracula ſubjecta oculis fidem abrogatam fuiſſe Iovi, ac Marti: vel ſine Miraculis: & hoc ipſum Prodigiorum Maximum eſſe cenſendum; quia videlicet aliis Portentis, quæ uſurpamus oculis, antecellit hoc ipſum, quod in immutatis mortalium animis eveniſſe comperimus, adactis Divinitus ad præſtandum aſſenſum Veritatibus,

omnem humanæ Ratiocinationis intelligentiam, & perverſæ inductionem, propenſionemque Naturæ ſuperantibus.

188 Sed qui a Catholica Fide ad Hæreſes, aut Schiſma, deficiunt, cur a ſua vecordia Miraculis compeſcantur? Nihil illis credendum, ne a ſe divellantur, præcipit Eccleſiæ Matris Auctoritas, quo difficiliora utcumque in animum non admittant. An enim, ut appoſito exemplo utar, magis arduum eſt, cum Vetuſta Eccleſia affirmare, Filium quoque Fontem eſſe Divini Spiritus, quàm Tres Divinas Perſonas Unum ſolummodo Deum eſſe?

189 Qui præterea ad Schiſma degenerant, arctioribus Morum vinculis non implicantur, quàm quæ ferebant Antiqua Catholicæ Græciæ inſtituta. Imo, niſi permiſſa vitæ Licentia, quæ Luthero plurimos, & Calvino aſſeclas vindicavit, Superbia ſaltem, in alieno ſolo quærere detrectans Fidei Magiſtrum, proclives præſtitit animos Zizaniis Errorum audaciſſimi Schiſmatis ſuſcipiendis. Neceſſaria ergo non erant Miracula ad Schiſmaticorum temeritatem frænandam: perinde ac neque ad ceteras Hæreſes in furialibus cunis extinguendas.

Quamvis hæc ita ſe habeant, innumeris tamen *Luminum Pater* Mirabilibus rebus Triumphum Romanæ Fidei de ipſo infelici Schiſmate aſſeruit, ut ſuperius demonſtravimus; cum omnia nobis militent, quæcumque Miracula Sanctitatem adſtruunt Romanæ Eccleſiæ Sectatorum.

190 Ex his autem plurima perennant, neque totius humani generis, ſi ſpectatum confluat, Iudicium reformidant: veluti Ioannis Baptiſtæ Sanguis ebulliens Ge-

Genuæ, Ianuarii Neapoli, quotieſcumque ille Cineribus Præcurſoris, hic Capiti Martyris obiicitur: Contremiſcentia, & Sanguine perlita Nicolai Tolentinatis Brachia, quotieſcumque diſcrimen aliquod imminet Orbi Chriſtiano: & aliorum vis tanta, ut de Miraculis Perpetuis, Catholicæ Veritatem Fidei prædicantibus, ingens Volumen potuerit exarari.

SIGNUM XIX.

Defectus Miraculorum in quibuſcumque Sectis.

I. *Schiſmatum, Hæreſum, & cujuſlibet Novæ Superſtitionis Auctores coguntur venari a Prodigijs Cæleſte ſuffragium. Diſcrimen Vera inter, ac falſa Miracula.*

191 IMpiæ Schiſmaticorum Rebellionis Impugnatoribus, affirmantibus, hærendum eſſe in Antiquiſſima Eccleſia, non incumbebat onus, ſuam Novis Prodigiis Doctrinam aſſerendi, cum omnia illis vetuſta Miracula ſuffragarentur. Sed auſi refingere tot Seculorum Fidem adigebantur, oſtendere per Portenta, ſe Divinitus miſſos ad eruendum è tenebris hominum genus.

192 Vel inſanus ille Arabs Mahometes, quamvis, degenerantes ad belluinam indolem, hominum animos pronos invenerit ad aptam belluis, Legem ſuſcipiendam, quæ omnia Furori concedebat, ac Voluptati; ſuis tamen verbis adſtruere fidem per Mirabiles, Naturam ſuperare falsò viſas, apparentium rerum imagines conatus fuit.

Mirum ergo videtur, quod nobis relictus non fue-

rit a Schiſmatis Anteſignanis labor explicandi, quibuſnam dolis niterentur prodigioſæ ſpecies ab ipſis objectæ Mortalium oculis ad eorumdem animos dementandos. Minimè arduum eſſet, ſparſam ab iis diſflare caliginem: quod de falſis Ethnicorum Miraculis egregiè præſtitit D. Auguſtinus in Libris de Civitate Dei.

Facili negotio ſtatueremus, quænam ludentis Naturæ, quæ Præſtigiatorum, ac Tartari vires excedant: ac palam præcipuè fieret, quænam Mira victoriam de ceteris retuliſſent: ex quo præſertim Signo patet inſolita, Veritatem conteſtantis, Operatio Divinitatis.

Ita Virgarum, quibus uſi fuerant Ægyptii Magi, victrix Virga Moyſis: & iuſſu Petri lapſus ex aere veterator Simon: Verò Triumphum Numini vindicavit.

Idcirco, licet falſa quædam Cæleſtis comprobationis Indicia viſa fuiſſent exornare Præcones ſuſcipiendæ a Romano Pontifice Disjunctionis, quonam pacto illæ, Auditoribus imponentes, Præſtigiæ certare poſſent cum *Linguarum Dono*, quo Indiarum Apoſtolus hortatus populos fuit ad eidem ſe adſpectabili Eccleſiæ Capiti ſubjiciendos?

193 Quàm palmare Donum hoc fuit, Deus immortalis! cum, præter barbara plurima, & difficillima Idiomata, quorum omnium, & quidem elegantiſſimam, notitiam ſtatim fuit aſſequutus, uno tantùm ex iis loquentem ſuo unaquæque gens diverſiſſimo audiret: deque variis rebus ſimul a pluribus propoſitæ Quæſtiones una ſolùm Xaverij reſponſione mirificè ſolverentur.

II. *Mi-*

II. *Mirum nihil Schiſmatici afferunt ad aſſerendam Sanctitatem ipſiuſmet Schiſmatis, aut eiuſdem Sectatorum.*

SEd fruſtra his Romanæ Fidei Trophæis immoramur, cum prodigioſum omnino nihil afferre Schiſmatici valeant, ex quo ſui Magiſtri Novis Opinionibus aſſuerint Cæleſte Suffragium.

194 Pernego, Miraculum ullum a Schiſmaticis Hiſtoricis narrari, quo ipſius Schiſmatis Publicatio, aut Sanctitas illorum, qui in Schiſmate deceſſerunt, Divinitus confirmata videri poſſit.

Nihil ad hæc duo probanda conferunt Mirabiles morborum medelæ orantibus ante Deiparæ, in Oriente cultas, Imagines aliquando conceſſæ; hinc enim ſolùm conficitur, Sacrarum venerationem Imaginum Superis arridere: ac ſua Turcis, earum contemptoribus, exprobratur inſania.

195 Quorum verò precibus exoratur Virgo Auguſtiſſima, vel Romanam ſine vlla Erroris labe ſectantur Fidem: vel criminis expertes ob eam, quæ vinci non poſſit, Inſcitiam, licet aliquod illibatæ Religionis Arcanum ignorent, a Romanæ tamen Eccleſiæ ſinu non excluduntur.

Quid, quod licet Schiſma obdurato etiam in nequitiam animo proſequantur, non tamen ab aliqua obtinenda Cælitum indulgentia prohibentur. Illuſtres, ac prodigioſæ Victoriæ ab ipſa Cæli Regina donatæ ſunt anno 593. Ethnico Perſarum, qui ei ſupplicia vota porrexit

rexit, Exercitui. Ipſius ergo ſolùm Deiparæ, Sacrarumque Imaginum Sanctitatem; non verò, ante illas procumbentium, Schiſmaticorum Sanctitatem oſtendunt munera, Cælitus illis collata.

196 Quid, quod multò etiam profuſiori erga nos munificentia utitur Optima Parens. Pleræque ſacris illam coloribus referentes tabulæ ex Oriente ad nos convolarunt: alias Beatæ ipſæ Mentes pinxere, ut ejus, quam Florentia obſequentiſſimè colit, Vultum planè Divinum. Quæ verò Cæleſtia nobis dona largitur, orantibus ante innumeras ipſam repræſentantes Telas, aut Simulacra, enumerare deſperet, qui arenarum ſub Oceano latentium numerum aſſequi cognitione non poſſit. Nomina ſolùm recenſens, illuſtrium frequentiſſimis Prodigiis, Imaginum Deiparæ magnum Volumen confecit Felix Aſtolphus.

III. *Nihil Schiſmatici evincunt ex Cæleſti flamma, quæ olim corripuiſſe fertur cereas faces in Sacello Divini Sepulchri.*

197 NE cælitus accenſum Lumen, cum Sacra peragunt extrema Sanctioris Hebdomadæ die, in Divini Sepulchri Sacello, comminiſci audeant: quia, licet hoc Signo illuſtrarentur Sacra, quæ validè Schiſmatici etiam ipſi conficiunt, Myſteria; id ipſorum tamen Myſteriorum, Loci, ac Diei, non verò celebrantium, Sanctitati tribuendum eſſet.

Sed quamvis cæleſtis hæc flamma cereas olim faces corripuerit, præſertim ad confluentes Saracenos noſtrarum admiratione rerum percellendos; ceſſavit tamen a plu-

pluribus jam Seculis hujuſmodi Prodigium: ex quo ſcilicet Disjunctio a Romana Eccleſia cœpit per Orientem latè bacchari. Et nunc cachinnos, & ſibila barbarorum laceſſunt, qui, præſtolari ſe, fingunt, cælitus ignem; cum plurimi tamen animadvertant, a latente ſub Ara Miniſtro è ſilice excitari, qui depaſcens combuſti vini ſpiritum undequaque ſparſum, per proſerpentes canaliculos ipſis Cerearum facum capitibus admotus, ad illas accendendas convolare videtur. Sed è terra verius attollitur, quàm a Cælo delabatur hæc flamma, novo, ridendoque Portento; cum has nugas non emiſſitii tantùm oculi aſpiciant, ſed etiam, magna vi ſpirituum igneorum imbutæ, nares odorentur. Eò devenit inſaniæ obduratus animus extorquere volentium Schiſmati Cæleſtem plauſum, qui olim ibidem dabatur Catholicæ Religioni.

IV. *De viribus Excommunicationis in Oriente, & Occidente latæ.*

LAtæ, opinor, etiam a Schiſmaticis Præſulibus, imo & a minoribus Sacerdotibus, Excommunicationis vires celebrabunt, cujus fulmine icta Extinctorum corpora turpiter intumeſcant. Hoc de iis, quos a ſuo conſortio rejecerat Gennadius Catholicus, & Sanctitate inclytus, Patriarcha, narratum memini. Sed utcumque eodem ſupplicio plectere ſontes velint Schiſmatici Antiſtites, idque Divinitus conſequantur, non proinde ipſorum Antiſtitum, aut Schiſmatis hinc eruitur Sanctimonia.

198 Cenſuræ ſolùm Eccleſiaſticæ validè inflictæ robur aſſeritur: &, cujuſcumque demum, licet non illibatæ, Chriſtianæ Religionis metus, horrorque ſacer videntibus

Digitized by Google

bus Turcis afflatur. Expedit, quoſcumque demum, licet Erroribus infectos, potius quàm nullos, eſſe, qui ſibi creditas Oves in Chriſtiana Fide contineant: neque defluere ſinant ad pejorem Schiſmate Superſtitionem ſceleſtiſſimam Mahometis: quique Sacramenta conficiant, perque ſe, ac minores a ſe initiatos Sacerdotes, eadem adminiſtrent, ſalutem ſaltem frequenter allatura Schiſmaticis, quos dicimus Materiales.

Præſtat ergo, mirabili hac ſupplicii ſpecie venerationem Præſulibus conciliari. Ita & nos oculis identidem uſurpamus, in filios, etiam dum mortalem vitam degunt, irruere Maledicta Impiorum Parentum; cum tamen Pœnâ hìc interim ſæpe careat Proborum Patrum Proles, quia Maledictis ab eorumdem Optimorum Parentum imoderatione minimè impetitur.

199 Non, hæc idcirco dici, crediderit quiſpiam, quia nobis deſint horridæ Suppliciorum imagines, quæ Sacræ contemptoribus Excommunicationis fuerint irrogatæ. Suppetunt innumera, vel ab Hiſtoricis narrata, vel a plurimis viſa experimenta Pœnarum: exareſcentibus, aut fluminum irruptione obrutis campis: incenſis fulmine domibus, aut earumdem incolis: exturbatis impetu mirabili ab Eccleſia, aut nigreſcentibus, aut aliò delatis a Dæmonum Satellitio eorum cadaveribus, qui Sacra nequaquam exhorruerant Præſulum tela. Vel ad ipſas aves, ceteraque bruta animantia, vis illius, quæ in eadem ferri poteſt, Excommunicationis protenſa non ſemel narratur.

V. *Oſten-*

Digitized by Google

V. *Oſtenditur, nihil penitus lucrari Schiſmaticos, licet Excommunicatorum Cadavera ſemper apud ipſos intumeſcerent: quod tamen non ſemper contingere, multipliciter demonſtratur.*

Sed enim admiratione aliqui ſuſpenduntur, quod memoratum Supplicii genus ſemper in Oriente contingat? Ita ne verò? Et quis omnium, quos a ſua Epiſcopi, aliique, ut jactant, Sacerdotes, communione prohibuerunt, recenſuit nomina? Quis, niſi reſipuiſsent, poſt funus intumeſcentium rationem inivit?

200 Multò hæc potiori jure inficiari poſſemus, quàm ab iis, cum quibus amicè congredimur, noſtrorum Miracula in controverſiam revocentur; hæc enim non innumeri tantùm Scriptores poſteris tradunt; ſed ex ipſis plurima Teſtes habent Urbes, & Regna: plurimorum Examen, ſeveriſſimumque Iudicium inſtituitur: nec, niſi qui eadem oculis uſurpaverint, ſuam, omnis erroris, aut fraudis expertem, jurejurando fidem obſtringant, ſacras in tabulas referuntur. At ſuperius recenſita Portenta populari tantùm voce nituntur, quæ ab uno, vel altero Spectatore, uniuſque, vel alterius Experimenti, facillimè fundi potuit ad omnes, quique de omnibus, non abſimilis culpæ reis, idem Pœnæ genus affirment.

Sed, ut id gratis, & ultro demus, quod negantes nulla temeritatis nota perſtringeret, nihil hinc ab Aduerſariis efficitur; nam, quemadmodum regiones Hæreſi, aut Schiſmate infectæ, frequentius, quàm Catholicæ, a Præſtigiatoribus, aut Strygibus agitantur: ut aliqua ſaltem ſejunctorum a corpore Spirituum earum incolis feralis

imago obiiciatur: ita fieri Divino conſilio potuit, ut, ob cauſas ſupra indicatas, ſemper in oculos Schiſmaticorum incurreret vis illa efficax Sacræ Cenſuræ.

201 Iamverò nimiæ,qua uſi,omnia concedendo,ſumus, liberalitatis pertæſi, quærimus ab hujuſce Portenti Præconibus, an illud ſolùm contingat, quando Iure, ac opportunè, Sacrum Excommunicationis telum in ſontes ab Epiſcopis, & minoribus Presbyteris, intorquetur: an ſemper, & quotieſcumque, ac quomodolibet, Iure ſcilicet, an Injuriâ, illud vibrent, indignatione,aut exlegi alio animi motu correpti?

Si primam Dilemmatis partem ſolùm admittant: Non ergo ſemper hoc evenit, contra id, quod vulgò circumfertur. Sique ad Injuſtam expulſionis a conſuetudine piorum hominum Cauſam recurrant, ludos agunt, dum nobis imponere adoriuntur: ſemper id accidere, quando Æqua ſuppetit Cauſa. An enim cuilibet è Vulgo comperta ſunt omnia, quæ ſingulos eventus circumſtant, ut ſtatui certò, ac veluti Notorium, poſſit: Nunquam non ſequi Pęnam, quando Iuſta datur Cauſa illam infligendi?

Si confidentiores amplectantur alteram Dilemmatis partem, &, ſive Iure id fiat, ſive Injuriâ, Excommunicatorum Cadavera nunquam diſſolvi, ſed inſtar timpani extendi ſemper, affirment: Pernego, Divinitus hoc evenire, ſed ſubeſſe reor arcanas vaferrimi Dæmonis impoſturas; neque enim Mira Deus ipſe ſingulari modo operatur, ut Inſontes plectat, & Perverſorum Iudicum furori blandiatur.

Texere hujuſmodi oculorum ludibria, facillimum Tartaro eſt: nec leve pretium refert, ſi hac arte veneratio-

tionem

tionem conciliat Errorum Magiſtris, majorem illâ, quam promerentur Catholici Præſules, ab hac plerumque ſeveritate aborrentes.

Hoc ab Optimo Numine permitti Malo Genio poſſe, quiſpiam miratur? At quoties mora illi non obiicitur, *ne ſe transfiguret in Angelum lucis*? Ne frequentiſſimè medelam afferat quibuſdam morborum ſpeciebus, ſi ſuperſtitioſa Verba, & Signa adhibeantur, decreta ab illis, qui pro ſingulis eadem uſurpaturis pactum olim cum Tartaro iniverunt?

Non vetantur hæc a Sapientiſſimo rerum omnium Moderatore, ut ſpecimen ſumat humanæ conſtantiæ, vitam etiam ipſam aliquando recuſantis, ne medicas ſibi Hoſtis teterrimus manus admoveat. Ita, cum *oporteat Hæreſes*, adeoque etiam Schiſmata *eſſe, vt, & qui probati ſunt, manifeſti fiant*: hæc fortaſſe Monſtra, injuſtè innoxios aliquando plectentia, non vetat Deus, ut ſpecimen eorum ſumat, qui, ſpretis oculorum ludibriis, Veros animorum Paſtores conſectantur.

Ex his aliquis, Catholicus videlicet Præſul, vincula ſolvat eorum, quos iniquè Schiſmatici Antiſtites innodaverint. Eorum profectò Cadavera non intumeſcent.

Nimis fortaſſe in re, non immeritò contẽnenda, morati ſumus. Sed os penitus obſtruere decrevimus hoſtibus veritatis, ex hoc frequenti, ut dicunt, Portento mirificè attollentibus ſuorum Præſulum auctoritatem, non ſine ſcandalo Puſillorum, qui arbitrantur, nullum ſubeſſe Falſitatis venenum pabulo Doctrinæ, ab iis Paſtoribus exhibito, quorum Virga ſit adeo formidanda.

Sed eos enimverò *tentari non permittit Deus ſu-*

pra id, quod poſſunt; cum ex hoc ſuffragium nullum Schiſmati accedat, ut ex dictis apertiſſimè liquet: neque Miracula ulla indicaverint, placere Superis Indictionem miſeri Diſſidii, aut Sanctos, Deoque gratos fuiſſe, qui divulſi a Capite Unius Eccleſiæ fatum oppetivere.

SIGNUM XX.

Vetuſti Martyres in Romana Eccleſia.

Martyrum gloria Sanctitatem Romanę ſolùm Eccleſiæ, nunc etiam, confirmat. Veros inter, ac Falſos Martyres aperta Diſcrimina. Vetuſta Græciæ, Fidem Sanguine propugnantis, laus extincta penitus in Schiſmaticis. Quàm validè à Veris Martyribus aſſertæ illorum morte Religionis Veritas confirmetur.

202 PRæſtat, contrahere orationis vela, ne deſponſæ a ſcribentibus Compendium videamur obliti brevitatis. Divina virtus, mirabiliter incendens mortalium animos ad perferendos immanes pro Religione cruciatus, præclarum eſt Indicium Veræ Fidei, quam Heroes magnanimi obita fortiter morte propugnant.

Præſertim verò ſi hoc non unus tantùm, aut alter præſtet, ſed innumeri: neque ſtrenui ſolummodo Viri, ſed & imbelles Fœminæ, ac Pueri: nec in iis veſtigium ullum Superbiæ, aut obdurantis animum Ferociæ, ſit invenire; ſed potius contraria omnia Cæleſtis indolis argumenta. Profectò, licet Hæreſes etiam ſuos aliquando habuerint aſſeclas funeris contemptores; tamen ex Martyrum Copia, ex Ætate, Sexu, Suppliciorum generibus, &

mira-

mirabili in iis perferendis oſtenſa Hilaritate, patet Sanctitas, & Veritas Eccleſiæ, a Sanctis illius Propugnatoribus illuſtratæ.

Inſignes olim hac laude fuerunt Græci ante ortum ſacrilegæ Disjunctionis. Plurimos & nos quotannis colimus, in Oriente coronatos obitu triumphali. Per annos octo ſupra viginti perpetuas corporis lanienas paſſi, Ancyræ Epiſcopus Clemens, ejuſque Socius feliciſſimus Agatangelus, centies pro Chriſto interiiſſe videntur; licet ad ſtatuenda ubique terrarum, quò a lictoribus rapiebantur, Fidei Trophæa, ſæpiſſimè incolumitati Phœnices illi Martyrum fuerint mirabiliter redonati.

SIGNUM XXI.

Nulli ſunt Hoſtibus, innumeri nobis Martyres, etiam poſt exorta Schiſmata, & Hæreſes.

SEd poſt enatum Schiſma penitus exaruerunt Græcorum, illi adhærentium, palmæ.

203 Plurimos quidem Latini Ritus Sectatores, præſertim è Sacra D.Franciſci Familia, & ex Iuſtiniana nobiliſſima Stirpe adoleſcentes, confoſſos a Turcis legimus: neque deſunt Græcis etiam Sacris addicti, ſed Unum, idemque nobiſcum Unius Eccleſiæ Caput, Romanum Pontificem, obſequentiſſimè venerati, qui ſanguinem pro Catholica Religione profuderint. Plures ex his Veritatis Aſſertoribus Gregorianum Græcorum Collegium intulit Cælo.

204 Quas verò laureas præſeferunt, qui nefariò Schiſ-

Schiſmati nomen dederunt? Prodigioſum enimverò videtur, quod, cum per plura Secula Saraceni depopulati ſint Chriſtianum Orbem vergentem ad Orientem Solem: jamque quatuor, ac triginta ſupra Ducentos effluxerint anni, ex quo, capta Conſtantinopoli, plerique Græcorum gemunt ſub Turcarum Tyrannide: nequeant referre in Mænologium Myriades extinctorum pro Chriſti Fide. At nullum omnino retulerunt, ideoque Schiſmaticorum Cœtus penitus caret hac Teſſera Veræ Eccleſiæ, ſcilicet Martyrum copiâ.

205 At quàm præclara ex eorumdem Triumphis in Romanam Eccleſiam redundat gloria! Quàm inſigne Veritatis Teſtimonium eſt effuſi ab iiſdem ſanguinis uberrimus fluvius! Quàm manifeſta patet virtus Divina, quæ ſuam vegetat, & informat Eccleſiam, in attributa Magnanimis Fidei Athletis, ſuperante naturam, ſtrenuitate!

206 Neque verò vetuſta recolimus Secula, cum Græcia nobiſcum communiter Unum, eundemque Paſtorem Ovium Chriſti, Romanum Pontificem, venerabatur. Ultimam ſolùm, noſtram videlicet, & Parentum, ætatem intueamur, qua Schiſma latiſſimè, inſtar incendii depopulantis nemora, conflagravit. Quot in Indiis, quæ Orientem, quæque ſpectant Occidentem Solem: In Iaponia quot, & in Anglia, pro Vera Religione fortiſſimè occubuerunt? Noſtræ ſunt Myriades atteſtantium oblato capite Catholicam Veritatem.

207 Et quàm inaudita Suppliciorum genera, præſertim Iapones Tyranni, teneris etiam Virginibus, ac Pueris, intulerunt! Vel capite in foveam defoſſo, ſuſpenſo-

ſoque corpore perpetuam,ad Decem,ac plures aliquando dies,mortem protrahentes: vel procul accenſo,lentoque igne torrentes: vel ſulphureis, ipſoque igne crudelioribus, Ungeni montis aquis, vermium feraciſſimis, fatum per ſingula membra dividentes: vel arundineo, dentatoque cultro, quotidie recrudeſcentibus vulneribus admoto, collum poſt dierum plurium, & aliquando hebdomadarum tormentum,vix humanitati ferendum, tandem aliquando ſecantes.

208 Hos ne, qui maximum, quod præſtare mortales queant, ſui in Deum amoris argumentum exhibuerunt: qui Divinas inter immanes cruciatus perpetuò canebant laudes: qui Septennes identidem Pueri accenſis ſe carbonibus geſtientes lætitiâ coronabant:hos,inquam, quibus tantam ſui charitatem infudit Optimus,& Amantiſſimus Deus, verâ ſui ipſius, Legis ſuæ, ac viæ, qua coli a mortalibus voluit, ut Sempiternam Felicitatem aſſequantur, cognitione fraudaverit? Vix hæc in animum de ſæviſſimo Tyranno ſuſpicio poſſet incidere.

SIGNUM XXII.

Amoris Divini. Prodigia. D. Franciſci Stigmata.

Martyres Amoris Divini, ac prçcipuè S. Franciſci Stigmata, Sanctitati, Veritatique, Romanæ Fidei validiſſimè ſuffragantur.

209 QUi veram profuſo Sanguine Fidem teſtati ſunt, ulterius nos progredi vetant, niſi prius fortunæ ſuæ ſocios,Divini ſcilicet Amoris

ris Martyres expendamus. De Sanctitatis, & Doctrinæ conſortio, quo Romana illuſtratur Eccleſia, & quo penitus deſtituitur Schiſmaticorum Cœtus, ſermonem inſtituimus. Innumeros liceret nunc in arenam producere, quos Cęleſtis Amoris Portenta meritò dixeris, edoctos a Sapientia Sanctorum mirabiles artes torquendi ſe ipſos in gratiam Divinitatis: a qua, vinci neſcia, muneribus adeo prodigioſis ornati fuerunt, ut prima ipſa fronte præſetulerint Divinum, ex quo profluebant, ærarium.

Non hìc commemoro erogata Patrimonia, ſponte relictum Dominatum Urbium, & Provinciarum, contexta Cylicum ſetis induſia, ſulcata flagris membra, ſedatam herbis, & leguminibus famem, aquâ ſitim, carptum ab humi jacentibus breviſſimum ſomnum, ſaxa, niveſque cruentatas a nudis pedibus perpetuò quærentium per montes, & nemora, reſipiſcentium animorum prædam.

210 Levioris hi ſint milites armaturæ, ſi conſetantur ingenioſo, & inſonti ſui ipſius carnifici Henrico Suſoni, qui adhibito ſcalpro Sacroſanctum Ieſu Nomen profundis, & ipſum propemodum cor pervadentibus, characteribus, ſuo pectori inſcripſit: Franciſco Xaverio, qui retortos funiculos brachiis vi tanta infixit, & coxendicibus, ut ab extante carne penitus obruerentur: Petro Urracæ, qui ferream catenam collo, lateribus, totique per multiplices orbes corpori, tam validè inſeruit, ut vix ex ea quidquam, horridis vulneribus non tumulatum, extaret: Catharinæ Senenſi, quæ Spineam, Roſæ a Sancta Maria, quæ tribus ac triginta munitam introrſus acuminibus, argenteam Coronam frontibus impreſſerunt contentione tanta, ut virgineus ex iis ſanguis perpetuò ubertim deflueret.

211 Et

211 Et his quidem (ut interim diſſimulem cæleſtium voluptatum rivum, manantem ſupra ceterorum animum *ex impetu Fluminis, quod lętificat Civitatem Dei*) his, inquam, ſuo amore intabeſcentibus Virginibus adeo liberaliter ſe indulgebat amantiſſimus noſtræ Salutis Aſſertor, ut eas frequentiſſimè manifeſtus alloqueretur: ſuaſque eaſdem, datâ dexterâ, & anulo, Sponſas dixerit: Roſam ſui etiam lateris epotâ ambroſiâ, ſuis Catharinam, ignitæ lucis radiis transfixam, Vulneribus dignatus: quæ Vulnera Franciſco, amore Divino cum Seraphicis Spiritibus decertanti, clarius impreſſit, &, ut canit Eccleſia, *frigeſcente Mundo, ad inflammandum corda noſtra ſui amoris igne, in carne Beatiſſimi Franciſci Paſſionis ſuę Sacra Stigmata renovavit.*

212 Figmenta hæc eſſe plaudentium Fidei ſuæ, quiſpiam fortaſſe, mortalium effrontiſſimus, blaterabit? At cur hæc Figmenta pulcherrimis imaginibus mentem ullius a Romana Eccleſia divulſi nunquam exhilararunt?

213 An verò Figmenta dicet Miracula ſponte ſuſceptorum Cruciatuum, an Munera prodigioſis ſui ipſius tortoribus collata Divinitus? Si prima inficiatur: non contemnit unius, aut alterius hominis, ſed Populorum, & Urbium atteſtationem, quæ, poſt interitum Sanctiſſimorum Heroum, horrentia in eorum cadaveribus veſtigia vulnerum, ſeu verius Trophæa victoriæ, ſuſpexerunt. Si ſecunda negat: æquum eſſe non cenſet, ut par pari reponat grata Divinitas.

214 Et qua fronte, ut in hoc tantùm hæream, Franciſci Stigmata in dubium revocabit, quæ, præter ceteros, accuratè deſcribit, & pingit Bonaventura, vir Sanctiſſi-

mus, ac Sapientiſſimus: &, quamvis *Sacramentum Regis abſcondere* Franciſcus omni ſtudio conaretur, ab ipſis tamen, præter alios plurimos teſtes, Summis Pontificibus viſa fuiſſe, commemorat?

SIGNUM XXIII.

Incredibile Portentum eſſet, quod incenſi Amore Divino deſtituerentur vera Dei cognitione.

Demonſtratur, Sanctiſſimos Viros, & Romanam, in qua ipſi perpetuò florent, Eccleſiam, orbari non potuiſſe vera Dei cognitione, conferenda tandem eidem Eccleſiæ ab hominibus inquinatiſſimis.

HAs ergo Sponſas ſuas, hos miro ſui amore flagrantes, deſtituiſſe verâ ſuæ Fidei, Eccleſiæque notitiâ credetur Deus: eamque indulſiſſe ſceleſtiſſimis, Neſtorio, Iconomachis, Photio, Cerulario, Epheſio: Monſtris videlicet Arrogantiæ, Fraudis, Nequitiæ, Crudelitatis? Hos Cæli Nuncios extitiſſe, opinabitur quiſpiam?

216. Et, quoniam ii, quos in Deliciis Divino Numini fuiſſe indicavimus, Romanam, hoc eſt Vetuſtiſſimam Religionem profeſſi ſunt (ſtatuta jam in Superiori Libro Schiſmatis Novitate,) quis in animum inducet, a Chriſto Domino poſt eam Sponſionem: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem Seculi*: relictam fuiſſe demerſam Errorum abyſſo, ac cæno Superſtitionum, per tot Secula Eccleſiam, quò uſque ad lucem, & candorem eidem afferendum, gregem hujuſmodi hominum Tartarus eructaret?

Cui

Digitized by Google

Cui aliqua ſimilitudo Veritatis in re tam abſona apparet, is enimverò non ſolùm fulgore Divinæ Fidei, ſed & Naturæ ſenſu privatur; hæc enim ipſa nos docet, Veram ſui Cognitionem a Cæli, terræque Conditore inſuſam fuiſſe mentibus hominum, quorum corda ſui ipſius Amore inflammavit. Iamque ex frequentia etiam Sanctorum, quibus ornatur, animorum liquet de ipſius Romanæ Eccleſiæ Sanctitate.

SIGNUM XXIV.

Humana Felicitas Præmium Sanctitatis: Infortunia Pœna Improbitatis in Auctoribus Schiſmatis.

I. *Statuitur, quando nam Humana Felicitas, aut Infortunia, ſint Argumentum Amantis, vel Adverſæ Divinitatis; ideoque Religionis Veritatem indicent, aut Falſitatem coarguant.*

217 NOn ſemper hujuſce vitæ Infortunia ab Ultore Deo ſuis Hoſtibus infliguntur: donantur etiam non rarò Amicis in Experimentum, & Coronam Virtutis. Contra verò humana Felicitas, qua pii frequenter deſtituuntur, impiis vltro conceditur, vel in Prœmium moralis alicujus Honeſtatis: vel ad exaggerandum Sempiternum Supplicium iis, qui Divinis interea muneribus abutuntur. Ethnicis etiam Populis, Imperiiſque, affluxerunt Opes, Potētia, Gloria. Decuit hoc Æquiſſimi Iudicis Providentiam, ut conſtaret: poſt breviſſimos

hujuſce vitæ dies, ſupereſſe Sempiternum Ævum, quo Virtuti, vel Vitio, dilata interim, Prœmia retribuantur, aut Pœnæ. Ne præterea ipſi Virtuti, ſitæ in præferenda Honeſtate cuilibet humanę Utilitati, Fundamentum ſubtraheretur, oportuit, ſæpe a nullo ſperato mortali emolumento nos allici ad Honeſtum conſectandum.

Quamvis hæc ita ſe habeant: neque ſemper externa hujuſce vitæ Bona, vel Incommoda, ſint manifeſtum Divinę Dilectionis, aut Abominationis Indicium; plerumque tamen ea, quæ rerum eventus circumſtant, Amantem, aut Ultricem Divini Numinis Manum oſtendunt: videlicet, ſi vel Scelus ferè ſtatim ſequatur Pœna, immutatâ extemplò ex proſpera in infauſtam humanæ Tragediæ ſcænâ: vel ſi *per ea, per quæ quis peccat, per hæc & puniatur*: vel ſi Conſilium Divinitatis ex aliquo Cæleſti Viſo, aut Prædictione pandatur.

218 Ideo frequentius nihil occurrit in Oraculis Prophetarum, quàm irrogandorum in hac valle mortalitatis Suppliciorum minæ, quæ Iudæos a ſcelere continerent: quorum criminibus tribuuntur corripientes latè populum peſtilentiæ, hoſtiles incurſiones, captivitates: quæque nunc extrema illos opprimunt mala; Pœnam, Indiciumque eſſe Delicti omnium maximi, ſcilicet Mortis illatæ Corporato Deo, unanimi Sancti Latini, Græcique Patres voce conclamant. Divinitus in Apoſtatam Iulianum irruiſſe fatalis ictum haſtæ, fateri compellentis: *Galilæe, viciſti*: Divinitus extinctum Valentis Filium ob contemptum, vexatumque Magnum Baſilium: ipſumque Valentem, ob tutelam Arianæ hæreſis, Veræque inſectationem Eccleſiæ, Divinitus concrematum, fulmi-

Digitized by Google

ne incendente paſtorale tugurium, in quod ſe ex fuga receperat: ambigit nemo.

II. *Supplicia inflicta iis, qui Schiſma pepererunt, inſtaurarunt, aut Patrocinio foverunt, Nequitiam Sejuncti a Capite Cœtus, contrariam Veræ Eccleſiæ Sanctitati, dilucidè oſtendunt. Ac primò de Pœnis irrogatis Neſtorio, ac Photio: & Photii Fautoribus Bardæ, ac Michaeli Tertio: deque Felicitate Leonis Philoſophi, ultionem ſumentis de Photio.*

219 QUidni ergo Divinæ pariter Ultionis apertiſſima Signa patuiſſe, affirmemus in vermibus, corrodentibus Neſtorii, ſenium infeliciſſimum in exilio trahentis, linguam; quæ, inter ceteras blaſphemias, illam etiam de S. Spiritu procedente à ſolo Patre diſertè primus effuderat, poſt Magiſtrum ſuum Mopſueſtenum gloriæ ſtudioſiſſimum, & probris innumeris impetitum in Quinta Synodo?

220 Quis Ultricem Divini Numinis Manum in Photio non intuetur, perinde ac illius olim Digitos, ſuum in pariete ſcribentes exitium, Balthaſſar aſpexit? Superbiſſimus Eunuchus Patriarchatus ambitu flagrat: è Sacro illius ſolio Sanctum, Cæſareaque inclytum ſtirpe, deturbat Ignatium: præſtiti à ſe S. Nicolao Magno, coram Orbe univerſo, per Legationes, & enixas preces, Pontificiam Confirmationem flagitantes, oblitus obſequii, in illum, furori ſuo reluctantem, vecors invehitur, mirîſque artibus Ludovicum Occidentis Imperatorem adoritur, ut ſua

ſua Nicolaum extorrem agat è Sede. Quæ verò immanis nequitiæ prœmia conſequitur? Irriti ſunt Tartarei contra Apoſtolicum Thronum Photii conatus. Supplices ad illum iterum, ac ſæpius, literas dat, latæ in illum a ſe per ſummam inſaniam Excommunicationis rurſus oblitus: utque poſt Ignatii Martyrium non penitus inglorius redeat ad Sacram Præfecturam urbis Cæſareæ, laudem mendicat ab adulterata, non ſine audaciæ portento, Epiſtola Ioannis Romani Pontificis. At quoties ipſe aliorum abactor exulare compellitur? Quæ deteſtabile illius nomen probra proſcindunt? Quæ dedecora experiuntur illius Libri, auſi carpere Succeſſorem Petri? Enſe videlicet ab ipſis Imperatoris Legatis coram Pontifice Maximo trucidantur: proteruntur pedibus: Romæ, & Conſtantinopoli, coram Præſulum Cætu flammis traduntur. At quæ Superſtiti, ac Præſenti opprobria ingeſta ſunt in pallidum, ac livoris veneno virentem, vultum ab Octavo Univerſali Concilio? Stare juſſo ante ſedentes, quibus prius imminebat, Antiſtites: avulſo ex ejus manibus baculo a Marino Apoſtolicæ Sedis Legato: redacto in Laicorum Ordinem, qui Epiſcopum *OEcumenicum* ſtolidiſſimè ſeſe jactabat: damnato, & icto Excommunicationis fulmine, ante & poſt interitum, ab Octo Romanis Pontificibus, & a Synodo Generali: & claudenti demum in Cœnobii carcere dies ignoto funere; ſortitoque finem, non abſimilem fato Apollonii Thianæi, perinde ac inſtitutione vitæ vaferrimi illius Præſtigiatoris veſtigiis inſtiterat.

221 Quæ verò Patrocinium Photii ſuſcipientibus Cæſaribus merces data? Bardæ ſcilicet inflicta mors a Mi-

chae-

chaele Tertio, qui ante ab illius, in Imperii conſortium vocati, nutu pendebat: Michaeli, & quidem ebrietate ſopito, a Militibus Baſilii, cui pariter adſcito Collegæ inconſultus, & ferox iuvenis necem moliebatur.

222. Ipſum verò Baſilium, ejecto primùm Photio feliciſſimum, poſt illum deinde revocatum, licet Romanæ Sedi utcumque obſequentem, non levis Pœna ſequuta eſt, extincto ferè ſtatim majori natu, egregiæque indolis filio Conſtantino: tradito carceri, & vix non excæcato, altero filio Leone, patris deliciis, ab ipſo Patre irretito fraudibus Santabareni, Achatis Photii.

223. At perpetuus expulſor utriuſque Leo, poſt quinque præclari Regiminis luſtra, fratrem, ac filium, hæredes Imperii reliquit, famamque nominis immortalem, & egregium, fatidicumque Volumen, appellatus Cognomento Philoſophus, & ab omnibus habitus Sapientiſſimus Imperatorum.

III. *Vindicis Dei manus manifeſta in Cerulario, Balſamone, Ioanne Cantacuzeno, ac Marco Epheſio.*

224. NOn vacat ire per ſingulas, quæ extinctum Photiani Schiſmatis ignem Tartareæ Faces iterum excitarunt. At prævaricatio eſſet, quarumdam ex iis fata non conglobare. Concitata Seditione, dolis, omniumque conſpiratione artium, ac vitiorum, graſſatur ad Imperium Cerularius. Quid tum? Ab ipſo etiam Patriarchatu depulſus, exul occumbit, ac frendens.

225 Conſtantinopolitanum non aſſequitur Balſamon, ad illum audaciâ votorum, & calumniarum in La-

tinos

tinos velificatus: neque ex Antiocheno quidquam illi ſupereſt præter Nomenclaturam inanem.

226 Præceps agitur Ioannes Cantacuzenus, Gregorii Palamæ Defenſor, ab occupato per Tyrannidem Cæſareo nomine, recenſque Dionyſius, evocatis in Græciam Turcis infamis, procul ab illuſtrioribus Syracuſis, ut ille ad pueros edocendos, ita hic ad ſcribendam ſe confert rerum ſuarum Hiſtoriam, in qua non licuit eidem impunè mentiri; fabulis enim illam eſſe contextam, ut de rebus peruulgatis inquit Iuuenalis:

Vel pueri norunt, & qui nondum ære lavantur.

227 Dedecorator Epheſiarum Inſularum Marcus, auſus obſiſtere Latinorum omnium, & Græcorum Præſulum Sapientiæ, nil aliud mercatus fuit a ſcelere, quàm obduratæ vecordiæ, & palmaris, ac ſtolidæ, quia ſtatim deprehenſæ, in corrumpendis Patrum Operibus Impoſturæ famam: poſt evocata ſupra ſuorum caput Divina tela in amplificato Regno Turcarum, ac præparatum brevi ſequuturum Conſtantinopolitanum Excidium: incredibili pudore ſuffuſus, quia manifeſtiſſimè ſuperatus, & obmuteſcere in erudito certamine coactus a Coronenſi Epiſcopo: parta ab æſtu doloris, & furiarum, violentiſſima ſtatim febri correptus, impuram cum corporis fœcibus animam exhalavit, inſtar Arii: quo etiam infelicior ore ſordes evomuit, ut nequitiâ cum impio illo Hæreſis Auctore certaverat: ipſe etiam Divini Filij gloriam imminuens, cui ſi S. Spiritus Productio denegatur, eandem habere non creditur Eſſentiam, & Naturam cum Patre; hæc enim petit, ut quæcumque tribuuntur Patri, præter ipſum eſſe Patrem, (quale certè non eſt ipſa Productio

Spi-

Digitized by Google

Spiritus, qui non eſt Filius) ſint Patri, Filioque communia.

228 Niſi in his, quas retulimus, Pœnis, ferè ſtatim, & in eodem delicti genere inflictis, & ſæpe Divinitus prænunciatis, patet iniquitas Miſeri Schiſmatis, contraria Veræ Eccleſiæ Sanctitati, nullum mortalibus ſupereſt Argumentum, quo Divinam in nos Indignationem, aut Amorem liceat conjectare.

SIGNUM XXV.

Supplicia generatim illata Schiſmaticis.

I. *Mira generatim Converſio Priſcæ Græcorum Fortunæ: progreſſus Turcarum in Oriente: Ab illis occupata Conſtantinopolis: ac præſens Grçciæ Calamitas, Nequitiam Schiſmatis, repugnantem Sanctitati Veræ Eccleſiæ, manifeſtiſſimè inclamant. Ac primò innuitur Antiquæ Grçciæ Gloria.*

229 EXarandum eſſet Volumen, ſi deſponſa in Capitis Titulo Fides expenſis omnibus notatu dignis, abunde ſolvenda eſſet. Quædam ſolummodò delibemus, permixto lacrymis atramento.

Quæ priſcæ fuit Græciæ gloria, ſive congeſta in illam ab Auctore Naturæ, ſive ab eodem Largitore Gratiæ, dona intueamur? Quæ regionis ubertas! Qui terræ riſus, ac maris, innumeris, & pulcherrimis Inſulis bacchati! Quæ aeris, Cælique temperies! Quod ab illo mentibus infuſum acumen Ingenii! Quis Rerumpublicarum ſplendor, ac fuſi ab Alexandro per magnam Orbis terræ par-

tem Imperii! Armorum quæ fulgura, quæ Literarum; cum vel omnes exortæ in Græcia fuerint Diſciplinæ, vel in ea ſaltem adultæ, & ipſa certè dederit populorum omnium admirationi omnium Principes Doctrinarum!

Quæ verò gens diligentius exculta ab Apoſtolorum Principibus, Petro, Ioanne, Andrea, quique ad eam ferè omnes dedit cæleſtes Literas, Paulo? Qui Religionis Magiſtri exinde in Græcia floruerunt? Ut latius per Chriſtianam Fidem, quàm per Temporalem olim, ſaltem Diuturnam, Dominationem propagata eſt Græci nominis gloria, obtemperantibus Provinciis innumeris Græcæ Linguæ, ac Ritus, Patriarchis! Vix tradita Eccleſiæ Pace a Religioſiſſimo Conſtantino, relicto Veteri Romæ Sacro Principatu, Prophanum ad Græcos migravit Imperium. Et quæ littora, qui colles, quibus videlicet pulchrius nihil hæc habet Univerſitas rerum, ſelecti ſunt ad Novam Græcis Romam excitandam?

II. *Major Pœna ſequuta fuit Schiſma, quàm ipſas Vetuſtas Hæreſes.*

VIgent ibi per plura Secula Cæſares, quàm quibus Romæ imperauerant: & utcumque ſæpe fouerint Hæreſes, non tamen ſupremo Excidio delentur: Abares tantùm, Saraceni, Perſæ, pluries Chriſtianum Orbem depopulantur.

230 Erigere frontem incipiunt Conſtantinopolitani Præſules, ut ſuperiori Libro narravimus, & eorum ſæpe ambitum tuentur Orientis Imperatores, ſæpe compeſcunt. Iuxta menſuram criminis, & reſipiſcentiæ, Saraceni invaleſcunt, ac Turcæ.

Poſt

Digitized by Google

231 Poſt ejuratam verò, quam, ſolenni præſtito in Lugdunenſi Concilio Apoſtolicæ Sedi obſequio, & Conſtantinopoli confirmato,dederant fidem,paulò poſt ipſius Græciæ viſcera Turcæ invadunt: & occupata Bulgaria, Adrianopoli,Gallipoli, eidem imminent urbi Cæſareæ.

232 Mox illam arctiſſima obſidione cingentem Bajazetem ab incæpto avocat, & debellat Tamerlanes, non ſine manifeſtiſſimi Numinis ope, collata religioni Emmanuelis Palæologi Romano Pontifici obſequentiſſimi.

III. *Prodigia, & Cęleſtes Pręſenſiones, quę Cęſareę urbis everſionem circumſtant.*

233 REbellant iterum poſt Sacroſanctam Synodum Florentinam Græcorum plerique, nec illorum contumaciam ulterius ferre decernit Deus. Perinde ac dilecto quondam Populo minora pro reliquis criminibus ſupplicia irrogavit, illatam verò Chriſto Domino Mortem ultus fuit reorum Exterminio: ita ultimo Superbæ Urbis, Imperiique Excidio de iniuriis inflictis ejuſdem Chriſti Vicario ultionem ſumere fuit aggreſſus; cum levior fuiſſet Divina in ceteras Græcorum labes animadverſio.

Dementati a Tartari Emiſſario Marco Epheſio, ab icto Florentiæ fœdere plerique reſiliunt. Hauſtâ inſanâ ab Amurathis morte fiduciâ, laborantem eos in Catholica Fide continere,Patriarcham abigunt: Propheticas contemnunt Nicolai Quinti Pontificis Maximi Literas Imperatori prænunciantes: *tres tantùm supereſſe annos, intra quos niſi ad Maternum Romanę Sinum Eccleſię ſeſe*

reciperent, occupanda eſſet a barbaris Sedes Orientalis Imperii: perinde ac S. Birgittę diſertè dixerat Chriſtus Dominus, vitari Barbarorum jugum a Græcis non poſſe, niſi conſtanter, ac perfectè, Romanæ ſeſe Eccleſiæ conſociarent: ut habetur ejus Revelationum lib. 7. cap. 9.

234 Suas ipſi catenas moliuntur incredibili portento excæcatæ penitus mentis, cum ſuppetias ultro ferant Turcis, Arce munitiſſima claudentibus Helleſponti fauces.

235 Defoſſo incubant auro, quo frequentiſſimos ad Vexilla vocare milites potuiſſent: quodque ſibi conſervatum cũ a Principe quodam viro, victoriâ jam potitus, Mahometes Secundus audiviſſet: *At erogandum id*, inquit, *erat, ut me Chriſtiani abſiſtere a conſilio cogeretis: quod quia minimè prœſtitiſtis, veſtrum profecto a vobis Numen immanis alicujus facinoris exigit Pœnas, quos omni conſilio, & oculis ipſis orbavit*.

236 Quibus porrò Divini furoris alis hic ipſe Mahometes nocte una immenſas naves egit in montes, iiſque Portum occludens omnem undique obſeſſis eripuit fiduciam ſalutis, & fugæ? Quod fulmen celeritate, ac impetu cum eodem Mahomete conferri poteſt, Urbes innumeras, Provincias Viginti, Imperia duo, Trapezuntinum, & Conſtantinopolitanum, intra tempus breviſſimum, devaſtante? Et Fulmen profecto erat, ab ultore Numine intortum in populos, quos, Chriſtianorum Patrem exoſos, barbaris æquiſſimè tradidit Canibus diſcerpendos.

237 Ne verò quiſpiam, ſumptas fuiſſe de Schiſmate

te pœnas, ambigeret, intrà Tertium Annum iuxta Propheticum Nicolai Pontificis Oraculum occupata a Turcis Conſtantinopolis immenſi fluvio ſanguinis inundavit: 238 *Et quidem ſolennibus Divino Spiritui conſecratis diebus*, quem etiam a Filio procedere inficiati, Romanum Pontificem excidiſſe a Suprema omnium Chriſti ovium Præfectura, ob permiſſam inſeri Nicæno Symbolo Particulam *Filioque*, toties reverſi ad vomitum, blaſphemabant.

239 At quæ præſentis Græciæ facies, ſi vetuſtæ illius gloriæ compareturˏ ſi Opibus, Imperio, Sapientiæ, Sanctitati? Incaſſum in re manifeſtiſſima deploranda immoramur. Qui dotibus his Chriſtianus olim Oriens cum Occidente certabat, eas perpetuò deſperet, niſi, nequitiâ Schiſmatis ejuratâ conſtanter amplectatur Unius, ejuſdemque, ſub Unico Paſtore Romano Pontifice, Fidei, Eccleſiæque Sanctitatem.

SIGNUM XXVI.

Nullum in Hoſtibus Extimum Signum Intimæ Sanctitatis.

I. *Anacephaleoſis, qua ſtatuimus, ex nullo ſenſibus quodammodo obiectę Sanctitatis Indicio argui poſſe, Cœtum Schiſmaticorum, (adeoque fortius Hęreticorum, aut quamcumque Sectam profitentium) florere Sanctitate Verę Religionis.*

240 EX quonam Fonte Cœtui ſuo Sanctitatem affundunt Schiſmatici? An ex Auctoribus, aut Propagatoribus Opinionum, quibus mordicus adhæſerunt?

runt? An ex primis miſeri Schiſmatis Vexilliferis, aut exortis in dies ejuſdem jam extincti recentibus Incentoribus? At primus, qui diſertè negaverit, manare a Filio Divinum Spiritum, Neſtorius fuit Hæreſiarcha nequiſſimus. At ejus Tartaream Prolem, Errorem videlicet hunc, Sacris Literis, omniumque Sanctorum Patrum Interpretationi repugnantem, Iconomachi Hæreticorum crudeliſſimi aluerunt, ac roborarunt. At primam Schiſmatis Tubam inflavit Photius, Arrogantiæ, Nequitiæ, Fraudis Portentum, & Carnifex Ignatii Sanctiſſimi Martyris. At præcipui ſopitæ flammæ Suſcitatores fuerunt, affectator Imperii, & Seditionum Fax, Cerularius: Calumniator Balſamon: & Marcus Epheſius, Arius alter.

An ex ipſius, quam profitentur, Sanctitate Doctrinæ? At ſanctius nihil ab ipſis, quàm a Vera Chriſti Eccleſia, ideſt Romana, doceri: quinimo abſona plurima, nexu conjuncta nullo, omnique veritatis colore deſtituta, ab iis effutiri, manifeſtis argumentis evicimus.

An ex Cauſis, Modo, & Adjumentis, quibus erexerunt Separationis Vexillum? At hæc humanam ſolummodo, imo Infernam, non Cæleſtem indolem, ſpirant: Superbia videlicet Patriarcharum Conſtantinopolis, ſemper altius eniti prægeſtientium: Secularis Photii Scientia: ipſius, aliorumque Impietatis Ducum Sophiſmata, ceteræque artes decipiendo populo aptiſſimæ: Præſtigiatorum, & Principum, favor: Arma, Furor, Vecordia: Odium in Latinos, quorum in Urbe regnare Hierarcham Eccleſiæ, ſuum dedecus videbatur Genti, nimis amanti quodcumque Sacri, & Prophani, decus Imperii.

An ex eorum copia, qui Schiſmatis Sectatores om-

omnium fuerint Virtutum complexione conſpicui, & Sanctorum faſtis adſcripti? At Gregorium ſolummodò Palamam, Hæreſis a Conſtantinopolitana quadam Synodo condemnatum, Triodio inſeruerunt.

An ex Conſortio Doctrinæ cum Sanctimonia? At hoc, olim in Græcia frequentiſſimum, & admirabile, poſt exortum Schiſma defecit penitus: ipſumque fuit Græcæ Sapientiæ lumen extinctum.

An ex Unctione Divini Spiritus, illuſtrante Schiſmaticorum Volumina? At nulla penitus perfunduntur illa legentium animi, non ad Divinum amorem, ſed ad Catholicorum odium a Calumniis, & Maledictis, excitati.

An ex creditis ſibi Sacroſanctis Chriſtianæ Fidei monumentis? At eadem, exoſa Rebellionem infauſtam, ad nos omnia convolarunt.

An ex Cæleſtibus Præſenſionibus exorituræ comprobante Numine Sejunctionis? At nullam excogitare valuit Gens, ceteroqui Inuentionum, & clariſſimorum Poetarum ferax.

An ex Prophetico Spiritu, qui, de aliis rebus vera frequenter vaticinari conſuetus, præſentem oſtendat in ſuorum animis Divinitatem? At nullum jactant hac inclytum Divina prærogativa.

An ex Miraculis, Veritatem Doctrinæ allatæ a Schiſmatis Præconibus, aut Sanctitatem ab adſpectabili Eccleſiæ Capite divulſorum, conteſtantibus? At nullum hujuſmodi Prodigium Schiſmatici Scriptores Hiſtoriarum comminiſcuntur.

An ex profuſo a plurimis ad ſuam Fidem aſſerendam

dam magnanimo ſanguine? At ne paucos quidem Sacros hujuſmodi Heroas proponunt venerationi populorum.

An ex Cæleſti quodammodo Plauſu, dato a ſuperis inito a Schiſmatis Coriphæis conſilio rebellandi? At manifeſta, quæ in illos hìc etiam irruit Ultio Divina: quæque clades, paulatim attritum, tandem penitus Imperium Orientis, Urbemque Cæſaream, everterunt: & quæ nunc, præclariſſimam olim, Gentem opprimunt Infortunia: enimverò non Plauſus videntur, ſed Sibila, & Execrationes, quibus Cæleſte Theatrum inſultat iniquiſſimæ a Romano Pontifice Seceſſioni.

II. *Infertur, ineptiſſimè ſibi ab Eccleſię Romanę Hoſtibus vindicari Sanctitatem Chriſti, ejus Fidei, Legis, & Sacramentorum.*

241 QUid ergo Schiſmaticis ſupereſt, ex quo Sancti nomen ſuo vindicent ſodalitio? Chriſti, opinor, Eccleſiæ Capitis, ipſius Fidei, Legis, & Sacramentorum Sanctitatem in medium producent. Non inficior, principes has eſſe cauſas, ob quas Eccleſia Vera dicitur Sancta. Sed hæ ſubiectæ ſenſibus minimè ſunt: & in præſentia venamur Signa, ex quibus, in ipſos propemodum oculos incurrentibus, prudentiſſimam de ipſius occulta Eccleſiæ Sanctimonia, orta ex Divino Auctore, Lege, Fide, & Sacramentis profectò Sanctiſſimis, ſententiam ferre poſſimus.

Hæc proſtantia Signa non deſunt, ob quæ Vera Eccleſia palam expoſita omnibus dicitur, & *Monti*, *Urbique in Montis vertice conſtitutę*, ideoque omnibus adſpectabili, comparatur. Neque deeſſe queunt manifeſtiſſima

hæc, Veram indicantia Eccleſiam, Argumenta, ut ſub hujus initium Operis aperta ratiocinatione confecimus.

Has inter Notas omnibus obvias ipſius Eccleſiæ Sanctitas recenſetur: nec alia profectò, quàm quæ aliqualiter ſub ſenſus hominum cadat; alia enim Occulta unum eſt ex Arcanis Fide Divina credendis; non autem Via: utque illam Theologi appellant, *Preambulum* ad ipſam Fidem.

242 Lutherani etiam, Calviniani, ceteriſque Sectis incubantes, quas ipſi nobiſcum Schiſmatici abominantur, everſi omni ſpe ſuis Cœtibus adſtruendi ſubjectam oculis Sanctitatem, confugiunt ad latentem Chriſti, ejuſque Legis, ac Fontium, quibus a ſuo latere profluentibus Eccleſiam irrigavit. At hi miſerè decepti, & mortalium Imprudentiſſimi a Schiſmaticis meritò cenſentur, quia ineptè lenocinantur ſibi: ab Eccleſiæ ſinu ſe contineri, Interna illa Sanctitate perfuſæ; cum interea nullus Extimus Occultæ Sanctimoniæ Sanctus Index illos exornet. Id ipſum ergo reponimus, Externo quovis Sanctitatis colore deſtitutis, iniqui Schiſmatis Sectatoribus: ac proinde ſine ullo Prudentiæ ductu ſibi blanditis, Sanctæ ſe, Veræque Eccleſiæ gremio foveri.

At nos, qui tam præclaro, & omnigeno viſæ palam Sanctimoniæ fulgore circumfundimur, Prudentiſſimos nos eſſe, certò ſcimus, dum ex Divina Revelatione erigimur ad credendam Latentem Romanæ Eccleſiæ Sanctitatem.

243 Ut paucis omnia complectar: Neceſſaria eſt adſpectabilis Sanctitas, quæ ſit Index ejuſdem exemptæ oculis; cæteroqui enim omnes, vel turpiſſimæ, Hæreſes

Sanctam ſibi Eccleſiam non ineptè vindicarent. Validiſſimo, ideoque cui prudenter innitamur, illi ſolùm Fundamento hærent, qui Occultam adeſſe ſibi Sanctitatem conficiunt ex ea, quæ Morali Evidentia in aures, & oculos incurrit. Hanc obiectam ſenſibus noſtram ſolummodo eſſe, Libro integro demonſtravimus. Nos ergo tantùm prudenter credimus, Sanctæ nos Eccleſiæ filios eſſe.

(∴)

LIBER TERTIUS

De Signis oſtendentibus, Eccleſiam ſolùm Romanam eſſe Catholicam, ideoque Veram, præcipuè impugnantibus Schiſmaticos, & Hæreticos; cum tamen quædam militent etiam contra omne genus Hoſtium Romanæ Fidei.

Oſtenditur, quo pacto ſubjiciantur oculis plurima ex jam allatis, & mox afferendis Veræ Fidei Signis: aut ipſis oculis ſubjecta cenſeri debeant.

244 SENSIBUS ipſis objecta diximus Veræ Fidei, Eccleſiæque Signa, quæ in medium afferimus, quia ex ipſis quædam oculis intuemur, ut identidem Miracula: fractas manifeſti in corporibus Dæmonis vires: & impleta, contra omnem humanæ ratiocinationis fiduciam, Prophetica dicta Sanctorum.

Oculis etiam ſubjici, & manibus propemodum contrectari videntur, quæ magna vis, nihil inter ſe diſſidentium, Hiſtoricorum refert, non uno, aut altero, ſed innumeris allatis experimentis Virtutis Divinæ: quæ oculati, nullamque exceptionem meriti Teſtes jurejurando confirmarunt coram Præſulibus integerrimis: quæque perſpicacia, & ſeveritate tanta in Sacra Congregatione

Rituum expenduntur, ut multò minor adhibeatur pro controverſis Hæreditatibus,ipſiſque Regnis huic, vel illi homini adjudicandis, ac ſtatuenda flagrantium infamiâ criminum morte..

245 Idcirco ea omnia Veræ Fidei Signa inficiari, non minoris Inſaniæ eſt, quàm ſi quis, conſtantiſſimæ Generis Humani Conteſtationi reluctatus, diffiteretur, extitiſſe Iulium Cæſarem,aut exiſtere Conſtantinopolim. Contra verò ſicut ex complexione tot Hiſtoricorum, ac Teſtium, adeo manifeſtè, ac Morali, ut Philoſophi dicunt, Evidentia liquet,actam ab Heroe illo ætatem fuiſſe: ac ſuperſtitem, ſaltem evoluto proximè anno, ampliſſimam illam Urbem latè imperaſſe, ut qui neque Cæſarem, neque Thracium unquam littus oculis uſurparunt, perinde tamen ſe habere prudentiſſimè arbitrentur, ac ſi Dictatorem illum Romanæ Reipublicæ,urbemque Conſtantini coram intuerentur: ita ſummâ Prudentiâ freti ſtatuimus, comperta nobis eſſe, veluti ſi fidelibus oculis ſubjicerentur, ea, quæ retulimus, quæque mox afferemus, Indicia manifeſtiſſima Veritatis..

Ut Perſpicuitas iiſdem maior accedat, ſingillatim, plurima ejuſdem generis Argumenta curſim indicabimus, cum dicendarum rerum copia nos mirificè locupletet: nec ſine exaggerata Dementia negari poſſint omnes, quarum ſingulæ per ſe aliquando ſufficient ad Verum demonſtrandú;omnes verò cum acciderunt;notiſſimæ Orbi Chriſtiano fuere; & a Scriptoribus proinde candidiſſimæ Fidei, ipsâque per tot Secula Parentum Traditione, contradicente nullo, Filiis, ac Nepotibus traditæ: quæ poſtquam Præſcriptione validiſſima roboratæ jam erant, ab

ex-

excæcato Rebellium quorundam Livore per ſummam injuriam, ſed irrito apud cordatos viros conatu, cæperunt in dubium revocari.

SIGNUM I.

Ipſum Catholicæ Nomen Soli Romanæ Eccleſiæ conveniens, etiam ex Hoſtium Confeſſione.

I. *Manifeſtiſſimum, & omnium Experientiâ comprobatum Signum, eſt ipſum* Catholicæ *Nomen Soli Romanæ Eccl.ſiæ perpetuò tributum, non ſolùm a Sapientibus, ſed & a Vulgo, atque ab ipſis Hoſtibus. Ex quo infertur, Re ipſa eandem Catholicam eſſe, ac Veram. Ac primò innuitur Nominum Vis: Catholicæ Appellationis Initium, ejuſque Cauſa.*

246 HÆc, quæ alibi etiam innuimus, non incaſſum de ceteris jam allatis, ac mox afferendis Veræ Signis Eccleſiæ uberius in præſentia præfati, ab uno nunc exordimur, cujus vires ſuum unicuique Experimentum, vel invito, & fruſtra repugnanti, neceſſariò ſuadebit. Deinde ſcilicet oſtenſuri, Catholicam Re ipſa, ideoque Veram, Chriſti Eccleſiam non eſſe aliam, quàm Romanam; hoc ipſum interim eruimus ex ipſo Catholicæ Nomine, quod uni Romanæ perpetuò tributum fuiſſe, ac nunc etiam tribui, evincimus ex ipſa omnium animis impreſſa perſuaſione, quam idem Vulgus, & Adverſarii omnes experiuntur.

Magna vis ineſt Nominibus, exceptis a Communi Sen-

Senſu mortalium, & ab iis evincitur, quænam de ſubiecta illis Re, ſit Hominum, ac Naturæ Sententia. Catholicam primò Veram Eccleſiam dixerunt Apoſtoli in condito ab ipſis Symbolo Sacroſancto: in ſuo dixit Nicæna Synodus: confirmavit Magnus Athanaſius in præclariſſima, quam ſcripſit, Fidei Confeſſione: &, cujus præcipuè ſequimur ductum Veræ Eccleſiæ Signa indagantes, Conſtantinopolitanum Concilium, Unam eam eſſe, ſtatuit, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam.

Cum, qui Divinam Chriſti Domini Fidem amplectebantur, Chriſtiani primò Antiochiæ inceperint appellari, exortis mox Hæreticis, Chriſti pariter Nomen jactantibus, invaluit Catholici Cognomentum, quod ſinceræ tantùm Chriſti Religionis cultoribus meritò adhæſit. *Chriſtianus mihi nomen eſt*, inquit Pacianus Epiſt. 2. *Catholicus verò Cognomen: illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc probor, inde ſignificor.*

II. *Idem eſt, Chriſtianum dici, non verò Catholicum: ac eſſe Schiſmaticum, aut Hæreticum. Qui ſe Catholicos appellare non audent, nos etiam hoc Nomine fraudare nituntur: ut olim præſtabant Ariani, ſed irrito conatu.*

247 MAnifeſtiſſima ratiocinatione conficiunt Athanaſius, Chryſoſtomus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Hilarius, Cyprianus, Optatus, Iuſtinus, Hieronymus, Auguſtinus, Hæreticos, aut Schiſmaticos eſſe illos, qui, Chriſtiani cum ſint, Catholici tamen nequaquam cenſentur.

Hu-

Hujuſce teli, eorum oculis infigendi, horrore perculſi hoſtes Catholicæ Fidei, cum uſurpare ipſi non audeant Cognomen hoc præclariſſimum, illud etiam nobis invident: ac *Latinos* propterea nos identidem dicunt, *Romanos*, aut cum Lutheri, & Calvini fæce, *Papiſtas*; *Catholicos* autem dicere perhorreſcunt. Se porrò Catholicos compellare formidantes, ne ab Orbe terrarum irrideantur, *Græcos* plerumque ſe dicunt, aut *Orientis Fidem ſequutos*, & ab Occidentis Patriarcha ſejunctos.

O Propheticam Gregorij Theologi præſenſionem; qui, orta a Diviſione terrarum, & marium, ingratiſſima ſuis auribus accidere affirmabat nomina *Orientalis*, & *Occidentalis Eccleſiæ*; cum Una tantùm Vera, quia Catholica eſſe queat: neque illius Unitati, & Univerſalitati, quidquam obſtent Rituum Diſcrimina.

Hoc interim Livoris Artificium, quo Schiſmatici, & Recentiores Hæretici fraudare nos nituntur Catholicô Nomine, vetus eſt, & ab Arianis inventum, qui veros Chriſti cultores non *Catholicos*, ſed *Homouſianos* dicere conſueverunt, Dementiæ ab Auguſtino idcirco culpati: *Ecce*, inquit, *qui nos quaſi maculâ noui nominis, vocant Homouſianos, nec ſeipſos, cum iſta ſentiunt, intuentur inſanos.* At, perinde ac nihil hoc profuit profligatæ veterum Hæreticorum cauſæ, ita nihil conducit recentibus hoſtibus Catholicæ Fidei. Ipſa ſe prodit, & ultro eminet, atque extat, ab Arte nequidquam compreſſa, Natura.

III. *Ve-*

III. *Veritatis Confeſſio, expreſſa a Sapientibus, a Vulgo, & ab ipſa Nequitia Adverſariorum, nos Catholicos nuncupantium, vel Inconſultò, vel Urbanitatis, aut Neceſſitatis Causâ.*

248 NOn Sapientes tantùm viri, qui vim Catholici Nominis aſſequuntur, Romanam, quam Univerſalem, ac per Univerſum Orbem, perque omnia floruiſſe Secula, & nunc per Multiplices, Variaſque Gentes latiſſimè diffuſam noverunt, Catholicam dicere compelluntur; 249 Sed Vulgus ipſum, quod communem Sapientum in uſu Vocabulorum, etiam quorum vim minimè penetrat, morem conſectatur; 250 Imo & ipſi Hoſtes, ceteroqui non hebetes: quique cum animum advertunt, aut neceſſitate non adiguntur, cavent ab hoc nobis Nomine tribuendo; interdum tamen id ipſum vel oſcitantes inconſultò proferunt, vel Urbanitatis gratiâ nobis id negare non audent, vel eo neceſſariò utuntur, ſi ab Auditoribus velint intelligi.

Præclarè Auguſtinus contra Epiſtolam Fundamenti ita Romanæ illuſtre hoc vindicat Nomen Eccleſiæ. *Ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas Hæreſes ſic illa Eccleſia ſola obtinet, ut, cum omnes Hæretici Catholici dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel domum, audeat oſtendere*. Et libro de vera, ac falſa Religione cap. 7. *Tenenda eſt*, inquit, *nobis Chriſtiana Religio, & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolùm a ſuis, ſed etiam ab omnibus inimicis.*

cis. Velint enim, nolintve, ipſi quoque Hęretici, & Schiſmatum Alumni, quando non cum ſuis, ſed cum externis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant; non enim poſſunt intelligi, niſi eam hoc Nomine diſcernant, quò ab Univerſo Orbe nuncupatur.

V. *Inſania ſe, noſque Catholicos dicentium, cum tamen in Fide diſcrepemus, oſtendit, nos a Poſſeſſione Catholici Nominis dejici non poſſe.*

251 RIſu porrò dignum videretur, quod frequentiſſimum eſt in Recentium Hæreticorum Nomenclatura; niſi potius eorum infortunium lacrymas provocaret: cum, erubeſcentes dirigere, ut eſt in Adagio, brachia contra torrentem, *Romanos Catholicos* nos dicunt; ſe verò *Catholicos Anglos, aut Hollandos* (cum pudore ſuffundantur a ſuis ſe Magiſtris, Luthero, & Calvino, ipſo Hæreſim Nomine præſeferentibus, appellare,) licet repugnantem Noſtræ Fidem ſequantur: perinde ac ſi Geminæ poſſent eſſe Catholicæ Eccleſiæ.

Neque deſunt è Schiſmate, qui nos cum Lutheranis, aliiſque, ſibi etiam execratis, Hæreticis conferentes, ſe, noſque Catholicos nuncupant; licet in præſtanda quibuſdam definitis Articulis Fide nobis adverſentur; ideoque Catholicam Eccleſiam ſtolidè ſcindant in Duas.

VI. *Pugnę ipſorum Hoſtium inter ſe nobis multipliciter adjudicant Catholicum Nomen.*

252 SEd ut omne iis effugium præcludatur, ipſos inter ſe hoſtes committamus: &, quam communiter, de Iure nobis, aut ipſis adſcribente Catholici

Digitized by Google

Nomen, Sententiam feret Hoſtile Tribunal, æquo animo amplecti, non detrectemus. Quis Lutheri de grege Catholicos unquam dixit, Oſcitantiæ, Urbanitatis, aut Neceſſitatis gratiâ, Græcos a Pontifice Romano ſejunctos: quo pacto hiſce de cauſis Catholicos ſæpe dicit eidem Adſpectabili Conjunctos Eccleſiæ Capiti? Quis Calvini aſſecla hoc illos præ nobis honore afficit? Profectò nullus. Quamvis enim omni contentione curarum, & profuſi auri ſategerint Calviniani, Schiſmaticos in Sententiam ſuam, ideſt in omnium Hæreſum ſentinam allicere; tamen eos eſſe Catholicos, utcumque ſibi in Errorum fonte, ſcilicet Romani Antiſtitis odio, faventes, nunquam in animum induxerunt. At multò minus ipſi Schiſmatici Lutheranos, aut Calvinianos unquam dixere Catholicos, qua nos non rarò nuncupatione dignantur.

253 Enimverò cum aliquam certè, Unamque tantùm, Catholicam eſſe Eccleſiam, neceſſe ſit: atque hanc eſſe noſtram, Sectæ omnes identidem fateantur: nos ex præclari Poſſeſſione Cognominis nunquam depellent, niſi prius ipſæ in Unam omnes conſpirent, ac ſuam, ſeriò, & conſtanter, illam eſſe, confirment, quam Chriſtus inſtituit, & de qua Apoſtoli, Athanaſius, ac Nicænum, & Conſtantinopolitanum Concilium, decernendo, *credendum eſſe Eccleſię Catholicę*, ſermonem inſtituerunt. Hoc autem tunc ſolùm continget, quando, pulſis loco Cælitibus, eorum Sedes occupaverint Inferorum incolæ, videlicet nunquam.

254 Aut ſi convenire nequeunt, ſtatuant ſaltem, quænam ex ipſis Catholicæ Nomine ſit decoranda. Hoc autem omnes vindicabunt ſibi; eodem enim omnes, ſci-

licet

licet Nullo, Iure nituntur; cum omnes Novæ ſint, ideoque Tyrannicè orbare nos illuſtri Cognomento adoriantur, quo ante natas Hæreſes,ac Schiſmata potiebamur.

Sed enim ea vis eſt Præſcriptionis inveteratæ,ut vel a Nolentibus, ipſiſque Hoſtibus, Confeſſionem Dominii non raró extorqueat: quod Eccleſiæ Romanæ manifeſtis argumentis aſſeruimus.

SIGNUM II.

Romana, Catholica eſt ipsâ Re, quia credit omnes definitas Veritates.

I. *Triplex explicatur Significatio Catholici Nominis, Rem ipſam oſtendens, ſcilicet Univerſalitatem Catholicę Eccleſię quoad Objectum, Loca, Tempora. Ac primò agitur de ipſa generatim Univerſalitate: deque eadem quoad Objectum, ſcilicet de Cœtu credentium omnes Articulos definitos.*

EXpenſa vi Nominis,Rem ipſam explorare aggrediamur;Catholicã ſcilicet re ipſa eſſe Romanam oſtendamus, ex quo eandem Veram pariter Eccleſiam eſſe,manifeſtiſſimè liquet: ex eorum ſaltem confeſſione, qui aliquam Nicæno, & Conſtantinopolitano, imo ipſi Apoſtolico,Symbolo adhibent Fidem. Idcirco ex hoc ferè ſolùm Argumentorum Fonte,mirabili rerum potius,quàm verborum facundia, in Libro de Unitate Eccleſiæ, hoſtes veritatis obruit D. Auguſtinus, ſapientiſſimis cujus veſtigiis inſiſtimus hujuſmodi Theologicæ ratiocinationis Locum excolentes.

Idem porrò Latinè ſonat ex Græci nominis Interpretatione *Catholicum*, ac *Totale*, *Integrum*, *Univerſale*. Ut autem eadem eſt Catholica, quæ Univerſalis Eccleſia: ita ejuſdem Filii Catholici dicuntur, qui *in hoc*, atque *ex hoc* Toto ſunt: qui ſcilicet Totalem ipſam, Integram, & Univerſalem Eccleſiam conſtituunt, veluti Membra ejuſdem vitam trahentia, quia reliquo Corpori adhærent. Hæc certè a Corporè petita ſimilitudo a Sacris frequenter Literis, a Sanctis frequentiſſimè Patribus adhibetur. Secus verò Schiſmatici, & Hæretici, qui vitam in Totalis, Integræ, Univerſaliſque Eccleſiæ Corpore minimè ducunt, ſed ab illo divulſi ſunt, atque ſciſſi, communi *Partis* nomine a Patribus appellantur: Partis videlicet emortuæ, quia ſejunctæ a Totius Corporis vita: ipſaque Schiſmata, & Hæreſes, a Totali, & Univerſali Eccleſia abhorrētes, *Partes* ab iiſdem Patribus nuncupantur.

Triplex autem Univerſalitatis acceptio animadverti poteſt: Prima reſpiciens id, quod credendum Chriſti cultoribus objicitur: ut ſcilicet Catholica illa cenſeatur Eccleſia, quæ ultro ſuſcipit omnes definitas Veritates; nec ullam omnino rejicit, a legitimo credendarum rerum Iudice, ineluctabili decreto, ſancitam. Quæ verò, quibuſdam admiſſis Articulis, alios inficiatur, non Catholica Eccleſia, ſed Schiſmatica, vel Hæretica Congregatio, habenda ſit.

II. Uni-

II. Univerſalitas quoad Loca manifeſtiſſima eſt, ſcilicet: Vera Eccleſia eſt illa, quæ ubique Gentium diffunditur; non quę alicubi tantùm in plurimis viget. Regula hęc, a Patribus ſtatuta, nullam Exceptionem eſt paſſa in Arianis: neque patietur Temporibus Antichriſti.

ALtera Univerſalitatis Significatio ad ipſa, per quæ credentium ſpargitur Cœtus, Loca protenditur: & Catholica illa exiſtimatur Eccleſia, quæ per tractus Terrarum omnes undequaque diffunditur: quæ verò intra unam, aut alteram Provinciam, aut Regionem, coarctatur, nequit ullatenus Cognomento Catholicæ ſuperbire. Acceptio hæc Univerſalis, ideoque Veræ, Eccleſiæ in ipſos propemodum oculos evidentius incurrit; ſpectare namque videmur illa, quæ in Terrarum Orbe contingunt in præſens, & omnium Sermonibus vulgantur adeo, ut Moralis, quam Philoſophi dicunt, Certitudinis gradum attingant. Idcirco Patres, dum ex Catholicæ Nota Hæreticos redarguerent, hanc præcipuè Veræ Univerſalitatem Eccleſiæ vindicabant.

Illa etiam certiſſima Patribus erant, quæ nos præfari non piget. Primò quidem, ſermonem hìc non inſtitui de *Singulis Generum, ſed de Generibus ſingulorũ*: hoc eſt agi de ſingulis Regionibus, per quas Vera ſpargatur Eccleſia; non de Copia unam, vel alteram Fidem ſectantium, quæ in Una quapiam Urbe, Provincia, vel etiam Regione, conſocietur. De his agens Gregorius Theologus, de Sectariis videlicet, qui una tantùm in Urbe, ſuperiores numero, Catholicis inſultabant, inquit: *Ubi tandem*

dam magnanimo ſanguine? At ne paucos quidem Sacros hujuſmodi Heroas proponunt venerationi populorum.

An ex Cæleſti quodammodo Plauſu, dato a ſuperis inito a Schiſmatis Coriphæis conſilio rebellandi? At manifeſta, quæ in illos hic etiam irruit Ultio Divina : quæque clades, paulatim attritum, tandem penitus Imperium Orientis, Urbemque Cæſaream, everterunt: & quæ nunc, præclariſſimam olim, Gentem opprimunt Infortunia : enimverò non Plauſus videntur, ſed Sibila, & Execrationes, quibus Cæleſte Theatrum inſultat iniquiſſimæ a Romano Pontifice Seceſſioni.

II. *Infertur, ineptiſſimè ſibi ab Eccleſię Romanę Hoſtibus vindicari Sanctitatem Chriſti, ejus Fidei, Legis, & Sacramentorum.*

241 QUid ergo Schiſmaticis ſupereſt, ex quo Sancti nomen ſuo vindicent ſodalitio? Chriſti, opinor, Eccleſiæ Capitis, ipſius Fidei, Legis, & Sacramentorum Sanctitatem in medium producent. Non inficior, principes has eſſe cauſas, ob quas Eccleſia Vera dicitur Sancta. Sed hæ ſubiectæ ſenſibus minimè ſunt: & in præſentia venamur Signa, ex quibus, in ipſos propemodum oculos incurrentibus, prudentiſſimam de ipſius occulta Eccleſiæ Sanctimonia, orta ex Divino Auctore, Lege, Fide, & Sacramentis profectò Sanctiſſimis, ſententiam ferre poſſimus.

Hæc proſtantia Signa non deſunt, ob quæ Vera Eccleſia palam expoſita omnibus dicitur, & *Monti, Urbique in Montis vertice conſtitutę*, ideoque omnibus adſpectabili, comparatur. Neque deeſſe queunt manifeſtiſſima

hæc,

hæc, Veram indicantia Eccleſiam, Argumenta, ut ſub hujus initium Operis aperta ratiocinatione confecimus.

Has inter Notas omnibus obvias ipſius Eccleſiæ Sanctitas recenſetur: nec alia profectò, quàm quæ aliqualiter ſub ſenſus hominum cadat; alia enim Occulta unum eſt ex Arcanis Fide Divina credendis; non autem Via: utque illam Theologi appellant, *Præambulum* ad ipſam Fidem.

242 Lutherani etiam, Calviniani, ceteriſque Sectis incubantes, quas ipſi nobiſcum Schiſmatici abominantur, everſi omni ſpe ſuis Cœtibus adſtruendi ſubjectam oculis Sanctitatem, confugiunt ad latentem Chriſti, ejuſque Legis, ac Fontium, quibus a ſuo latere profluentibus Eccleſiam irrigavit. At hi miſerè decepti, & mortalium Imprudentiſſimi a Schiſmaticis meritò cenſentur, quia ineptè lenocinantur ſibi: ab Eccleſiæ ſinu ſe contineri, Interna illa Sanctitate perfuſæ; cum interea nullus Extimus Occultæ Sanctimoniæ Sanctus Index illos exornet. Id ipſum ergo reponimus, Externo quovis Sanctitatis colore deſtitutis, iniqui Schiſmatis Sectatoribus: ac proinde ſine ullo Prudentiæ ductu ſibi blanditis, Sanctæ ſe, Veræque Eccleſiæ gremio foveri.

At nos, qui tam præclaro, & omnigeno viſæ palam Sanctimoniæ fulgore circumfundimur, Prudentiſſimos nos eſſe, certò ſcimus, dum ex Divina Revelatione erigimur ad credendam Latentem Romanæ Eccleſiæ Sanctitatem.

243 Ut paucis omnia complectar: Neceſſaria eſt adſpectabilis Sanctitas, quæ ſit Index ejuſdem exemptæ oculis; cæteroqui enim omnes, vel turpiſſimæ, Hæreſes

Sanctam ſibi Eccleſiam non ineptè vindicarent. Validiſſimo, ideoque cui prudenter innitamur, illi ſolùm Fundamento hærent, qui Occultam adeſſe ſibi Sanctitatem conficiunt ex ea, quæ Morali Evidentia in aures, & oculos incurrit. Hanc obiectam ſenſibus noſtram ſolummodo eſſe, Libro integro demonſtravimus.

Nos ergo tantùm prudenter credimus, Sanctæ nos Eccleſiæ filios eſſe.

(∴)

LIBER TERTIUS

De Signis oſtendentibus, Eccleſiam ſolùm Romanam eſſe Catholicam, ideoque Veram, præcipuè impugnantibus Schiſmaticos, & Hæreticos; cum tamen quædam militent etiam contra omne genus Hoſtium Romanæ Fidei.

Oſtenditur, quo pacto ſubjiciantur oculis plurima ex jam allatis, & mox afferendis Veræ Fidei Signis: aut ipſis oculis ſubiecta cenſeri debeant.

244 SENSIBUS ipſis obiecta diximus Veræ Fidei, Eccleſiæque Signa, quæ in medium afferimus, quia ex ipſis quædam oculis intuemur, ut identidem Miracula: fractas manifeſti in corporibus Dæmonis vires: & impleta, contra omnem humanæ ratiocinationis fiduciam, Prophetica dicta Sanctorum.

Oculis etiam ſubjici, & manibus propemodum contrectari videntur, quæ magna vis, nihil inter ſe diſſidentium, Hiſtoricorum refert, non uno, aut altero, ſed innumeris allatis experimentis Virtutis Divinæ: quæ oculati, nullamque exceptionem meriti Teſtes jurejurando confirmarunt coram Præſulibus integerrimis: quæque perſpicacia, & ſeveritate tanta in Sacra Congregatione

Rituum expenduntur, ut multò minor adhibeatur pro controverſis Hæreditatibus,ipſiſque Regnis huic, vel illi homini adjudicandis, ac ſtatuenda flagrantium infamiâ criminum morte.

245 Idcirco ea omnia Veræ Fidei Signa inficiari, non minoris Inſaniæ eſt, quàm ſi quis, conſtantiſſimæ Generis Humani Conteſtationi reluctatus, diffiteretur, extitiſſe Iulium Cæſarem,aut exiſtere Conſtantinopolim. Contra verò ſicut ex complexione tot Hiſtoricorum, ac Teſtium, adeo manifeſtè, ac Morali, ut Philoſophi dicunt, Evidentia liquet,actam ab Heroe illo ætatem fuiſſe: ac ſuperſtitem, ſaltem evoluto proximè anno, ampliſſimam illam Urbem latè imperaſſe, ut qui neque Cæſarem, neque Thracium unquam littus oculis uſurparunt, perinde tamen ſe habere prudentiſſimè arbitrentur, ac ſi Dictatorem illum Romanæ Reipublicæ,urbemque Conſtantini coram intuerentur: ita ſummâ Prudentiâ freti ſtatuimus, comperta nobis eſſe, veluti ſi fidelibus oculis ſubjicerentur, ea, quæ retulimus, quæque mox afferemus, Indicia manifeſtiſſima Veritatis.

Ut Perſpicuitas iiſdem maior accedat, ſingillatim, plurima ejuſdem generis Argumenta curſim indicabimus, cum dicendarum rerum copia nos mirificè locupletet: nec ſine exaggerata Dementia negari poſſint omnes, quarum ſingulæ per ſe aliquando ſufficient ad Verum demonſtrandú;omnes verò cum acciderunt,notiſſimæ Orbi Chriſtiano fuere; & a Scriptoribus proinde candidiſſimæ Fidei, ipsâque per tot Secula Parentum Traditione, contradicente nullo, Filiis, ac Nepotibus traditæ: quæ poſtquam Præſcriptione validiſſima roboratæ jam erant, ab

ex-

excæcato Rebellium quorundam Livore per ſummam injuriam, ſed irrito apud cordatos viros conatu, cæperunt in dubium revocari.

SIGNUM I.

Ipſum Catholicæ Nomen Soli Romanæ Eccleſiæ conveniens, etiam ex Hoſtium Confeſſione.

I. *Manifeſtiſſimum, & omnium Experientiâ comprobatum Signum, eſt ipſum* Catholicæ *Nomen Soli Romanæ Eccl.ſiæ perpetuò tributum, non ſolùm a Sapientibus, ſed & a Vulgo, atque ab ipſis Hoſtibus. Ex quo infertur, Re ipſa eandem Catholicam eſſe, ac Veram. Ac primò innuitur Nominum Vis: Catholicæ Appellationis Initium, ejuſque Cauſa.*

246 HÆc, quæ alibi etiam innuimus, non incaſſum de ceteris jam allatis, ac mox afferendis Veræ Signis Eccleſiæ uberius in præſentia præfati, ab uno nunc exordimur, cujus vires ſuum unicuique Experimentum, vel invito, & fruſtra repugnanti, neceſſariò ſuadebit. Deinde ſcilicet oſtenſuri, Catholicam Re ipſa, ideoque Veram, Chriſti Eccleſiam non eſſe aliam, quàm Romanam; hoc ipſum interim eruimus ex ipſo Catholicæ Nomine, quod uni Romanæ perpetuò tributum fuiſſe, ac nunc etiam tribui, evincimus ex ipſa omnium animis impreſſa perſuaſione, quam idem Vulgus, & Adverſarii omnes experiuntur.

Magna vis ineſt Nominibus, exceptis a Communi Sen-

Senſu mortalium, & ab iis evincitur, quænam de ſubiecta illis Re, ſit Hominum, ac Naturæ Sententia. Catholicam primò Veram Eccleſiam dixerunt Apoſtoli in condito ab ipſis Symbolo Sacroſancto: in ſuo dixit Nicæna Synodus: confirmavit Magnus Athanaſius in præclariſſima, quam ſcripſit, Fidei Confeſſione: &, cujus præcipuè ſequimur ductum Veræ Eccleſiæ Signa indagantes, Conſtantinopolitanum Concilium, Unam eam eſſe, ſtatuit, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam.

Cum, qui Divinam Chriſti Domini Fidem amplectebantur, Chriſtiani primò Antiochiæ inceperint appellari, exortis mox Hæreticis, Chriſti pariter Nomen jactantibus, invaluit Catholici Cognomentum, quod ſinceræ tantùm Chriſti Religionis cultoribus meritò adhæſit. *Chriſtianus mihi nomen eſt*, inquit Pacianus Epiſt. 2. *Catholicus verò Cognomen: illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc probor, inde ſignificor.*

II. *Idem eſt, Chriſtianum dici, non verò Catholicum: ac eſſe Schiſmaticum, aut Hæreticum. Qui ſe Catholicos appellare non audent, nos etiam hoc Nomine fraudare nituntur: ut olim præſtabant Ariani, ſed irrito conatu.*

247 MAnifeſtiſſima ratiocinatione conficiunt Athanaſius, Chryſoſtomus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Hilarius, Cyprianus, Optatus, Iuſtinus, Hieronymus, Auguſtinus, Hæreticos, aut Schiſmaticos eſſe illos, qui, Chriſtiani cum ſint, Catholici tamen nequaquam cenſentur.

Hu-

Hujuſce teli, eorum oculis infigendi, horrore perculſi hoſtes Catholicæ Fidei, cum uſurpare ipſi non audeant Cognomen hoc præclariſſimum, illud etiam nobis invident: ac *Latinos* propterea nos identidem dicunt, *Romanos*, aut cum Lutheri, & Calvini fæce, *Papiſtas*; *Catholicos* autem dicere perhorreſcunt. Se porrò Catholicos compellare formidantes, ne ab Orbe terrarum irrideantur, *Græcos* plerumque ſe dicunt, aut *Orientis Fidem ſequutos*, & ab Occidentis Patriarcha ſejunctos.

O Propheticam Gregorij Theologi præſenſionem; qui, orta a Diviſione terrarum, & marium, ingratiſſima ſuis auribus accidere affirmabat nomina *Orientalis*, & *Occidentalis Eccleſiæ*; cum Una tantùm Vera, quia Catholica eſſe queat: neque illius Unitati, & Univerſalitati, quidquam obſtent Rituum Diſcrimina.

Hoc interim Livoris Artificium, quo Schiſmatici, & Recentiores Hæretici fraudare nos nituntur Catholicò Nomine, vetus eſt, & ab Arianis inventum, qui veros Chriſti cultores non *Catholicos*, ſed *Homouſianos* dicere conſueverunt, Dementiæ ab Auguſtino idcirco culpati: *Ecce*, inquit, *qui nos quaſi maculâ noui nominis, vocant Homouſianos, nec ſeipſos, cum iſta ſentiunt, intuentur inſanos*. At, perinde ac nihil hoc profuit profligatæ veterum Hæreticorum cauſæ, ita nihil conducit recentibus hoſtibus Catholicæ Fidei. Ipſa ſe prodit, & ultro eminet, atque extat, ab Arte nequidquam compreſſa, Natura.

III. *Veritatis Confeſſio, expreſſa a Sapientibus, a Vulgo, & ab ipſa Nequitia Adverſariorum, nos Catholicos nuncupantium, vel Inconſultò, vel Urbanitatis, aut Neceſſitatis Cauſâ.*

248 NOn Sapientes tantùm viri, qui vim Catholici Nominis aſſequuntur, Romanam, quam Univerſalem, ac per Univerſum Orbem, perque omnia floruiſſe Secula, & nunc per Multiplices, Variaſque Gentes latiſſimè diffuſam noverunt, Catholicam dicere compelluntur; 249 Sed Vulgus ipſum, quod communem Sapientum in uſu Vocabulorum, etiam quorum vim minimè penetrat, morem conſectatur; 250 Imo & ipſi Hoſtes, ceteroqui non hebetes: quique cum animum advertunt, aut neceſſitate non adiguntur, cavent ab hoc nobis Nomine tribuendo; interdum tamen id ipſum vel oſcitantes inconſultò proferunt, vel Urbanitatis gratiâ nobis id negare non audent, vel eo neceſſariò utuntur, ſi ab Auditoribus velint intelligi.

Præclarè Auguſtinus contra Epiſtolam Fundamenti ita Romanæ illuſtre hoc vindicat Nomen Eccleſiæ. *Ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas Hæreſes ſic illa Eccleſia ſola obtinet, ut, cum omnes Hæretici Catholici dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel domum, audeat oſtendere*. Et libro de vera, ac falſa Religione cap. 7. *Tenenda eſt*, inquit, *nobis Chriſtiana Religio, & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolùm a ſuis, ſed etiam ab omnibus inimicis.*

cis. Velint enim, nolintve, ipſi quoque Hęretici, & Schiſmatum Alumni, quando non cum ſuis, ſed cum externis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant: non enim poſſunt intelligi, niſi eam hoc Nomine diſcernant, quo ab Univerſo Orbe nuncupatur.

V. *Inſania ſe, noſque Catholicos dicentium, cum tamen in Fide diſcrepemus, oſtendit, nos a Poſſeſſione Catholici Nominis dejici non poſſe.*

251 RIſu porrò dignum videretur, quod frequentiſſimum eſt in Recentium Hæreticorum Nomenclatura; niſi potius eorum infortunium lacrymas provocaret: cum, erubeſcentes dirigere, ut eſt in Adagio, brachia contra torrentem, *Romanos Catholicos* nos dicunt; ſe verò *Catholicos Anglos*, *aut Hollandos* (cum pudore ſuffundantur a ſuis ſe Magiſtris, Luthero, & Calvino, ipſo Hæreſim Nomine præſeferentibus, appellare,) licet repugnantem Noſtræ Fidem ſequantur: perinde ac ſi Geminæ poſſent eſſe Catholicæ Eccleſiæ.

Neque deſunt è Schiſmate, qui nos cum Lutheranis, aliiſque, ſibi etiam execratis, Hæreticis conferentes, ſe, noſque Catholicos nuncupant; licet in præſtanda quibuſdam definitis Articulis Fide nobis adverſentur; ideoque Catholicam Eccleſiam ſtolidè ſcindant in Duas.

VI. *Pugnę ipſorum Hoſtium inter ſe nobis multipliciter adjudicant Catholicum Nomen.*

252 SEd ut omne iis effugium præcludatur, ipſos inter ſe hoſtes committamus: &, quam communiter, de Iure nobis, aut ipſis adſcribente Catholici

Nomen, Sententiam feret Hoſtile Tribunal, æquo animo amplecti, non detrectemus. Quis Lutheri de grege Catholicos unquam dixit, Oſcitantiæ, Urbanitatis, aut Neceſſitatis gratiâ, Græcos a Pontifice Romano ſejunctos: quo pacto hiſce de cauſis Catholicos ſæpe dicit eidem Adſpectabili Conjunctos Eccleſiæ Capiti? Quis Calvini aſſecla hoc illos præ nobis honore afficit? Profectò nullus. Quamvis enim omni contentione curarum, & profuſi auri ſategerint Calviniani, Schiſmaticos in Sententiam ſuam, ideſt in omnium Hæreſum ſentinam allicere; tamen eos eſſe Catholicos, utcumque ſibi in Errorum fonte, ſcilicet Romani Antiſtitis odio, faventes, nunquam in animum induxerunt. At multò minus ipſi Schiſmatici Lutheranos, aut Calvinianos unquam dixere Catholicos, qua nos non rarò nuncupatione dignantur.

253 Enimverò cum aliquam certè, Unamque tantùm, Catholicam eſſe Eccleſiam, neceſſe ſit: atque hanc eſſe noſtram, Sectæ omnes identidem fateantur: nos ex præclari Poſſeſſione Cognominis nunquam depellent, niſi prius ipſæ in Unam omnes conſpirent: ac ſuam, ſeriò, & conſtanter, illam eſſe, confirment, quam Chriſtus inſtituit, & de qua Apoſtoli, Athanaſius, ac Nicænum, & Conſtantinopolitanum Concilium, decernendo, *credendum eſſe Eccleſię Catholicę*, ſermonem inſtituerunt. Hoc autem tunc ſolùm continget, quando, pulſis loco Cælitibus, eorum Sedes occupaverint Inferorum incolæ, videlicet nunquam.

254 Aut ſi convenire nequeunt, ſtatuant ſaltem, quænam ex ipſis Catholicæ Nomine ſit decoranda. Hoc autem omnes vindicabunt ſibi; eodem enim omnes, ſci-

licet

licet Nullo, Iure nituntur; cum omnes Novæ ſint, ideoque Tyrannicè orbare nos illuſtri Cognomento adoriantur, quo ante natas Hæreſes, ac Schiſmata potiebamur.

Sed enim ea vis eſt Præſcriptionis inveteratæ, ut vel a Nolentibus, ipſiſque Hoſtibus, Confeſſionem Dominii non rarò extorqueat: quod Eccleſiæ Romanæ manifeſtis argumentis aſſeruimus.

SIGNUM II.

Romana, Catholica eſt ipsâ Re, quia credit omnes definitas Veritates.

I. *Triplex explicatur Significatio Catholici Nominis, Rem ipſam oſtendens, ſcilicet* Univerſalitatem *Catholicę Eccleſię quoad Objectum, Loca, Tempora. Ac primò agitur de ipſa generatim* Univerſalitate: *deque eadem quoad Obiectum, ſcilicet de Cœtu credentium omnes Articulos definitos.*

EXpenſa vi Nominis, Rem ipſam explorare aggrediamur; Catholicá ſcilicet re ipſa eſſe Romanam oſtendamus, ex quo eandem Veram pariter Eccleſiam eſſe, manifeſtiſſimè liquet: ex eorum ſaltem confeſſione, qui aliquam Nicæno, & Conſtantinopolitano, imo ipſi Apoſtolico, Symbolo adhibent Fidem. Idcirco ex hoc ferè ſolùm Argumentorum Fonte, mirabili rerum potius, quàm verborum facundia, in Libro de Unitate Eccleſiæ, hoſtes veritatis obruit D. Auguſtinus, ſapientiſſimis cujus veſtigiis inſiſtimus hujuſmodi Theologicæ ratiocinationis Locum excolentes.

II. Univerſalitas quoad Loca manifeſtiſſima eſt, ſcilicet: Vera Eccleſia eſt illa, quæ ubique Gentium diffunditur; non quę alicubi tantùm in plurimis viget. Regula hęc, a Patribus ſtatuta, nullam Exceptionem eſt paſſa in Arianis: neque patietur Temporibus Antichriſti.

ALtera Univerſalitatis Significatio ad ipſa, per quæ credentium ſpargitur Cœtus, Loca protenditur: & Catholica illa exiſtimatur Eccleſia, quæ per tractus Terrarum omnes undequaque diffunditur: quæ verò intra unam, aut alteram Provinciam, aut Regionem, coarctatur, nequit ullatenus Cognomento Catholicæ ſuperbire. Acceptio hæc Univerſalis, ideoque Veræ, Eccleſiæ in ipſos propemodum oculos evidentius incurrit; ſpectare namque videmur illa, quæ in Terrarum Orbe contingunt in præſens, & omnium Sermonibus vulgantur adeo, ut Moralis, quam Philoſophi dicunt, Certitudinis gradum attingant. Idcirco Patres, dum ex Catholicæ Nota Hæreticos redarguerent, hanc præcipuè Veræ Univerſalitatem Eccleſiæ vindicabant.

Illa etiam certiſſima Patribus erant, quæ nos præfari non piget. Primò quidem, ſermonem hìc non inſtitui de *Singulis Generum, ſed de Generibus ſingulorũ*: hoc eſt agi de ſingulis Regionibus, per quas Vera ſpargatur Eccleſia; non de Copia unam, vel alteram Fidem ſectantium, quæ in Una quapiam Urbe, Provincia, vel etiam Regione, conſocietur. De his agens Gregorius Theologus, de Sectariis videlicet, qui una tantùm in Urbe, ſuperiores numero, Catholicis inſultabant, inquit: *Ubi tandem*

dem ſunt, qui paupertatem nobis exprobrant, opeſque ſuas inſolenter jactant? Qui Eccleſiam multitudine definiunt, ac parvum gregem aſpernantur?

Secundò ſtatuunt Patres: ſpectanda illa eſſe, quæ frequenter, & plerumque contingunt; ideoque *Per ſe*, & ex Inſtitutione Naturæ, ac Divinitatis; non verò quæ *Per accidens*, ideoque rarò, & contra fixum ejuſdem Naturæ, Divinique Numinis placitum. Quamvis igitur perbrevi aliquo temporis ſpatio Hæreſis aliqua, ut de Ariana quidam opinantur, latius fuiſſet per Orbem terræ, quàm Catholica Chriſti Eccleſia, pervagata; non proinde hoc Veritatis, petitum ab Univerſalitate, Signum ſibi Arii Synagoga meritò arrogaret. Abſorptus enim à Tartaro quamprimùm eſt Torrens ille Impietatis, aliquamdiu latiſſimè debacchatus, ac tenues tantùm ex illo rivi ſuperfuerunt. *Eccleſia* verò, ut inquit Athanaſius in orat: quod unus ſit Chriſtus, *invicta res eſt, etſi Infernus ipſe commoveatur*. Pervulgatum certè illud Hieronymi: *Ingemuit Orbis, & totum ſe Arianum videns miratus eſt*: ad ipſum tantummodo Orbem reſpexit, ſuis in Paſtoribus Arimini congregatum: quorum plerique decepti quidem primò fuerunt; ſed iidem paulò poſt deprehenſum errorem ferè omnes ſunt execrati. Latius autem Catholica veritate regnaſſe perfidiam Arii, diſertè negant Athanaſius, Baſilius, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus.

Antichriſti demum tempora excipienda eſſe aliqui arbitrantur, de quibus loquutus Dominus Lucæ 18. dixit: *Verumtamen Filius hominis, cum venerit, putas, inveniet Fidem in terra?* Sed in primis hìc interim Chriſti Eccleſiam cum Hæreſi, ac Schiſmate, non cum aliis

Su-

Superſtitionibus comparamus, dum eandem Veram eſſe ſtatuimus, quæ ſit Univerſalis: diffuſa videlicet per plura ſpatia terrarum. Oſor autem Chriſti, utcumque omnia latè ſuo depopulaturus eſſet incendio, non Hæreticus erit, aut Schiſmaticus, ſed nefarius Dæmonum, ſuique ipſius cultor. Præterea de temporibus Antichriſti manifeſtæ ſunt Prædictiones Divinæ, quæ permittendum Tartaro docent, ut ſuis omnibus viribus, inſolitoque contra Eccleſiam furore deſæviat. Neque verò, defuturam tunc omnino in terris Fidem, affirmavit Chriſtus; certè enim ſupererunt Electi, propter quos *breviabuntur dies illi*, ut idem dixit Matth. 23. Sed, ut Cyprianus lib. de Unitat. Eccleſiæ, aliique locum illum interpretantur, ita Veritas fuit loquuta, quia plurimi a Fide deficient, & ipſorum credentium Fides plurimùm remittetur; licet etiam tunc diffuſa latius quacumque Hæreſi, aut Schiſmate, Vera Chriſti Eccleſia ſit conſervanda.

III. *Tertia Univerſalitatis ſigificatio, qua Vera Eccleſia per Tempora omnia perpetuò perſeverat.*

TErtia porrò Univerſalitatis Uſurpatio non ipſa, per quæ nunc Vera Eccleſia diffunditur, Loca perpendit; ſed Tempora, per quæ ſit diffundenda; ut Veram proinde eſſe illam, conſtet, quæ ab Adventu Reparatoris noſtri, imo ab ipſa Procreatione rerum omnium, perpetuò perſeveraverit; adventurum enim eundem, quem nos credimus adveniſſe, credebat David, & Abraham, atque ipſe Primus hominum Pater.

Neque deſunt, qui, dummodo Vera ſemper in quibuſdam Eccleſia perennaverit, & paulatim per varias

Pro-

Provincias, & Regna fundatur, neceſſarium non putant, ut ullo eadem Tempore Univerſalis quoad Loca Terrarum omnia videri poſſit.

Hæc quidem Tertia Veritatis Nota non adeo, ut Secunda, ipſis propemodum oculis ſubiicitur. Sed manifeſta primùm ratiocinatione conficimus, profectò Univerſalem quoad Tempora eandem fuiſſe, quæ nunc ſit Univerſalis quoad Loca: ac deinde tot, ipſorum etiam Hoſtium, Atteſtationibus evincimus Romanæ Temporum omnium Univerſalitatem, ut omnis Ævi mortales, velut in quodam Theatro diſpoſitos, liceat intueri.

Cum ergo Catholica, ideoque Vera, ſit illa Chriſti Eccleſia, quæ amplectitur Univerſas definitas Veritates, quæ Locis intereſt, ac Temporibus univerſis: hanc, & quidem Solam, eſſe Romanam, adorimur demonſtrare.

IV. *Liquet, eſſe Catholicam, ſcilicet Univerſalem, Romanam Eccleſiam, quoad Fidei ſuæ Objectum, cum conſtantiſſimè amplectatur omnes definitas Veritates.*

CErta viget apud nos credendi Lex: mira Fidei tuendæ ſolicitudo. Nihil à Conciliis, aut Summo Pontifice declaratum Catholici reiiciunt.

Non eſt hìc locus decernendi, quinam exiſtimari debeat legitimus Iudex Controverſiarum: & cujus ſit muneris, omnino credendos Fidei Articulos definire. An Generalium videlicet, quibus nulla tribui poſſit Exceptio, Conciliorum: an ipſius etiam Romani Pontificis, cujus Decreta refingi nequeant, poſtquam ſemel è Cathedra prodierũt: quod certiſſimum, & ineluctabile putamus

eiſ::

eſſe: atque huic veritati ſuum robur addemus in Opere de Conciliis, cujus infra Specimen dabimus, delibando Argumenta, nobis a Nicæno, ac Sardicenſi ſuppeditata.

255 Illud certò interea ſtatuitur: Fixam apud nos vigere, ſtabilemque credendi Legem; ut ea ſcilicet omnia in animum admittamus, quæ, veluti Sacris in Literis, ex communi eiſdem tributa a Sanctis Patribus Interpretatione, Divinitus revelata nobis proponit Eccleſiæ Matris Auctoritas. Nihil ex his verè Catholico reiicere, aut expungere licet.

Qui ſit Unius, omnium a nobis cenſetur eſſe Veritatum Prævaricator. Religionis tuendæ flagrantiſſimo ſtudio incenſi vigilant apud nos Fidei Quæſitores. Controverſiæ opinantium Theologorum omnes circa res tantummodo verſantur, nondum Definitioni ſubjectas, ut alibi animadvertimus: iidemque comparato animo ſunt ad eas, quas Eccleſia damnaverit, illico ab Academiis, & animis eliminandas.

256 Et notatu quidem dignum videtur: adeo altè infixã eſſe animo Romanæ Sectatorum Eccleſiæ Perſuaſionem Neceſſitatis conveniendi in Una, eademque Fide, ut pauci illi, qui, nulla probabili ratione fulti, non omnino *Irreformabilia*, ante Conciliorum, aut Eccleſiæ Aſſenſum, opinantur eſſe Pontificia Decreta Fidei; tamen ſtatim atque illa prodeunt, eadem obſequentiſſimè complectantur. Quod nuper in rejectis ab Apoſtolica Sede Aſſertionibus Cornelii Ianſenii manifeſtiſſimum fuit; eâdem enim, qua Romanus Pontifex, illas Cenſurâ ſtatim perſtrinxerunt ii pariter Academici, quorum aliqui dubitant de falli neſcia in hujuſmodi Cauſis Unius tan-

tummodo, licet Supremi, Præſulis Auctoritate.

257 Neque hi tantùm, Catholico nominè gloriati, & Ianſenium exoſi, ſed & alii Ianſenio mordicus adhærentes, Hæreſim autem profiteri non auſi (cognita neceſſitate conveniendi in Una, eademque Fide) multiplici, variaque Interpretatione Pontificium Decretum eludere conati ſunt.

V. Prudentia conſectantium Certam credendi Regulam; ſeque potius Eccleſiæ, quàm ſibi ipſis Eccleſiam ſubiicientium. Inſania in pretio habentium quaſdam Eccleſiæ Definitiones, & alias contemnentium.

258 His delibatis, apertiſſimum videtur, potius expedire, ut Certa credendi Regula ſtatuatur, quàm ut Uniuſcujuſque permittatur Arbitrio ſelectus Divinorum Arcanorum, quibus præſtare amet, aut exhorreat fidem.

259 Liquidò etiam conſtat, magis conſentaneum eſſe, ut nos Eccleſiæ, quàm Eccleſiam nobis ſubiiciamus: omnia ſcilicet amplectendo, quæ nobis proponit Eccleſiæ Matris Auctoritas: neque illi Erroris, aut Doli Calumniam inferendo, quaſi nobis aliqua tradiderit veluti Divinitus revelata; cum tamen Divinus eadem Spiritus minimè fuerit conteſtatus.

260 Comperti demum Inſaniæ ſunt illi, qui cum, a Generalium Conciliorum, Pontificum, aut demum Eccleſiæ Definitione, urgeri ſe, putent, ad quoſdam ex declaratis ab illa Articulis ſuſcipiendos: perinde compelli ſe, non vident, ad amplectendos omnes, poſtquam non mi-

minor Auctoritas omnes ſancivit. Vel enim tanta hæc eſt, ut omnibus poſſit Fidei neceſſitatem adſtruere: vel tam exilis, ut, non quibuſdam tantùm, ſed etiam omnibus, queat, ſine ullo Sempiternæ Salutis diſcrimine, aſſenſus abrogari.

161 Hæc ita ſe habere, liquet etiam ex eo, quod ab Experientia, Sapientiæ magiſtra, quotidie comprobatur; nam qui relictam a Chriſto Domino Veræ Doctrinæ Cathedram contemnere incipiunt, ab una paulatim ad Hæreſes plurimas delabuntur. Neque contingere aliter poteſt, ſi Conſul ſibi quiſque ſit, atque Iudex: quod munus ferendi Sententiam de rebus Fidei quantâ dementiâ ſibi Sectarii vindicent, mox demonſtrabimus: aſſerto interim Eccleſiæ Romanæ Signo Veritatis, fulgente in Univerſalitate rerum, quas omnes, a ſortitis Divinæ Doctrinæ Magiſterium definitas, ultro complectitur.

SIGNUM III.

Peculiaris, Univerſali contraria, dicenda neceſſariò eſt Adverſariorum Congregatio.

I. *Uſurpare nequeunt Catholicæ nomen Sectæ, quarum Magiſtri pugnant inter ſe in proponendis populo Arcanis Divinitatis: vel quarum ſinguli Sectatores profitentur ſe eſſe Interpretes Sacrarum Literarum: & ex ſuo ſenſu eligunt, aut reiiciunt credendos Articulos. Quàm contraria ſit horum Peculiaris Eccleſia Univerſali illi, quam Chriſtus inſtituit.*

262 QUod primo hìc loco oſtendendum aggredimur, per ſe ultro patet, atque eminet; Pecu-

 lia-

liaris enim quorundam,aut etiam Unius tantùm, & non Univerſalis omnium, Fides illa dicitur, cujus Præceptores inter ſe perpetuò digladiantur,aut cujus unuſquiſque ſit ſibi ipſi Magiſter.

Hanc in recentioribus Hæreticis Schiſmatici damnant Inſaniam, ſed in eandem miſero & ipſi lapſu præcipites devolvuntur. Pervulgata ſunt Lutheranorum, Calvinianorum,omniumque recentium Perfidię Portentorum Certamina. Hydra, ſi unquam aliàs, nunc præſertim eſt Hæreſis: non ſeptem ſolummodo in ipſo exortu munita Capitibus, ſed Centenis, imo innumeris quotidie gliſcens, ſemperque novis pullulantibus faucibus venenum ſpirans.

263 Qui Eccleſiæ ſubdere ſe, Superbi, ſtolidique detrectant, an ullius ſe mortalis Magiſterio ſponte ſubiiciant? Eatenus certè id præſtant, quatenus menti ſuæ, ac propenſiòni uniuſcujuſque naturæ, conſentanea loqui videtur; at in aliis nullo metu perculſi Magiſtris rebellant, & in illos audacter inſurgunt.

164 Qui verò non impares hauriendo intimo ſenſui Sacrarum Literarum ſe ipſos arbitrantur, nauci alios omnes faciunt, inque ſuam Sententiam nequaquam euntes, deluſos a Tartaro putant,

Univerſalem quiſpiam dixerit iſtorum Fidem,cum illa non ſolùm Orbi terræ, Regioni alicui, Provinciæ, Urbi, ſed ne Domui quidem Uni Communis ſit; nam ſæpe quot in Una Domo ſunt Capita, tot pariter Fides, & (ſi fieri contra ipſam vim Nominis poteſt) Eccleſiæ, aut verius Synagogæ Satanæ continentur?

265 Quantum hæ diſtant ab Unica illa, & Uniuer-
ſali

ſali Eccleſia, quam Chriſtus ipſe, Prophetæ, ac Apoſtoli appellarunt *Civitatem Sanctam*: *Fructiferam Vineam*: *Montem excelſum*: *directam Viam*: *Columbam Unicam*: *Regnum Cœli*: *Sponſam*, & *Corpus Chriſti*: *Firmamentum veri*: *Multitudinem illam*, *cui Divini præſentia Spiritus promittatur*: *in quam prævaliture nunquam ſint Tartari portæ*: *quam qui non audiat, licet ore Chriſtum jactet, habendus ſit Ethnicus, aut Publicanus*? Apoc. 2. Pſalm. 7. Iſai. 2. & 35. Cant. 6. Matth. 13. Epheſ. 5. 1. Cor. 12. 1. Tim. 3. Io. 1. 4. Matth. 16. & 18.

II. *Schiſmatici deteſtantur Recentiores Hæreticos; ſed in idem incidunt crimen efformantium Peculiarem, Univerſali repugnantem, Eccleſiam.*

266 MEritò hæ Nubes, quovis Tartareo opinionum vento circumactæ, a Schiſmaticis exploduntur, qui Novas Lutheri, & Calvini, opiniones Anathemati meritò ſubjecerunt: Zachariam Gerganum, Orienti afflare Calvini venenum ſatagentem, meritò ſunt execrati: Calvinianum Patriarcham Cyrillum, è Sacro Conſtantinopolis Throno æquiſſimè dejecerunt, Cyrillum illi alterum Berrœenſem, addictiſſimum Romano Pontifici, meritò ſufficientes.

267 Sed cur, faſſi neceſſitatem credendi omnes Articulos ab Eccleſia definitos, ideòque in Novatores invecti, alios ipſi reiiciunt, quos Vetuſta ſancivit Eccleſia? Cur ſi, Veram, norunt, non eſſe Fidem, quæ Univerſalis non ſit, omnia declarata Divinitatis Arcana ſucipiendo, Univerſa ipſi pariter non amplectuntur?

268 Cur

268 Cur, ſi Pugnas Fidei Magiſtrorum inter ſe ipſos, arbitrantur, eſſe manifeſtum Indicium Falſitatis: aſſenſum iis præſtant Magiſtris, qui Fidem explicantes inter ſe perpetuò decertant?

Hujuſmodi Schiſmaticorum Certamina Primo deſcripſimus Libro, ideoque nunc illa tantùm innuimus. Quid certi de Divini Proceſſione Spiritus, de Auctoritate Romani Pontificis, de Purgatoriis Pœnis, de Intuitu Divino, de Azymo, & Fermentato, decernere queunt, ſi tam varias ineunt ſemitas, qui de his differunt, Schiſmatis Coryphæi? Quid tutò de Taboritico lumine, aliiſque Gregorii Palamæ opinionibus, affirmant, ſi hunc aliqui Nebulonem cum Conſtantinopolitano Concilio Hæreſis damnant: invocant alii ad Aras Superis accenſitum? Neſtorianos, opinor, deteſtantur, ac Eutychianos? At cur Abyſſinis, aliiſque populis, quorùm adhuc in animis eæ peſtes vivunt, Sacra, & Antiſtites præbent Alexandriæ Patriarchæ, nec illos proinde a ſua Communione reiiciunt?

Quæ adeo Multiplex, Varia, & Peculiaris patet, quo pacto Catholica haberi poterit Schiſmaticorum Eccleſia?

SI-

SIGNUM IV.

Inſania reiicientium plurimas definitas Veritates.

Multiplici Argumento demonſtratur Dementia non habentium Certam Legem credendi Univerſas definitas ab Eccleſia Veritates: ſed expendentium ſingulas juxta Interpretationem ab ipſis traditam Sacris Literis, quarum etiam Libros, aut Capita, reiiciunt: aut ad abſurdam ſententiam detorquent. Origo hæc fuit Hæreſum omnium.

OStendimus, ab Hæreticis, & Schiſmaticis, quædam Fidei Arcana inficiantibus, deque aliis perpetuò altercantibus, vindicari ſibi per ſummam ſolùm Inſaniam poſſe Univerſalis appellationem Eccleſiæ. Iam verò facili negotio demonſtrabimus, cujus Dementiæ ſint Argumentum hæc ipſa Certamina.

Si Certam credendi omnes definitos Articulos Regulam, videlicet Auctoritatem Eccleſiæ, detrectant, an ſingulos expendent ipſi, Divina ſolùm Oracula conſulentes? An ſuorum explorabunt Magiſtrorum Interpretationem? An intimum, quem experiri ſe dicunt, Inſtinctum Divinitatis?

269 Si omnium inſtituent Articulorum Examen, infinitus hic primò erit labor, & ante ipſum vita claudetur: contentionum erit feraciſſimus, & periculi plenus, veluti Audaciæ partus.

270 At, quas unicè a ſe conſuli dicunt, Divinas Literas melius a ſe percipiendas ſinguli, Sutores videlicet quoque, & Ancillæ, non dubitant, quàm illas perceperint

rint Athanaſius, Auguſtinus, aliique Sapientiſſimi Patres, ex quorum explicatione admittendas in animum veritates Pontifices, & Concilia ſanciverunt?

271 Quàm obſcura præterea eſt, & ſæpe implexa, Sacrarum Literarum Sententia! Quàm multiplex earumdem ſenſus, ac uni ſæpe, nec raro alteri, inhærendum eſt, ut alibi animadvertimus!

272 Quantæ de ipſorum etiam numero, & certitudine Sanctorum Voluminum Controverſiæ, quæ nonniſi Eccleſiæ, illa recipientis, aut reiicientis Auctoritate ſolvi potuerint!

273 At certa ſint, quorum ad Lydium lapidem exploretur Veritatis aurum, Divinitatis Oracula, ſi tamen hæc unuſquiſque pro libito valet interpretari, quàm ſæpe ad abſonas ſententias ab Inſcitia, vel a Pravo motu animi, detorquebuntur!

274 Hinc omnes natæ ſunt antiquæ Hæreſes, quas videlicet ipſi nobiſcum Schiſmatici, & Recentes Hæretici abominantur. Aſſertiones plerumque primò ſtatuuntur, quibus vel effrænata Licentiæ cupiditas, vel Superbia, Æmulos Erroris accuſare amans, aſſuere nititur Cæleſte ſuffragium: ac deinde Sacræ Paginæ luminibus Tartareo veneno madidis percurruntur: ipſumque oculorum, & animi virus ea ex illis haurit verba, quæ detruncata, aut perperam intellecta, ſuæ favere cauſæ, opinatur.

Inverti mentis intelligentiam ab exlegi ſtudio voluntatis, ſapientiſſimè Ariſtoteles affirmavit. Neque verò ſibi deeſt humani generis Hoſtis; neque ſuperbiſſimorum hominum ingenium non exacuit, ut Sophiſmata texant, & Paralogiſmos, incautis decipiendis aptiſſimos.

275 Om-

275 Omnium in hoc genere Seculorum lacrymis deploranda ſunt Origenis, ac Tertulliani Naufragia: Oceanus enimverò ſunt Sacræ Literæ, in quo Gygantes merguntur, Agni natant: ii videlicet Agni, qui Unico Divini Gregis Paſtori obtemperantes, ea omnia credunt, quæ ipſis credenda proponit Eccleſia.

SIGNUM V.

Dementia majori in pretio habentium Schiſmatum, & Hæreſum Duces, quàm Univerſam Eccleſiam.

Inſani pariter ſunt, qui Schiſmatum, aut Hæreſum Anteſignanos conſectari ſe profitentur, contemptis Pontificibus, Conciliis, Sanctis Patribus, & Univerſa Eccleſia. Neque Ducibus ipſis ſuis ſemper adhærent, ideoque ſeipſos conſtituunt Iudices credendarum rerum.

276 DEmentes eſſe, qui ſine Duce per hunc Oceanum velificantur, aliqui ultrò concedent. At non hujuſmodi ſe eſſe dicent; nam Divinis in Literis exponendis Lutheri, Calvini, Photii, Palamæ, Marci Epheſii, ductum ſequuntur. Itane verò? At cujus Inſaniæ videtur, Athanaſio, Baſilio, Gregoriis, ceteriſque Latinis, Græciſque Patribus, Pontificibus omnibus, & Conciliis, Univerſæ demum, etiam Vetuſtiſſimæ, Eccleſiæ, hos effrontes, iniquos, inſcios, ſi cum Eccleſiæ ſaltem Doctoribus comparentur, homines anteferre?

277 An qui, ut Lutherum conſectentur, aut Photium, Eccleſiæ Auctoritatem contemnunt, Photio ſemper ipſi, ac Luthero prudenter adhærebunt? Non ſemper ſe illis adhæſuros, profectò reponent; ſed tunc ſolummodo, cum, veritatem illos fuiſſe aſſequutos, judicabunt, ac interpretatos aptè Sacrarum Literarum ſententiam.

Neque ſe, cum iſta dicant, animadvertunt Inſanos, qui nunc in eandem cum ceteris, quos primo impugnavimus loco, foveam præcipites devolvuntur? Profectò ſi, tunc ſolùm victas a ſe ſuis Magiſtris manus tribui, affirmant, cum eoſdem compertos habent Veritatis, æquos eſſe ſeipſos Veritatis Iudices arbitrantur; ideoque certam ſibi ipſis vindicant Sacrorum Interpretationem Oraculorum: cujus Arrogantiæ crimen exoſi, aliorum a ſe premi veſtigia, ſtolidè nuper aſſeveraverant.

SI-

SIGNUM VI.

Vecordia conſtituentium ſe Fidei Iudices, confugiendo ad Peculiare Inteſtinum Lumen Singulorum.

I. *Non minori laborant Inſipientia, qui recurrunt ad Internum Divini Spiritus afflatum. Diſcrimen inter hoc Somniatum Peculiare Singulorum Lumen pro diſcernendis Veris Scripturis, & Vera illarum Interpretatione: & Illuſtrationem ſuaſivam Spiritus Sancti, quę Catholicis omnibus adeſt pro Aſſenſu præſtando Divinæ Revelationi, communiter Univerſis exterius propoſitæ ab Eccleſia.*

278 AT enim cur æquos ſe Interpretes Divinorum Librorum ultro non fateantur, quorum animos perpetuò perflat Divini Spiritus aura, Intimo, qui fallere nequeat, inſtinctu? An verò non ſapiunt, qui has in latebras ſe recipiunt, nullius ictum teli formidantes? Quinimo, ò mortalium dementiſſimos, quos Ironica oratione perſtrinxiſſe, nos propemodum pudet, cum proſequi æternis lacrymis deceat inopem, ac ſuperbam eorumdem infelicitatem.

Expoſita omnibus Veritas eſt: *Monti, ac Urbi, in vertice Montis extructæ*, comparatur Eccleſia. Omnibus Divina Oracula plerumque communiter proponuntur: Inteſtina Revelatio (nunquam pugnans cum iis, quæ ab Eccleſia creduntur) rarò admodum, ac Prophetis ferè tantùm, Sanctiſque aliquando hominibus indulgetur, non unicuique, etiam Mortalium ſceleſtiſſimo. Ineptè

Digitized by Google

argumentatus fuiſſet Paulus: *Quomodo audient ſine Prædicante: Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* ſi unumquemque Sanctus Spiritus, Divinas interpretatus Literas, rectè a nullo exterius propoſitas, alloqueretur.

279 Adeſt quidem credentium animis Suaſiva Sancti Spiritus Illuſtratio, ut Priori Libro indicavimus; ſed ut præſtent aſſenſum, propoſitæ omnibus *exterius* ab Eccleſia, Divinæ Revelationi; non autem adeſt, ut, a ſe tantùm Eccleſiam conſtitui ſomniantes, Sacras pro libito Paginas, contra Communem ejuſdem Eccleſiæ ſenſum, pertrahant ad ea confirmanda, quæ ſingulis arrident: non adeſt, ut pro arbitratu detruncent Divina Verba, quæ, ſelectis ante a Præjudicio impiæ voluntatis, opinionibus repugnant: ac, Tertulliani formulâ, non adeſt, *ut cædem faciant Scripturarum*.

II. *Nodus indiſſolubilis a jactantibus* Peculiare *Lumen Internum. Prodigioſum id eſſet, & preterea ipſimet Potentię Divinæ repugnat, cum* Una *tantùm ſit Veritas, & Diverſiſſimæ de illa Opiniones arrogantium ſibi hoc Lumen, eodem Iure, ſcilicet Nullo.*

MItto innumera, quæ contra hos miſerè ſibi lenocinantes proferri poſſent, & in duobus acquieſco Argumentis, quorum vim niſi animo hauriant, è mentis profectò ſtatu dejecti ſunt.

280 Stolidi conſilii eſt, ad continua perpetranda Miracula cogere Divinitatem. At hoc illi præſtant, qui Externam Eccleſiæ Auctoritatem contemnentes, certum uni-

Digitized by Google

unicuique homini tribuunt ſelectum Sacrorum Librorum, eorumque non dubiam Interpretationem. Majus certè Prodigium hoc eſſet: quàm quo in eandem Græcam ex Hebraico textu Sanctorum Codicum Verſionem diverſis incluſi Cellulis, nec ſe invicem alloquuti, Septuaginta conveniſſe Interpretes perhibentur. His enim omnino ſimilia Hebraica Exempla fuerant attributa; ſed omnino diverſa, ſæpe mutila, & immutata frequentiſſimè, ſunt Divina Volumina, quæ per manus Hæreticorum funduntur: a quibus ſingulis, Divino Spiritu afflatis, illico animadverti dicunt, quiſnam Codex ſit Integer, & Incorruptus: quæ Vera illorum Sententia: quæque omnium apta Solutio Dubiorum.

281 At unum, quod ipſis interim proponimus, profectò non ſolvent: videlicet: quo pacto fieri poſſit, ut Veros plurimi Codices eligant, Veramque iiſdem plurimi Interpretationem attribuant, cum adeo diverſus Sacrorum Librorum ſelectus ſit, ac diverſiſſima, & plerumque pugnans illorum Interpretatio?

Una tantùm eſt Veritas, quam ſi unuſquiſque contingere ſibi opinatur, eâque deſtitui ceteros, qui non minus in illam jus vindicant ſibi: næ is mortalium Amentiſſimus cenſendus eſt. Hujuſmodi autem cenſendi ſunt omnes, qui Certum, & falli neſcium in Eccleſia Dei Controverſiarum Judicem non venerantur.

III. *Aliud*

III. *Aliud ineluctabile Argumentum, evincens Dementiam recedentium ab Univerſali Eccleſia, cui negant Internum Lumen, quod vindicant ſibi.*

282 ALio nunc ipſorum jugulum petimus telo. A Romana diſceſſerunt Eccleſia, in qua a Maximorum Pontificum, & Conciliorum Auctoritate continebantur. Negant igitur, Certum, & falli neſcium, aut fallere, Sancti Spiritus Inſtinctum Pontificibus, & Conciliis, adeoque oculis ſubiecto Eccleſiæ Capiti, Univerſoque ipſius Eccleſiæ Corpori, adeſſe in decernendo, quæ nam ſint Vera Sacrarum Voluminа Literarum: quæque illorum Syncera, ex communi ſenſu Patrum, Interpretatio. At cujus Audaciæ, Inſaniæ cujus eſt, unumquemque, vel ipſo è vulgo, tribuere ſibi, quam Pontificibus, & Conciliis negat, è Sancti Illuſtratione Spiritus, in ſententia de Divinis ferenda rebus, Infallibilitatem?

IV. *Prudentiſſima ſententia, regreſſi ad Univerſalem Eccleſiam, Regis de conſtituentium ſe Fidei Iudices Novatorum Inſania.*

IUvat hìc attexere præclaram de infelicitate recedentium ab Univerſali Eccleſia ſententiam Caroli Secundi Angliæ Regis; quam in pagina, ejuſdem manu exarata, poſt ejus obitum inventam a ſe fuiſſe in Secretiori Scrinio, profitetur ejuſdem Germanus nunc feliciſſimè imperans, omniumque plauſibus in Cælum elatus Iacobus Secundus. Sic ergo Latinè ſonant Caroli verba, qui eorum vim altè animo infixam gerens, in ſuprema ægritudine Catholicis Sacris animum expiavit, magna-

que

que omnibus relicta Sempiternæ, ipſi conferendæ, Salutis perſuaſione, inter pios gemitus, & ſuſpiria, religioſiſſimè interiit.

283 Non ſine ingenti mœrentis animi motu intueri licet magnum Hæreſum numerum, quæ noſtræ ſe genti paulatim inſinuarunt. Unuſquiſque idoneum Sacrarum Literarum Iudicem ex æquo ſe eſſe putat, ac fuerint Apoſtoli. Neque mirum videri debet, hoc ita eveniſſe, dum pars illa noſtrorum hominum, quæ majorem Eccleſiæ ſimilitudinem gerit, Veris in alias Sectas Argumentis uti formidat, metu correpta, ne in ſe ipſam eadem retorqueantur; ideoque ſuis ipſa etiam evertatur rationum momentis.

Eccleſia, quam vocant Anglicanam, credi optaret: illos, a quibus ipſa conſtituitur, Iudices eſſe in Sacris, & ad Spiritum ſpectantibus materiis decernendis; ſed affirmare huc uſque disertè non audet, Infallibilem ſe eſſe: nec ſuum per Appellationem detrectari poſſe Iudicium. At hoc ipſum dicere compellitur, nulli videlicet Errori ſe obnoxiam eſſe (quod tamen ſibi nequit arrogare) aut fateri cogitur: eatenus tantùm conſectandas, quas animis Leges præſcribit, quatenus cum Iudicio, lato a ſingulis, illæ cohærent.

284 Si conditam a ſe Chriſtus Ieſus reliquit Eccleſiam, cur, & qua demum Poteſtate, ſe ab illa disjunxerunt? Si facultas interpretandi Sacros Libros in cerebro uniuſcujuſque ſita eſt, quid Eccleſiâ, & Eccleſiaſticis viris, opus habemus? Quem ad finem Servator noſter poſt collatam Apoſtolis Auctoritatem alligandi in Cælo, atque ſolvendi, ſubdidit: ſe cum illis perpetuò manſurum?

Hæc

Hæc profectò verba per Figuram dicta non ſunt. Tunc ad Regnum Gloriæ ſuæ Ieſus Chriſtus aſcendebat, ſuamque ad finem uſque hujus rerum Univerſitatis reliquit Eccleſiæ Poteſtatem.

285 Experti uno labente Seculo ſumus tot funeſta incommoda, prolem ſcilicet hujus Doctrinæ, quæ adimit Eccleſiæ facultatem de ſpectantibus ad Spiritum rebus, abſque ullo Appellationis arbitrio, judicandi. Quæ Regio pace frui, ac quiete poteſt, ſi Supremo Iudice deſtituatur, a quo appellare non liceat? An ullus exercendæ Iuſtitiæ ſupereſt locus, ubi ipſi Rei in propria Cauſa ſint Iudices, Legeſque interpretari queant eadem Auctoritate, qua pollent ii, qui ad Iuſtitiam adminiſtrandam publico Decreto ſunt conſtituti?

Hoc ipſum circa res ad animum pertinentes in Magna nunc Britannia contingit; neque enim Proteſtantes Anglicanam ideo ſequuntur, quia Vera hæc ſit Eccleſia, & a qua provocari nequeat ad aliud Tribunal; ſed quia præſens hujus ipſius Eccleſiæ diſciplina Imaginationi, quæ nunc ipſis blanditur, bellè reſpondet. Statim verò ac diverſa, vel contraria, orietur Eccleſia, parati erunt ad ſe illi Cœtui, aut Sodalitio conjungendos, cujus Dogmata, & Ritus, convenient cum opinione, quam tunc mente conceptam habebunt. Igitur juxta Aſſertiones hujuſce Doctrinæ alia non invenitur Eccleſia, nec alii ſunt Divinorum Oraculorum Interpretes, quàm ſuum unicuique Caput, aut inſana verius, & parta ab effræni cupiditate Phantaſmata.

286 Interrogare nunc, expediet, eos omnes, qui ſeriò hæc animo expenderint: an Magnum Opus Salutis noſ-

noſtræ ſtatuendum ſit ſupra tam arenoſum, & aqueum, tam parum certè ſolidum Fundamentum: cujuſmodi certè hoc eſſe, compertum eſt?

An Seculi Magiſtratui, & etiam Populo, ſpopondit Chriſtus, cum illo ſe ad finem uſque Mundi permanſurum? An Magiſtratui, ac Populo, indulgendorum Criminum tribuit facultatem? De Seculi hominibus inquit Paulus 1. Cor. 3. *Dei agricultura eſtis: Dei ædificatio eſtis*; de ſe autem, aliiſque Eccleſiaſticis viris: *Dei enim ſumus Adjutores*. Hincpatet diſcrimen inter eos, qui excolunt, eriguntque; & alios, qui Agricultura ſunt, ac Ædificium: videlicet, excoluntur, & ædificantur. In hoc, proximiſque Capitibus, animum ſeriò Paulus adiicit ad oſtendendum: ipſis Apoſtolicis viris, Eccleſiaſticis videlicet hominibus, ineſſe Divinum Spiritum, ſine quo penetrare nullus poteſt profunda Divinitatis Arcana. Ideo præcedens Caput ita concludit: *Quis enim cognovit ſenſum Domini, qui inſtruat eum? Nos autem ſenſum Chriſti habemus*.

Si ergo vel ſolùm iuxta humanæ probabilitatis, rectæque Rationis Regulas expendamus Facultatem a Ieſu Chriſto in Evangelio ſuæ relictam Eccleſiæ, ac deinde tam dilucidè a S. Paulo explicatam: perſuadere nobis haudquaquam poterimus, fruſtra hæc omnia a Salvatore Noſtro dicta fuiſſe.

287 Animadvertite præterea, vos obteſtor, illos, qui Veritati reſiſtunt; ſeque ſubiicere Eccleſiæ, detrectant, niti Argumentis, ortis a prætenſis Congruentiis, & a longè petitis Interpretationibus; cum interim negent res expreſſas Simplicibus, & Apertiſſimis verbis.

Adeo contrarium hoc ipſum eſt Rectæ Fidei, ut credi vix queat, ipſos opinari poſſe, aliud Eccleſiæ Proteſtanti ſupereſſe Fundamentum, quàm hoc unum, ſcilicet: quod in Civilis Magiſtratus Arbitrio poſitum ſit, quotieſcumque ipſi videatur, eos ad ſtatuendam Eccleſiam appellare Eccleſiaſticos viros, quos humano ſuo Emolumento iudicat opportunos: & Eccleſiæ Regimen invertere, nunc Presbyterium, nunc Independentiam, quam dicunt, inſtituendo: & uno verbo, prout ipſi videtur, & collibitum eſt.

Hoc planè pacto noſtra Prætenſa Reformatio in Anglia coorta fuit: & iuxta eandem Regulam, eandemque prorſus Auctoritatem, mutari poteſt in alias innumeras Formas, & Modos, ſi diuerſæ Phantaſiæ miſerè decepta hominum Capita in gyrum, & in præceps agant.

SIGNUM VII.

Univerſalitas Diffuſionis Romanæ Eccleſiæ per omnia Loca.

I. *Univerſalis indubiè cenſenda eſt Eccleſia Romana quoad Loca, quia per Univerſum Terrarum Orbem diffuſa. Ac primò de diffundenda per omnes Terras Vera Eccleſia Divinæ Prædictiones.*

HOc Veræ Signum Eccleſiæ, videlicet, quod per omnium Terrarum ambitum ſpargenda eſſet, Deus ipſe Sacris in Literis frequenter expreſſit: promiſſa enim Geneſ. 22. Parenti Fidei Abrahamo Proles, numero exæquans Arenas, & Sidera, ex interpretatione Pauli ad

Gal.

Gal.2. ſignificavit immenſam eorum copiam, qui Chriſti Religionem, & ex omnibus quidem Gentibus, ſuſceptu- ri erant: A Mari uſque ad Mare, & ad terminos uſque Terræ: ab Exortu demum uſque ad Occaſum Solis, Re- gnum, & Gloriam Chriſti protendendam: non ſemel vaticinatus eſt David Pſal. 2. 18. 56. & 57. Lucem verò, atque animorum Solem, *uſque ad extremum terræ*, ip- ſum fore Chriſtum, diſertè prædixit Iſais 11. 27. 41. 42. & 49. & jam tum vidit innumeros ex remotiſſimis Inſulis, ex Aquilone, & Auſtro, illius fulgore illuſtratos: ac Sterilis, ac Deſertæ Parentis, Ethnica videlicet ſuper- ſtitione demerſæ Terræ, filios ſobóleſcere ſupra prolem Iudaicæ Matris. 51. 52. & 54. Qui verò cum ipſo Abra- hamo recumbant in Regno Dei, affirmavit Chriſtus ipſe, ab Oriente, atque Occidente venturos.

Et ex omni quidem *Natione, quæ ſub Cælo eſt, Religioſi viri ſuis loquentes linguis Divina Magnalia* Sacro Pentecoſtes die Apoſtolos audiverunt: qui deinde in patriam regreſſi, ſuæ alios, qui eam non ſunt execrati, vocarunt in partem felicitatis. At ipſi Apoſtoli cæleſtes, Aduentum Divinum celebrantes, tubas adeo per om- nes Terrarum angulos inflaverunt, ut ad omnem morta- libus excuſationis clypeum excutiendum interrogare, ac ſubiicere potuerit Paulus: *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fi- nes Orbis terræ verba eorum.*

II. Opinantur aliqui, ſufficere Succeſſivam Diffuſionis Univerſalitatem. Nos autem, jam ubique ſparſam eſſe Romanam Eccleſiam, ſtatuemus, De Sectis illi contrariis decerni poteſt, diffundendas nunquam, quia nunquam per Univerſum Orbem diffuſæ ſunt.

VEra igitur Chriſti Fides, & Eccleſia per omnes terræ tractus ex Divinorum præſenſione Oraculorum diffundenda erat: atque, ex eorumdem atteſtatione, ſparſa per omnes fuit in ipſo initio naſcentis Eccleſiæ. Non deſunt tamen, qui dicant, ſufficere ad hanc Veritatis Notam, ſcilicet Divulgationis Univerſalitatem, Eccleſiæ aſſerendam, quod eadem, fluente Seculorum curſu, paulatim omnium terrarum Imperio potiatur. Satis hoc eſſe, non inficior; ſed illuſtrius eſt argumentum Veritatis, ſi omnibus jam nunc in Regionibus potiri multorum animis Eccleſia dicatur: quod de Romana, ſcilicet Unica Vera Eccleſia, tutò affirmari poſſe, certò pronuncio.

22 Quàm exiguos aliæ intra fines coarctentur, deinde ſtatuemus. Innuimus interim, nulla probabili ratiocinatione coniici poſſe, Tyrannicum Falſarum Sectarum Sceptrum ad terras omnes protendendum, ſi protenſum huc uſque non eſt; cum, ex communi perſuaſione Sapientum, feſtinet ad interitum hæc Univerſitas rerum. Sed, utcumque Seculorum Ætas incerta ſit: ut eam eſſe voluit eorumdem Conditor, cujus Filius humanitatem indutus, ne ſibi quidem ipſi compertam eam eſſe, dixit: cogni-

gnitione videlicet illa, quam aliis quoque ex Paterno indulto largiri poſſet: & utcumque petitæ ex variis Indiciis de inſtanti Mundi funere Conjecturæ deceperint Sapientiſſimos etiam Patres, qui Mille ab hinc annis, parū diſtare Supremum adventuri Iudicis diem ſunt opinati.

289 Utcumque, inquam, non Senium in præſentia, ſed Naturæ Iuventus agitaretur; ex eo tamen, quod Hæreſis, aut Schiſma nullum, huc uſque per omnes Regiones propagatum fuerit, certò decerni poſſet, nullum perinde per omnium terrarum ambitum in poſterum prolatandum eſſe.

Pleræque Sectæ breviſſimis, dum maximè gliſcerent, fuerunt finibus circumſcriptæ: brevis pleriſque ætas fuit: & ipſa Ariana latius pervagata, nullam tamen in pleriſque Africæ,& Aſiæ,imo & in multis Europæ Regnis edidit animorum ſtragem; illius verò ad Americam nulla profectò accidit fama. Nulla demum nouis aucta ſemper incrementis excrevit, ſed vel penitus interierunt innumeræ Veterum Hæreticorum peſtes: vel ſemimortuam in aliquo ſolùm terrarum angulo vitam pertrahunt. Nulla ergo Veræ Characterem Eccleſiæ præſefert, quam per Univerſum Terræ Orbem diffundendam, Divina toties Oracula prædixerunt.

III. *Romanam Eccleſiam propagatam nunc eſſe per omnes terras, oſtenditur.*

290 ROmana tantùm, quæ Unicum Divini Gregis Paſtorem veneratur, per omnes,utcumque barbaras,Silvas,& Montes, diſperſas Oves nutrit pabulo Veræ Doctrinæ.

At

Digitized by Google

At enim ſupereſſe Littora, quiſpiam dicet, ad quæ, perpetuò procul igne flagrare viſa, vel inacceſſi maris vallata vorticibus, nullæ hucuſque naves, quæ Veræ Fidei Præcones eò deferre poſſent, appulerunt. Quis tamen opinari vetat, delatos eò aliquando fuiſſe Apoſtolicos viros, qui Vera quoſdam Religione imbuerint, filiis deinde per manus a Parentibus tradita, quæ nunc etiam in nonnullis perennet? Quid, quod nonnulli fortaſſe rectæ Rationis ductum ſequuti, nulloque Lethali crimine ſponte inquinati, ideoque Divinæ obiicem Gratiæ non opponentes, ab ipſis Veram Religionem Angelis edocentur, ex communi Theologorum Sententia. Illud certè Pauli: *Quomodo audient ſine prædicante?* ſolùm loquitur de iis, quæ plerumque contingunt: deque Dono Fidei Divinæ, indulto Sceleſtis etiam, & Ignorantiæ tenebris perpetuò mergi promeritis; non verò de Inſolito Providentiæ modo illis conſulente, qui contra Cæleſte, indubiè ipſis ex Divina beneficentia exoriturum, lumen oculos conſultò non claudunt.

291 Quamuis autem pars aliqua terrarum Veræ nondum Eccleſiæ fulgore fuiſſet illuſtrata, cum tamen hic pleriſque, ſcilicet omnibus, cum quibus commercium viget, jam ſit illapſus, potiori jure per Univerſum ſparſa nunc Orbem appellari Romana poteſt Eccleſia, quàm dicti olim ſint adfuiſſe concionanti Petro *Populi ex omni Natione, quæ ſub Cœlo eſt: inque omnem exiſſe terram, omneſque Orbis Terræ fines*, Apoſtolicus ſonus; multò enim nunc latius Apoſtolici viri ſacris tubis inſonuerunt, eandem, quam olim Apoſtoli Petro ſuo Principi adhærentes, ideoque Romanam, Fidem diſſeminantes.

292 Vel

Digitized by Google

292 Vel una, aut altera Religioſa Familia ſpargit per Univerſum terræ ambitum ſuorum manipulos filiorum *Evangelizantium*, ineundam a mortalibus cum Superis, *Pacem*.

293 Licet per plurimas Aſiæ, Africæ, & Americæ Regiones Ethnica adhuc, aut Mahometica ſuperſtitio Tyrannidem exerceat ſuam, multæque ipſius Europæ iiſdem, aut hæreſis, & Schiſmatis, erroribus inficiantur; nullæ tamen ſunt, in quibus Catholica Veritas in plurimorum, aut ſaltem quorũdam, animis non triumphet. Vel in iis, ex quibus ineluctabili decreto expulſi ſumus, Inſulis, ut Iaponiâ, ſuperſunt Sacri Libri vernaculâ ſingulorum editi linguâ: ſuperſunt Sacræ Imagines, & Numiſmata, quæ multorum pietatem incendunt.

Catholici ſunt in Africa, totoque Oriente Captiui, Romanæ Religionis tenaciſſimi, eâque nonnullos, in infelicibus terris natos, clàm informantes.

De ipſa Græcia dicere ſuperſedemus, deque vergentibus ad Septentrionem Regnis; quem enim latet, plurimos in ea, inque omnibus Regionibus, quæ a Quatuor Orientis Patriarchis Sacra ſuſcipiunt, Latini Ritus, plurimos ipſius etiam Græci, Romano eſſe Pontifici addictiſſimos: plurimos pariter in Anglia, ceteriſque vitiatis Hæreſi Regionibus?

294 Uno verbo, ſi, præter finitimos nobis, ideoque omnibus cognitos Reges, maximos aliarum Gentium Principes intueamur, Regio nulla eſt, ad quam Romanæ Fidei Veritas allapſa non fuerit, quamque aliqui religiosè non conſectentur: in Perſia videlicet, Armenia, Ægypto, Aſſyria, Abaſſia, Congo, Angola, Monomotapa, Nubia,

bia, Armutia, Narſinga, Calecuto, Mogore, Siamo, Sina, Tartaria, Braſilia, Peruvia, Mexico, aliiſque immenſis, Ortum, & Interitum Solis, aut etiam Septemtrionem ſpectantibus, tractibus Indiarum.

SIGNUM VIII.

Multiplicitas Gentium ſectantium Romamanam Eccleſiam.

Expenditur multiplicitas Gentium, Romanæ Fidem Eccleſiæ profitentium: quod Hæreſi, aut Schiſmati contigit nunquam, imo ne Mahometicę quidem, aut Ethnicę Impietati; quamvis Divina Oracula non negent, Errores etiam multiplicibus poſſe Populis adhæreſcere:

VT hæc ſeorſum expenderem, perſuaſerunt nova rationũ momenta, quæ ab his fontibus oriuntur. Multiplicitas populorum, ex quibus omnibus aliqui in Una, eademque Fide conveniunt, Veram illam eſſe, & ab omnium Domino revelatam, apertè confirmat. Excitatæ autem a Tartaro Superſtitiones per unum, aut alterum, aut ſi per plurima, non per omnia certè Regna, funduntur. Hoc de iis, quæ per Schiſmata, & Hæreſes, a Romana Chriſti Eccleſia receſſerunt, manifeſtiſſimum eſſe, quamprimùm oſtendemus.

295 Ne verò interim quiſpiam obiiciat, Ethnicam quoque olim, nunc verò Mahometicam Impietatem, per omnia latè Regna bacchatam. Nam Divinæ Literæ non tradiderunt, Veram ſolummodò Eccleſiam, & non

non ipſos etiam deerrantium Cœtus per omnes terras eſſe ſpargendos. Ad victoriam ergo de Schiſmaticis, & Hæreticis referendam, ſtatuere ſufficit Romanæ Religionis Univerſalitatem, ut hanc illi Veritatis Notam vindicemus: ac præterea evincere, Sectas Chriſtianorum alias exiguis terrarum finibus circumſcribi, ut liqueat, nullam ex iis eſſe Catholicam, ideoque Veram.

295 Sed præterea pernego, eundem olim ubique gentium viguiſſe Idolorum cultum, cum diverſiſſima Multiplices Populi Numina venerarentur. A Mahometis autem inſania plurima nunc Europæ, Americæ, imo & ipſius Aſiæ, Regna prorſus abhorrent.

Non Hæreſes ergo tantùm, & Schiſmata, ſed & Errores quilibet in Cultu Divino, hac gemina profectò ab Eccleſia Romana vincuntur prærogativa: quod videlicet hæc ſolummodo ubique a Fidei Præconibus diſſeminetur: & ubique ex qualibet Gente quoſdam Eodem prorſus Integræ, Illibatæque Doctrinæ lacte filios alat.

SIGNUM IX.

Nationes etiam Molles, & Barbaræ, ingreſſæ Romanam Eccleſiam.

Varia Nationum, etiam Mollium, & Barbararum, Indoles captivata in Obſequium Romanæ Fidei, manifeſtum eſt Indicium Divinæ Virtutis.

297 DIvinæ præterea Virtutis Prodigium promicat ex Varietate Gentium, quæ in eadem Religione conſpirant; compertiſſimum enim eſt, a Varia

Inductione Naturæ Uniformitatem Sententiæ plurimùm præpediri. In iis etiam in animum admittendis, ac decernendis, quæ captu facilia ſunt, & ad exitum ſine moleſtia deducuntur, raró diverſæ indolis homines in unum conveniunt.

Quid, ſi credenda proponantur, quæ, licet humanæ Rationi nequaquam repugnent, omnem tamen illius captum, ingeniique volatum, ſua magnitudine ſupergrediantur?

298 Quid, ſi exequutioni mandanda jubeantur, quæ difficillima ſint, in terram pronæ, ac vitiatæ a Primi Parentis Crimine, concretioni mortalium?

Mirum non eſt, adhæſiſſe magnæ hominum parti Ethnicam, & Mahometicam peſtem, laxas ad omne crimen habenas effundentem. At Divinum enimveró Portentum eſt, Varias, ac pleraſque Rudes, ac Barbaras, Gentes conſenſiſſe in *captivando Intellectum in obſequium* Romanæ Fidei, res mirum in modum arduas credi jubentis, Molles a luxu Aſiaticos compeſcentis, a Ferocia plurimos, qui hominum, ut nos ferarum, venationibus a pueris aſſueti humanis paſſim carnibus veſcebantur.

SI-

Digitized by Google

SIGNUM X.

Populorum, & Principum Catholicorum Nobilitas, Sapientia, Felicitas.

Nobilitas, Sapientia, & Felicitas, Populorum, & Principum Romanam colentium Eccleſiam, illius Veritati, & Gloriæ plurimùm adſtipulatur.

299 Quamvis autem vel ex ferociſſimis, & barbaris populis Romanæ aliqui Fidei jugo colla ſubdiderint, quò tamen Nobiliores ſunt Gentes, eò copioſior ex illis meſſis horreis Divinis infertur. Hoc etiam non tenue calcar admovere poteſt Prudentium animis, cum, ut in ceteris rebus, ac moribus, ita in Religione amplectenda ſequi præſtet illorum exempla, quos illuſtrior Nobilitas, ac præſertim Sapientia, commendat.

Quibus Græcia Seculis omni quidem, ſed præcipuè Sapientiæ, laude florebat, Romani cultui Pontificis addictiſſima erat: quod illi etiam nunc Græci præſtant, qui a Proavorum dotibus minimè degenerarunt. Pleriſque aliis populis perpetuò præſtitiſſe Italos, omnes ultro fatentur.

300 Quò verò magis in, Italiæ finitimis, Regnis Europæ diſciplina, & cultus adolevit, eò majoribus per illa incrementis Romana Fides frontem erexit. Secus verò, cum alia ejuſdem Europæ, Africæ, Aſiæque, ab inſita, vel adſcita Nobilitate, ac ſtudio Literarum, deficere inceperunt: frequentius per illa Hæreſum, Schiſmatum, alio-

rumque Errorum *Zizania*, inter optimum Veritatis *Triticum*, progerminarunt.

301 Si demum, non excæcatis ſtudio Partium animis, res expendatur, nullus diffitebitur, Regiones, in quibus Domina Campi, ut dici ſolet, regnat Romana Religio, cultiſſimas omnium eſſe; cum in iis vel invenerit, vel ſecum ad eas attulerit Sapientiam, ceteraſque prærogativas; illas verò, in quibus paucorum tantùm in animis vivit Romana Fides, vel ante a pleriſque ſuſceptos Sectarum Errores, vel ſimul cum illis, de Vetuſta Nobilitate, ac Gloria plurimùm amiſiſſe.

302 Iam verò ſi Principum, qui Romani ſe Patris Filios eſſe gloriantur, ſplendorem ſuſpiciamus, maximum hinc etiam Veræ Fidei decus accedet. Nullum Schiſmatici jactant latè imperantem, præter Magnum Moſchoviæ Ducem. Vno, aut altero Septemtrionis Rege ſuperbiunt Hæretici; quamvis incertum ſit, quænam ſibi illos arroget Secta, cum innumeræ per eorum Regna pervulgentur: ac minimam certè ex illis quælibet portionem jure vindicet ſibi.

303 At noſtra, præter immenſam ipſius Pontificii Sacri Regiminis Amplitudinem, nullis terrarum finibus circumſcriptam: præter Italos, alioſque Nobiles Principes, Regiaſque Reſpublicas, exuentes Regnis magnum Aſiæ, atque Europæ Prædatorem: ac præter Cæſareum decus, ſemper quidem præclariſſimum, nunc verò incredibili claritate circumfluens, poſtquam in præmium eximiæ virtutis impletæ ſunt Divinæ Sponſiones de Leopoldi, latius Ditione Auguſtiſſimis Proavis ſubiecta, Imperio protendendo: quo Sole regnante jam penè Othomani

mani Tyranni Luna evaneſcit: quo fulgore circumfunditur a Poloniæ Regnatore, vaſtiſſimis Regionibus jura dante? Quo a Sveciæ Regina, ſponte depoſito, quàm egregiè geſto Diademate, illuſtriore: cujus eximiæ Sapientiæ, ac Heroicæ Magnanimitatis Prodigioſum Exemplar innumeros allicit Romani Parentis ad ſinum? Quo a Luſitaniæ Sceptro per Univerſum Orientem, magnamque Africæ, & ipſius in Braſilia Occidentis partem protenſo: quod proinde plurimùm confert ad Generalem Diffuſionem per omnes terras vindicandam Romanæ Fidei: pro qua latius amplificanda theſaurus ingens a magnanima Luſitaniæ Regnatorum Religione quot annis erogatur. Quo a Chriſtianiſſimo Galliarum Rege, qui non ſolùm Hæreſim omnem a florentiſſima ſua, potentiſſimaque in Europa Ditione penitus exulare juſſit; ſed etiam, ut veritatis luce barbaros populos ditet, Arces, & Colonias in Canada ſtatuit, aliiſque Septemtrionalis Indiæ Provinciis: ad alias, ac præcipuè Siamenſe Regnum, eodem conſilio navigationes inſtituit, & amica commercia? Quo, a Magnæ Britanniæ Rege, Romanam Fidem apertiſſimè profeſſo, & incredibili ſtudio, Generoſitate, ac Prudentia, ſuaviſſimis tamen eandem artibus, Inſularum Reginæ, aliiſque Regnis ſuis reſtituere ſatagente, ac Indorum etiam, quorum plurimis imperat, animis inſerere? Si verò nobis deeſſent ceteri Principes, unus Catholicus Hiſpaniarum Rex, Romanæ ſatis Eccleſiæ Univerſalitatem Diffuſionis per omnes Gentes ineluctabiliter vindicaret; cum enim non ſolùm ipſius Imperio ſubſint populi, qui Orientem, quique Occidentem Solem intuentur; ſed etiam latiſſimè per quaſvis

Or-

Orbis terræ partes ipſius Regna fundantur, animadverſum a Geographis fuit, vix ullam fluere diei, noctiſque horam, qua, ex varia Cæli, ac Siderum, apparente jacentibus humi mortalibus, converſione, ſub Hiſpani Monarchæ dominatu Divinus ad Sacras Aras Æterno Parenti Filius non immoletur. Neque verò ſua Religioſiſſimus Princeps laude fraudandus eſt, quòd immenſam videlicet ſingulis annis eroget auri vim ad ſpargendos undequaque, ac alendos Præcones Fidei: quodque nullum ſuis in Regnis ætatem agere ſinat, qui Vicario Chriſti rebellet.

SIGNUM XI.

Eccleſiæ Romanæ Propagatio in Indiis.

Animadvertitur conſilium Divinitatis, Romanam Eccleſiam Novo in Orbe propagantis, dum in Pœnam Superbiæ, Luxuriæ, Rapacitatis, aliorumque Criminum, Provinciæ aliquot Europæ ab illa ſciſſæ ſunt.

304 HOc quoque manifeſtum Indicium videtur Univerſalitatis, ideoque Veritatis, quæ in Una Romana fulget Eccleſia; ad ipſam enim Univerſalitatem ſpectat, magnam vim Sectatorum in multis Regionibus ſortiri, & in ſingulis quoſdam. Superfuerunt autem plurimi in Græcia, etiam poſtquam a miſero Schiſmate correpta fuit, in Anglia plurimi, in Svecia nonnulli, atque Dania, ceteriſque Provinciis ab Hæreſi miſerè dilaceratis.

305 Sed cum Græcorum plerique poſt infelicia Ceru-

rularii tempora ſe ab Eccleſiæ Romanæ corpore ſejunxerunt, paulò poſt magnum in Tartaria incrementum Syncera Fides accepit.

306 Cum verò poſt frequentem Græcorum Regreſſum ad Catholicam Religionem, & frequentem pariter eorumdem Relapſum in Schiſma, toties ab ipſis abominatum, capta demum a Turcis anno 1453 Conſtantinopoli, obſtinato plerique animo hæſerunt in infeliciſſima, cujus pœnas dabant, Sejunctione: ad ſarcienda noſtri Orientis damna Luſitanorum velis invecta navigavit anno 1497. ad alias, proximiori ſubiectas Orienti Soli, terras Romana Fides.

Hæc Superbiæ Præmia retulerunt, qui exoſi Patrem; ideoque Canis Tyrannidem experiri coacti, ſuccedere viderunt Barbaros ad capiendam uſuram illius, a qua ipſi ſe ſponte dejecerant, felicitatis.

307 Miros autem in utraque, ſcilicet etiam Occidentali, India progreſſus fecit Romana Religio, poſtquam evoluto proximè Seculo omne Pudoris frænum relaxantes Lutherus, Calvinus, aliique Tartarei recentium Hæreticorum Ductores, Infernas faces admoverunt Principibus, aliiſque Nobilibus viris ad rapienda Eccleſiarum bona: receptis intra clauſtra Religioſis hominibus ad proculcanda, quibus Deo ſe devoverant, Sacramenta, & nefarias nuptias ineundas: omnibus ad indulgendum genio, ſeque epulis, probroſiſque voluptatibus ingurgitandos; deſponſo nihilominus omnibus Æterno Regno, dummodo ſtolidâ fiduciâ Chriſti nomen jactarent.

Dum hi, ſimul cum Pontificia Virga, Divinum etiam

etiam Sceptrum contempſerunt, hæſit ſolùm in quorumdam animis Integerrima Fides, ne ullius Provinciæ Dominatu decedere videretur; ſed intabeſcentes alioqui Criminum peſtilentiâ terras exoſa, excolere aggreſſa fuit merſas eò uſque Ignorantiæ tenebris Regiones, quas ipſa rerum Divinarum Inſcitia minoris culpæ reas effecerat, cum ſe ſceleribus inquinaverant. Paris metu Supplicii percelli Populos decet, qui, ruentes in quodlibet nefas, non abſimilem contra ſe provocant ultionem.

SIGNUM XII.

Recens Origo Schiſmatum, & Hæreſum, manifeſtè demonſtrat, ipſas non eſſe Univerſalem, ideoque Veram, nunquam a Chriſto deſerendam Eccleſiam.

Certo certius eſt, Catholicæ appellationem convenire non poſſe Schiſmati, aut ulli Hæreticorum Sectę, quia Nullę, & Nuſquam fuerunt per tot Secula. Evincitur, Veram ipſas Eccleſiam non eſſe, quam a ſe nunquam deſtituendam promiſit Chriſtus, cujus in terram Adventus noxius fuiſſet mortalibus, ſi Verâ Divinitatis Notitiâ per tot Secula caruiſſent.

INſtar Aquilæ magnarum Alarum, de qua loquuntur Divinæ Literæ, ad omnes terras volatum explicat Romana Eccleſia; cum Schiſma, & Hæreſes, inſtar ferocientis Urſæ, vix è Silva, in qua ſunt ad hominum perniciem exortæ, malignum efferant pedem. Nullam huc uſque rebellantium Apoſtolicæ Sedi Sectarum per omnes Orbis terræ Provincias propagatam fuiſſe, ſupra ſtatuimus.

308 De

308 De iis autem, quæ vivum in præſentia, vigenſque alicubi ſuum venenum ſpirant, manifeſtiſſimum eſt, per plurima Secula diffuſas nullatenus fuiſſe, cum eædem nondum è Tartaro prodiiſſent.

Hoc ipſum porrò apertum eſt ipſarum Falſitatis Indicium. An enim Chriſtus Dominus, qui ſuis deſponderat Sectatoribus: permanſurum ſe cum illis *uſque ad conſummationem Seculi*, demerſam reliquerat Errorum pelago Eccleſiam; quoaduſque poſt Annos Octingentos brevi quoſdam fulgure perſtringeret Photius, diuturniori luce perfunderet poſt annos omnino Mille Cerularius? Vel, quod Hæretici affirmant, conſepultam ferè Quadringenteſimo poſt reparatum hominum genus Anno Veram Religionem, Lutherus ad vitam, & Calvinus revocarent, poſt annum Milleſimum quingenteſimum, hoc eſt Seculis omnino Undecim tumulatam?

309 Nullum enimverò pretium operæ Divini effuſio Sanguinis retuliſſet; pejus enim deinde conſultum fuiſſet Sempiternæ mortalium Saluti; cum antea Vera Lex Hebræis affulgeret: perque illos, in omnibus Regionibus diſſeminatos, abſque Legalium Rituum, impoſita ceteris Populis, neceſſitate, ſufficiens notitia Divinitatis per Gentes omnes propagaretur.

310 Ex eo autem, quod Nullæ, & Nuſquam, fuerint per tot Seculorum ambitum, quæ nunc exortæ ſunt, Hæreſes, ac tam ſerò natum Schiſma, evidenter infertur: nullam hujuſmodi Sectam eſſe Veram Chriſti Eccleſiam; cum hæc Æterna, eademque ſemper neceſſariò ſit.

SIGNUM XIII.

Schiſmata, & Hæreſes evidenter carent Univerſalitate Diffuſionis quoad Loca.

I. *Oſtenſuri, Sectam nullam in præſentia cenſeri poſſe Catholicam ex Diffuſionis Univerſalitate, primò ſtatuimus, in quo ſita ſit hæc ipſa Univerſalitas, ſcilicet in eo, quod omnes Populi ad Veram Eccleſiam invitentur, & ex omnibus Populis aliqui eam ingrediantur.*

IAm verò præſentem Orbis Terræ faciem intuentes abſque ulla hæſitatione pronunciamus: nullam omnino Sectarum, quæ Chriſtianæ nuncupantur, cum tamen Chriſti Vicarium ejurent, pervulgatam eſſe per omnes tractus terrarum, & marium: adeoque nulli poſſe tribui ex Diffuſionis Univerſalitate Catholicum nomen.

Dum pervulgatam nego, affirmo, non eſſe ubique Schiſmatis, & Hæreſum Præcones: neque ubique aliquos ex quavis Gente, qui Schiſma, vel Hæreſes amplectantur. Hoc enimverò eſt, protendi Religionem, aut Superſtitionem aliquam ad omnes Populos: omnes videlicet ad illam invitari: eandemque aliquibus, in ſingulis Provinciis in lucem exortis, adhæreſcere. Ceterùm ſi Mercaturæ, vel Militiæ cauſâ, Sectæ alicujus homines per varia Regna fundantur, & ad ipſas navigent Indias, ſuoſque ſecum Errores circumferant; nihil tamen ſoliciti de iis in aliorum animos inſerendis: ac re ipſa nullius in animum eoſdem inſerant: profectò Secta illa per Gentes omnes minimè proferetur. Ne-

Neque verò hæc præloquimur, quia, vel Mercaturæ, vel Militiæ gratiâ, ubique terrarum eſſe Schiſmaticos ſuſpicemur: vel, cum in innumeros Cœtus nunc Hæretici tribuantur, ulli ex iis nomen dantes Mercatores, aut Milites, ubique gentium eſſe, putemus.

II. *Non ſunt ubique Schiſmatis Præcones, aut Aſſeclæ. Plurima vigent inter Schiſmaticos ipſos Diſſidia; ideoque ipſorum Fidei nullatenus adſtrui poteſt Univerſalitas Diffuſionis.*

311 AT ſi vera, cujus naturam explicuimus, Propagatio inquiratur, hæc profectò non contigit Schiſmati. Quis enim Italus, Germanus, Gallus, Hiſpanus, Indus, id conſectatur? Quis in hiſce, aliiſque plurimis Regionibus ad Photii, ac Cerularii Vexillum populos invitat? Sparſos quidem Orientalis Diviſionis Errores per Tertiam Chriſtiani Orbis Partem, alibi affirmavimus, neque a dicto nunc reſilimus, dum, per omnem, inficiamur, Chriſtianum Orbem eſſe diffuſos.

312 Quid, quod, licet magnam Populorum vim ductu Græcorum in Sacris uti, perhibuerimus, ut pateret: quanti Catholicæ rei interſit, Fidei ſuppetias afferre Græciæ laboranti, quia ejus reſipiſcentis Auctoritatem Gentes plurimæ ſequerentur; nihilominus non eadem per Gentes illas omnes vulgatur Secta Schiſmaticorum. Magnum in ipſa Græcia diſcrimen eſſe in Fide proponenda, Primo, atque hoc etiam ipſo Libro ſtatuimus. At multò majus idem diſcrimen eſt in ceteris Provinciis, præſertim quæ Alexandrino ſubſunt, Antiocheno, ac

Hieroſolymitano Patriarchæ. Quot, præter communes Græcorum, Errores aliorum ſe animis inſinuarunt!

Una ergo, eademque penitus, Schiſmaticorum Fides exiguis terrarum finibus continetur; cum contra eadem prorſus Integra, Illibataque Romana Religio populis latiſſimè omnibus communicetur.

III. *Eadem coarctatio intra exiguos fines manifeſtiſſima eſt de quavis Hæreſi. Multò latius propagatæ ſunt noſtræ Religioſorum Familiæ. Plures Ethnicos unus Indiarum Apoſtolus S. Franciſcus Xaverius imbuit Chriſtiana Fide, quam Hæretici, ac Schiſmatici omnes.*

313 DE Lutheri verò, Calvini, Zuinglij, Anabaptiſtarum, Socinatum, Intremiſcentium, aliarumque plurimarum Hæreſum, intra fines terrarum anguſtiſſimos circumſcriptione, multò liquidior evidentia eſt. Quotidie plurimum de infami gloria Impietatis Ducum deteritur, cum ferè ſinguli, qui a *Reformata Religione* ſe nuncupant, Novas in Formas immutare geſtiant traditas Parentibus ſuis ab Errorum Magiſtris credendi Leges. Plurimæ ſunt, quæ neque unam Provinciam penitus occupant, Sectæ: nonnullæ, quæ neque Urbem unam: nec deſunt, quæ neque integram Domum. Et has quiſpiam Catholicas dixerit, hoc eſt Univerſales, quia per Univerſum terrarum ambitum propagatas?

314 Diſertè pronunciare auſim, latius per terras omnes protendi quaſdam Religioſas familias; utque appoſito Exemplo utar, Sanctorum Dominici, Franciſci, Igna-

Ignatii; quàm Schiſma, vel Hæreſim quamlibet. Fit illis quotidie major Locorum acceſſio: decreſcunt iſtæ in dies, vel loco pulſæ, vel ſponte diductæ in plura delyrantium agmina; quo pacto lineæ a Recta diſtractæ in innumeras detorquentur.

315 Neque hìc prætermittenda eſt triumphalis quorumdam Animadverſio: plures videlicet ex Provinciis, Regniſque plurimis mortales, ereptos Cultui Sacrilego Simulacrorum, ab uno tantùm Indiarum Apoſtolo S. Franciſco Xaverio donatos Cælo fuiſſe, quàm Schiſmatici omnes, & Hæretici alios ab Ethnica Impietate revocaverint. Non hìc ſermo inſtituitur de iis, quos, antea Catholicos, Errorum peſte ſuorum infecerint; cum pronum, facillimumque ſit, ex Ardua plurimos abducere ſemita, inque Latam, ac trahentem in præceps, proruere; Prodigium autem cenſeatur, è Florida, & omnia Voluptati indulgente, ad conſitam Spinis plurimos evocare.

SIGNUM XIV.

Neque in futurum ubique ſpargi poſſunt Schiſmata, & Hæreſes.

Non ſolùm effuſæ non ſunt, ſed neque diffundi poſſunt Hæreſes, atque Schiſma, per omnes terras, quia non habent, qui mittant, aut qui mittantur, ad Superſtitionem propagandam.

316 DIffuſum per omnes tractus terrarum Schiſma, aut Hæreſes, eſſe, negavimus. Quid, ſi diffundi porrò in poſterum poſſe, inficiemur? Non eo nunc ratiocinandi tramite ingredimur, ut, vergente, ex plu-

plurimorum ſententia, Terrarum Orbe ad interitum, non eventurum, conficiamus, id, quod huc uſque non contigit, & cujus Initia ferè nulla intuemur. Sed interrogare præſtat Romanæ hoſtes Eccleſiæ, quo pacto, ubique Gentium divulgandam Sectam ſuam, opinentur?

Mitti dicuntur, qui Arcana Fidei mortalibus nunciant: neque ſemel Chriſtus ipſe, *Miſſum ſe*, dixit, a Patre Divino. *Quomodo* ergo, iuxta Paulum, *prædicabunt, niſi mittantur*; At quis hoc legandi Errorum Emiſſarios conſilium inibit? Poſt enatum Schiſma quidam ſolummodo ad Moſchos miſſi feruntur; nam Bulgaris, vocatis ad Chriſtianam Fidem, immeritò Conſtantinopolitani Præſules gloriantur, cum eos ante Photii tempora fuiſſent adepti Nuncii Romani Pontificis. Hic Religionis Magiſter, & Univerſalis Eccleſiæ Paſtor, undique ſpargit Apoſtolicos viros, ut Quarto Libro demonſtrabimus, hanc etiam præter ceteras, quibus patet Apoſtolica, Romanæ Notam tribuentes.

Ceterùm Orientis Præſules aliis profectò, quàm diſtribuendi per Orbem terræ Univerſum Tubas Fidei ſuæ, curis implicantur.

317 Et utcumque hoc conſilium inirent: quod inituros nunquã, aptè infertur ex eo, quòd huc uſque nunquam inierint; tamen cum in ſuam Ditionem Ius Alexandrino nullum eſſe Conſtantinopolitanus arbitretur: nullumque huic in ſuam concedat Alexandrinus: idemque de Patriarchis aliis, imo & quibuſdam Minoribus Præſulibus, compertum ſit: ne per ipſum quidem Orientem eadem unquam opinandi Regula ſtatuetur, niſi, multiplici Capite tandem excuſſo, ſub Unius, ejuſdemque

Re-

Regimen omnia ſe Unius Eccleſiæ Membra recipiant. Numquam ergo Schiſmati continget Anteſignanus, qui Unius, ejuſdemque diffundendæ Fidei ſtudio incenſus, undequaque ſpargat illius Præcones.

318. Idipſum de Multiplicibus Hæreſibus clarius liquet, quarum nulli Sacrum eſt Caput, ſuam tueri, ac prolatare ſatagens umbratilem Religionem. Seculi eædem Principibus parent. An illos autem hæc cura ſollicitet, ut ſuam alii Populi Sectam ſuſcipiant: quos certè ſub Temporalem ſuum Dominatum non proinde venturos, optimè norunt? Omnia ipſi ex humano Regni commodo Decreta flectunt, & huic ipſam attemperant Fidem. Idcirco ſine ullo mortali ſuo emolumento ſubditis ſe profectò Literatis Viris non viduabunt, ut eos ad Sectam ſuam pervulgandam aliò mittant. Sponte quidèm nonnulli Hæreſum Præceptores convolarunt, quò Lucri, aut Licentiæ ſpes illos allexit. Sed hi *Miſſi* non cenſentur, qui Legitimus eſt Character *Evangelizantium*. Quos verò, exempli gratiâ, miſit unquam Daniæ Rex ad ſuam Religionem per Loca Terrarum omnia diſſeminandam?

319. Deeſſe ſtatuimus, qui mittant. Qui verò mittantur? An impliciti frequenter Uxoribus Schiſmaticorum Presbyteri? An Monachi Solitariam vitam profeſſi? An coacti Conjuges ducere, ac filiorum curæ incubantes, Hæreticorum Miniſtri? An huiuſmodi homines Sacras, ad ipſos etiam Indos, Expeditiones ſuſcipient?

320. Cum ergo prædixerit Chriſtus, ac Divino Iurejurando firmaverit, Lucæ 24: *Neceſſe eſt, impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Moyſe, & Prophetis, & Pſalmis de me*: videlicet de ſuæ per omnes Gentes Eccleſiæ Propa-

ga-

gatione, ut ſuperius diſſeruimus: atque hoc ipſum hic Æterna Veritas inculcaverit: *Et ſic oportebat*, &c. & *prędicari Pœnitentiam in nomine eius*, & *Remiſſionem peccatorum in omnes Gentes*: cumque nulla Schiſmaticorum, aut Hæreticorum, Secta ſparſa fuerit, ſaltem ſucceſſu Temporum, aut diffuſa nunc ſit, aut ulla illi ſuppetat ſpes hujuſcemodi diffuſionis: enimverò nulla ex ipſis eſt Vera, & Catholica Chriſti Eccleſia.

SIGNUM XV.

Confeſſio Schiſmatis, & Hæreſis de Veritate Romanæ Univerſalis Eccleſiæ.

Re ipſa Catholicam, quia conſequendæ Sempiternæ Felicitati ſufficientem, eſſe Romanam Eccleſiam, ipſi Hoſtes fatentur: & quia, ſaltem poſt ſuam, Romanam omnibus prętulerunt.

321 EXcuſſi Hoſtes Romanæ Religionis a ſpe Catholici Nominis vindicandi ſibi, eò confugiunt, ut exiguum intra Suam, & Romanam, diſcrimen intercedere, affirment; ideoque ſe quoque conſortes eſſe poſſe nunquam perituræ Felicitatis. Hoc illis effugium præcluſimus, dum Primo Libro oſtendimus: Unam tantummodo eſſe Veram Eccleſiam, extra quam Salus deſperanda eſt: & incaſſum dari convenientiam in Articulis, quos Fundamentales dicunt, ſi quemquam ex iis negant, quos non minor, quia tradita Divinitus, Auctoritas definivit.

Interim ex hac ipſa Confeſſione Adverſariorum inſigne pondus accedit veritati, quam propugnamus Ca-

tho-

tholica enim profectò Eccleſia illa cenſenda eſt, quam non tantùm illius Sectatores, ſed etiam Hoſtes ipſi fatentur, ita ſufficere omnibus ad ſalutem, ut parum ab illâ diſtare dicant Suam, quò aliqua etiam ipſi ſpe Immortalis Regni lactari poſſint.

322 Quamvis autem audaciores alii de ſuæ ſecuritate dubitare minimè videantur; noſtræ tamen quoque certum Veritatis ſuffragium conferre ſolent. Eam præterea ſi poſthabent ſuæ, ceteris tamen omnibus anteferre conſueverunt. Idcirco ſi Turcas interroges: utrum, demptâ Mahometicâ, Romana potior habenda ſit Ethnicorum, aut Hebræorum Sectâ? proculdubio affirmabunt. Noſtram verò certè Iudæi anteferent Ethnicæ, ac Mahometicæ. Quævis autem Hæreſis in alios plerumque Sectarios ferocius, quàm in Romanos invehitur.

323 Imo illud apud pleroſque, ſi ullis præſertim literis tingantur, frequentiſſimum eſt, ut, ſuam ad Vitam hilariter traducendam eſſe aptiorem, fateantur: noſtram verò ad Mortem ſecurius oppetendam.

SIGNUM XVI.

Omne genus Hoſtium nobis ſuffragatur.

Athei, Ethnici, Iudæi, noſtræ Sanctitatem Eccleſiæ conteſtantur. Inſigne de Chriſto Domino Teſtimonium Mahometis, quo Turcę penitus evertuntur. Suffragium a Schiſmaticis, & Hæreticis, tributum Romanæ Eccleſię Veritati.

QUia porrò ſingulorum Sententia explorari nequit; quoſdam è ſingulis inſanientium Claſſibus ad Tri-

bunal vocemus, quorum Iudicium ceteri ſine temeritate detrectare non valeant.

324 Excludendi eſſent Athei, ſummis ceterorum omnium execrationibus appetiti. Neque certè ex ipſis quemquam magni nominis Auctorem audire poſſumus, quia nullus ipſorum inſigni Doctrinæ, aut ullius alterius laudis, famâ inclaruit. Sed hi profectò nihil nobis, præter nimiam Credulitatem, vitio vertunt: faſſi ceteroqui, ne minimum quidem ex noſtra nobis Religione periculum imminere; ſed ſolùm inconſultò nos ipſos fraudare commodis hujuſce vitæ, quam jucundius tranſigere, ipſis opportunius videretur.

325 Plurimas Ethnicorum conteſtationes produxit in medium Tertullianus in Apol. cap. 1. 2. 5. & 6. ſed illam Iunioris Plinii, prudentiſſimi, & ingenioſiſſimi viri, delibare ſufficiat, qui lib. 10. Epiſtolarum ad Trajanum, *Chriſtianos*, ait, *omnia vitia deteſtari, ſanctiſſimèque vivere, & hoc ſolùm in eis poſſe reprehendi, quod nimis facilè pro Deo ſuo vitam profundant, quodque horis antelucanis ſurgant ad canendas laudes Chriſto.*

326 Ioſepho, & Philone Sapientiores poſt Adventum Servatoris noſtri Hæbræi non jactant; ut proinde ipſorum ſententiæ ſtare cogantur. Ioſephus autem lib. 18. Antiquitat. cap. 6. affirmat, *Chriſtum pluſquàm hominem fuiſſe, ac verè Meſſiam eſſe*. Quem verò Librum ſcripſit Philo de laudibus Chriſtianorum, qui ſub Marco in AEgypto vitam trahebant, malignè Magdeburgenſes Centuriatores cent. 1. lib. 2. cap. 3. col. 18. (quaſi, Chriſtianos ipſos eſſe, pudeat) pertexere, dicunt, Præconia Sectæ alicujus Iudaicæ, contra Auctoritatem Hieronymi

nymi Lib. de viris illuſtribus in Philone, Epiphanii Hæreſi 29. Bedæ Præf. in Marcum, Euſebii lib. 1. Hiſtor. cap. 16. Sozomeni lib. 1. cap. 12.

327 Turcis autem quem opponamus Mahometo ſuo præſtantiorem? At hæc Bellua in Alcorano cap. 2. docet, *Chriſtianos ſalvari*: & cap. 4. affirmat, *Chriſtum maximum eſſe Prophetarum*, & *ipſam Dei animam habere*. Paucis autem te nunc compello, Bipedum nequiſſime, & eadem urgeo interrogatione Ioſephum.

328 Prophetam, & communi hominum conditione Majorem Chriſtum fuiſſe, affirmatis. Ergo ipſum Dei filium eſſe, ac eundem cum Patre Deum, & omnia, quæ ipſe mortales docuit, eſſe veriſſima, confitemini. Niſi vim ratiocinationis introſpicitis, nimium veſtræ mentis aciem Natura, vel Malignitas hebetavit. Quo enim pacto *Propheta* ſit, idemque *Maximus Prophetarum*, ſi falſa nunciet? *Pluſquam homo, ac verè Meſſias*, ſi mortales decepiſſet? *Ipſa Dei anima*, ſi, Divinitatem ſibi ipſi arrogans, contra Divinitatem pugnaſſet? Enimverò fuiſſet maximus Impoſtorum, cum de ſe nullus tam magna, ut ipſe, prædicaverit, niſi ejus dictis veritas conſtitiſſet.

Uberrima hìc ultro ſe ingereret argumentorum copia; ſed noſtrum conſilium eſt, Colores tantummodo rerum, aut Fontes, ex quibus promanent aliis Eloquentiæ flumina, indicare. Ex hoc certè ſolummodò Fonte, cordatâ facundiâ præſtans, Divinæque gloriæ ſtudio mirificè incenſus vir, Paulus Segnerus; ex eo videlicet, quod, Sceleſtiſſimum hominum fuiſſe Chriſtum, nullus tradiderit: inſigni Oratione, evincit apertiſſimè, Deum ipſum

Hh 2 eſſe:

eſſe : adeoque nihil ex iis, quæ ipſe pronunciavit, poſſe in controverſiam revocari.

At multò validius hoc ipſum conficitur ex eo,quod *Prophetarum Maximus, pluſquam homo, Meſſias, & ipſa Dei Anima*, fuiſſe perhibeatur. Atque hoc præcipuè populari telo transfigere præſtat, miſerè Mahometem depereuntia, corda Turcarum.

329 Non unus, aut alter,ſed Agmina Schiſmaticorum, imo univerſus Rebellium Exercitus elato in Cælum clamore Veritatem Romanæ Fidei conteſtatur; cum ad illam toties,ut Primo Libro exequuti ſumus,Communi nomine, inque ipſis Generalibus Synodis, reverſi fuerint.

330 Sed unús Magni Agminis inſtar Photius habet, qui, poſt elatum Rebellionis Uexillum, & Romani Auctoritatem Patris audaciſſimè proculcatam,toties ad illum confugit, & ab ejus Confirmatione fulciri ſe in Patriarchali Solio, ſupplicibus Literis, ac Legationibus, flagitavit.

331 Ex Hæreticis, præter Calvinum, qui Inſtitut. cap. 10. §. 17. vocat Bernardum *Pium Scriptorem*: adeoque ipſi, profectò Eccleſiæ Romanæ filio, Veram non abnegat Fidem, ſine qua Pietas eſſe nequit: Melanctonem, qui in Apol. Auguſtanæ Confeſs. Art. 5. & 27. *Sanctos* appellat *Bernardum, Dominicum, & Franciſcum*: quod pariter præſtat Lutherus libro de abroganda Miſſa prope finem: præter Zuinglianos Helvetios, qui, cum poſt plurima prælia pacem cum Catholicis inirent anno 1531. in Articulo 1. Concordiæ ſcribebant: *Se velle deinceps dimittere Confœderatos ſuos quietos circa Veram*

ram, Indubitatam, & Catholicam Fidem ſuam; cum contra Catholici ſcriberent: *ſe velle dimittere Confœderatos ſuos quietos circa Fidem eorum*; cui tamen *Veræ, Indubitatæ, & Catholicæ* nomen minimè tribuerunt: præter hos, inquam, & alios, qui proferri poſſent, innumeros: Teſtis apud ipſos omni exceptione major in arenam prodeat ipſe Lutherus, qui Hæreſim publicè jam profeſſus, in Libro tamen contra Anabaptiſtas, poſt *Verum Baptiſmum, Verum Altaris Sacramentum, Veras Claves ad peccata ſolvenda, Verum prędicandi Officium, Veros Fidei Articulos, Papatui*, ut ipſe loquitur, attributos, ita ſermonem claudit: *Dico inſuper, ſub Papatu Veram Chriſtianitatem, imo Verum Nucleum Chriſtianitatis eſſe*.

Expreſſa omnium Confeſſione Adverſariorum, quid ſupereſt, niſi ut Veriſſimam omnium, & certè Catholicam, ac Univerſalem, eam eſſe agnoſcamus Eccleſiam, quam ſufficere omnibus ad Salutem conſequendam, ipſi hoſtes infenſiſſimi profitentur?

SIGNUM XVII.

Græci fatentur Univerſalitatem Romani Ritus, ad quem frequenter accedunt.

Plurimi ex Gręco Ritu ad Latinum accedentes, cum Latinus nemo tranſeat ad Græcum, Catholicam eſſe Romanam Eccleſiam agnoſcunt.

EX iis, qui ſe intra Sacra S. Baſilii Magni Clauſtra recipiunt, licet Latinis antea Ritibus ali-

qui

qui aſſueverint, non tamen illorum pertæſi ab eis digrediuntur; ſed communes Sanctiſſimæ Familiæ Conſuetudines ſequi jubentur. Idcirco hi diſcedere a Latinorum conſortio nequaquam cenſentur; quin potius in Italia, & Ruſſia, Magnum Romano Pontificatui decus afferunt, ad cujus obſequium alliciunt innumeros: & unus ex iis Ioſeph Velaminus Collegii Græcorum Alumnus, ac deinde Univerſæ Ruſſiæ Metropolita, ferè Tricies Centena Schiſmaticorum Millia revocaſſe fertur ad Ovile Romani Paſtoris.

332 Ineluctabile hujuſce omnium, qui ſemel illam profeſſi ſunt, in Romana Fide Conſtantiæ argumentum eſt, quod nullus omnino reperiendus ſit, qui vel ad alios Baſilii Aſcetas, miſerâ plerumque Inſcitiâ in Schiſmate obduratos, acceſſerit: vel ſtudio Sacros, poſt contractas Nuptias, Ordines ſuſcipiendi ab Orientis Præſulibus voluerit initiari: vel demum, in Clerum adſciri non ſatagens, Latinas cum Græcis Ceremoniis immutaverit.

At quamvis hæ ſint optimæ, atque Sanctiſſimæ, & dummodo qui eis adhærent, in præſtanda decretis omnibus Articulis Fide nobiſcum conſentiant, ejuſdem Romanæ Filii Eccleſiæ cenſeantur: ideoque expediat, ſuis eoſdem in Ritibus conſeneſcere; plurimi tamen ſunt, qui, ſummo quæſita ſtudio, & impetrata identidem facultate, Latino uſurpare more Sacra incipiunt. An non ab his quoque, qui literis plerumque ſunt innutriti, & Pietate inclyti, nobile tribuitur Eccleſiæ Romanæ ſuffragium Univerſalitatis, ideoque Catholicæ Veritatis?

Digitized by Google

SIGNUM XVIII.

Cauſæ, ob quas plurimi nomen dant Romanæ Eccleſiæ illius Veritatem atteſtantur.

Unicum Studium Æternæ ſalutis conſequendæ alliciens cordatos, & Sapientes ex quavis Secta viros ad Romanam Eccleſiam oſtendit, hanc ab illis haberi Catholicam, atque Veram.

333 QUod verò ad illam è Schiſmate, ſervato, vel immutato, Græco Ritu, & ex quavis Hæreſi, aut Secta, frequentiſſima fiat acceſſio a prudentibus viris, incenſis deſiderio conſequendæ Sempiternæ Felicitatis, apertiſſimum eſt. An enim quemquam alliciat Voluptatum, quæ ab integra, hoc eſt Romana, Chriſti Religione interdicuntur, ſitis? Has quidem etiam Schiſmatici prohiberi norunt, nec Hæretici diffitentur; ſed Hæreticorum plerique, deeſſe negant ad compeſcendum, ne iis adhinniat, animum vires, Divinitus etiam indultas.

Num autem Schiſmatis aſſeclæ, qui adepti Opes, & Infulas dominari poſſent in Oriente, ad Paſtorum Principem accedunt, ut Sacris Orientalium ab illo Eccleſiarum Sedibus imponantur, a quo exempti populi recuſant Præſules ab urbe Roma ſubmiſſos?

334 Quis Mahometicam Superſtitionem deteſtatus magnos apud nos honores adeptus fuit, aut porrò adipiſci promeruit, ut horum deſiderio Sacris reliqui aquis tingi præoptent?

335 Hebræi, malè plerumque partas, relinquere ſemper ante Sacrum Lavacrum Opes, jubentur: ut proinde a Cæleſtis tantummodo Regni ſpe ad dandum Chri-

ſto

Digitized by Google

ſto nomen invitentur; quamvis pia illos, alioſque reſi-piſcentes, non deſtituat Liberalitas Catholicorum.

336 Patrimonio ut plurimùm a Parentibus Hæreticis orbantur Filii, qui Romanæ Religioni accenſentur.

Solis luci fulgorem addere inconſultò ſatagimus, dum pluribus urgemus compertiſſimam veritatem: ad Romanam ſcilicet Eccleſiam convolare nullum, cui calcar, & alas, non admoverit Studium immortalis Ævi feliciter traducendi.

In palmari ergo duorum Maximorum Principum Exemplo conquieſcimus, quod etiam ipſum ſolummodo innuimus, cum Triumphales ceteroqui utrique Panegyrici contexendi eſſent: Iacobi videlicet Secundi Magnæ Britanniæ Regis, & Chriſtinæ Alexandræ Suecorum, Gothorum, & Vandalorum Reginæ.

337 Quàm tranquillius traducere ſoles Rex Maximus potuiſſet, ſi Cæli oblitus regnantem apud ſuorum plerosque fuiſſet Hæreſim conſectatus? Quamvis eximia ipſius Prudentia, Magnanimitas, Vigor, Suavitas, aliarumque omnium Regiarum Virtutum Heroica complexio: mirum in modum evehens Felicitatem, & Gloriam inclytæ Gentis; ideoque illorum etiam, qui Cultu Religionis ab illo diſcrepant., animos rapiens: levem Herculeis illius humeris reddat, futuram ceteroqui maximè arduam, Regiminis molem.

338 Quo Reginarum Auguſtiſſimam cultu proſequuti fuiſſent immenſi terrarum tractus, ſi minimè ſollicita Regni immortalis voluiſſet dare populis Iura, qui eam, ſupra ipſum Guſtavum Parentem, propemodum adorabant, æquiſſimis ab illa Legibus temperati, illuſ-

trio-

Digitized by Google

trioribus ſub illa Victoriis potiti, ac majori ſuorum terrore armorum Europam concutientes?

SIGNUM XIX.

Cauſæ recedendi a Romana Fide manifeſtè oſtendunt, ad hanc homines Inſaniam a Tartaro ſolicitari.

Ejurata Romana Fide nullus in Hæreſim proruit, quem, oblitum Cęli, non impellat Opum, Libertatis, Licentiæ, Cupiditas.

339 Ultro apparet, ac eminet, animum quorumlibet a Romana deficientium Eccleſia ab effrænata mortalium rerum cupiditate dementari. Quid ad Schiſma impulerit Photium, Cerularium, alios, ex dictis liquet.

340 De Superbia, Æbrietate, Libidine Lutheri, Calvini, aliorumque Inventorum Hæreſum, nullæ literæ conticeſcunt: & ſuorum dedecora Magiſtrorum, fateri ſæpe illa coactos, Diſcipulos, ut Conradum Geſnerum in Generali Bibliotheca, & Tigurinos Miniſtros, rubore ſuffundunt.

341 Quid Henricum Octavum Angliæ Regem præcipitem egerit, centies eſt ab innumeris decantatum.

342 Eccleſiarum, & ſpectantium ad Eccleſiaſticos viros Opum faciendam impunè Rapinam Illicium fuiſſe pluribus Germaniæ Principibus ad Hæreſim Patrocinio fovendam, pervulgatum omnibus eſt.

343 Serpebant in Gallia recentes Errores; ſed eorum intumeſcentia capita inflarunt, peſtemque plurimis

allaturas fauces efficaci veneno armarunt, Colignii, aliique Principes, robuſtæ Sectæ armis muniri prægeſtientes, ne ad frontem Æmulis opponendam, ac invadendam Dominationis partem, ſibi præſidium, ac vires deeſſent.

344 Neque verò his Auſpiciis natæ non iiſdem Hæreſes retinentur, & quotidie ſuſcipiuntur. Quibus ſe criminibus earum Sectatores ingurgitent, Lutherus exequitur, eoque diſertius Smidelinus.

345 At quos a Romanis caſtris Hæretici transfugas habent? Nempe Vitiis infames, & Supplicium apud nos formidantes: Nempe Sacerdotes ad ſacrilegas Nuptias anhelantes: Nempe Religioſa, quibus Deo ſe devoverant, Sacramenta proterentes.

An non liquet, ab Opum excutiendarum ſtudio, a Libertatis, & Licentiæ vitandæ cupiditate nullum, adeoque nullum a Chriſti, eiuſque Regni amore, ad Hæreſim ſtimulari; omnes verò a mortalium cupidine bonorum ad illam impelli?

Quantacumque ergo, quæ tamen decreſcit in dies, fieret ad illam populorum acceſſio; nullum tamen ex illa erueretur Indicium, quod eam Univerſalem eſſe, ac adipiſcendo Chriſti Regno perneceſſariam, quiſpiam arbitraretur: cum ſecus ex eo, quod quicumque Romanam Eccleſiam amplectitur, ſpretâ brevi periturâ, Sempiternæ ardore Felicitatis incendatur, Argumentum extet, Veram hanc eſſe, & ab Univerſis, ne miſeri perpetuò ſint, neceſſariò ſuſcipiendam.

SIGNUM XX.

Soli Romanæ Eccleſiæ facultas eſt celebrandi Univerſalia Concilia, ideoque ipſa tantùm eſt Univerſalis.

I. *Extra controverſiam eſt, Romanam tantùm Eccleſiam eſſe Catholicam, quia hæc ſolummodo celebrare poteſt Generalia Concilia, quæ Univerſam Eccleſiam repræſentant.*

346 Univerſalem a Generalibus Synodis, Capiti ſuo Romano Pontifici adhærentibus, Eccleſiam repræſentari, omnibus in confeſſo eſt. Hinc ipſarum aliquæ hoc ſibi Cognomen, ſcilicet Cœtus exhibentis Eccleſiam Univerſam, præfixerunt. Et quamvis hujuſmodi loquendi forma non ſemper uſurpetur; tamen ab ipſo Primo Nicæno invaluit perſuaſio Chriſtianorum, eam eſſe Catholicam Chriſti Eccleſiam, cui facultas ſit conflandi Generalia Concilia: inque ipſis cenſeri Univerſam eandem Eccleſiam coiviſſe.

Hanc autem facultatem, cogendi Synodos, ad integrum Chriſtianum Orbem pertinentes, eſſe Romanæ, nullus non videt. Apoſtolica enim Petri Cathedra Præſules invitante, non ex Italia tantùm aderunt, Germania, Gallia, Hiſpania, Britannia, Luſitania, Polonia, Lithuania, Bohemia, Ungaria, atque omnibus Mediterranei, & Oceani Maris Inſulis; ſed ex ipſa Græcia non deerunt Catholici Antiſtites, perinde ac Tridentinæ aliqui interfuerunt.

Suos mittent è Syria Maronitæ: Ægyptii, Palæ-

Digitized by Google

ſtini, Armeni, ac Perſæ ſuos. Feſtinabunt aliqui ex Lybia: &, ſi præſtolari expediat, ex Peruvia, Mexico, novo Granatenſi Regno, Paraquaria, Florida, Braſilia, Canada, Malabaria, Philippinis, Siamo, Sinis: ac ex univerſis demum Utrumque Solem, Orientem ſcilicet, & Occidentem, imo & Septemtriones, ſpectantibus Indiis.

347 Neque hi tantùm, in Una penitus, eademque, hoc eſt Romana, nobiſcum Fide conſpirantes Antiſtites, confluere parati erunt ad Synodos a Summo Pontifice indictas; ſed & ipſi, in quibuſdam a nobis Articulis diſcrepantes, Schiſmatici, (qui Majoris, ut dicunt, Excommunicationis telo non ſaucii, conſidere inter Epiſcopos minimè prohibentur) præſtò eſſent, opinor, ad conveniendum, ſi a Romano per Nuncios, aut Literas invitarentur.

Convenerunt certè ferè ſemper, etiam poſt exortum Schiſma, cum in Occidente Generales Conventus habiti ſunt, ſuoſque in illis Errores depoſuerunt.

Vis eorum magna convolaſſet etiam ad ultimum Tridentinum, ad quem vocati fuerunt, niſi Turcarum eos metus compeſcuiſſet. Hunc certè prætenderunt excuſationis clypeum: quia ſcilicet formidarent, ne Barbari ſuſpicarentur, hæc iniri Comitia Præſulum, ut communi conſilio decerneretur, ſolicitari a ſingulis animorum Paſtoribus creditos Fidei ſuæ populos ad arma contra ipſos Turcas ſuſcipienda: quibus proinde Comitiis ſi Orientis Antiſtites immiſcerentur, in Chriſti Gregem, per Orientem latiſſimè diffuſum, interea Otthomanus non ferenda exactione pecuniæ, carceribus, exilio, & illata plurimis morte ferociſſimè graſſaretur. Hæc Shiſmatici

Pon-

Pontificiis Literis repoſuerunt. Nec ullus fuit, qui Catholicum negaret fore, ac, ſe porrò deteſtari Concilium, diceret, quod Occidentis Patriarcha publicaret; hoc enim, non autem Antichriſti, ut Hæretici plerumque, nomine Romanum Epiſcopum compellant.

Quid, quod, niſi eſſent a Subſelliis excludendi, Neſtoriani etiam, Dioſcoriani, Iacobitæ, aliique Hæretici Epiſcopi, geſtienti ad noſtros Cœtus animo properarent. Compertiſſimum ergo, vel ipſis hoſtibus, eſt, Univerſalem, ideoque Veram eſſe Romanam Eccleſiam, cui ſit Ius Generales ex Univerſo Orbe Chriſtiano Synodos convocandi.

II. *Non ſine inſania vindicare ſibi poſſunt Schiſmatici, & Hæretici, facultatem cogendi Synodos Univerſales.*

348 QUàm verò perperam Ius idem Sectarum aliqua jactet (ſi tamen ulla eſt, quæ huc inſaniæ devenerit, ut muſſitare audeat, hanc ſibi facultatem adeſſe) liquet ex Magiſtra rerum Experientia, cum hucuſque nulla Synodum Generalem coegerit: & conſtaret ex Facto, ſi ulla communiter habendum Congreſſum indiceret; pauciſſimi enim, & ex paucis profectò Regionibus, ad illum accederent.

Inſtituendum Concilium indicat Conſtantinopolitanus Patriarcha. Quis ad illud ex Italia, ex aliis ſupra recenſitis Occidentis, & Indiarum Regionibus, quis pedem domo efferet Præſul?

349 Neque ipſi fortaſſe omnes ex Oriente adèſſent: aut Conventum profectò plurimi detrectarent, ſi, præter

Pri-

Primum Sedis honorem, Ius etiam in alios Bizantinus arrogare ſibi, occaſione Synodi, moliretur.

350 Quæ verò celebrari queunt Generalia Hæreticorum Colloquia, ſi eorum Sectæ in plurimas, imo verius innumeras, abeunt? Qui ad illa, ſi forſitan, invitis Superis, haberentur, ex Orbe toto confluerent Præſules, cum ne vulgares quidem ullius Sectæ homines ſint per totum Orbem diffuſi? Cum vix ulli Sectarum ſint Pſeudoepiſcopi, iique in paucis omnino Provincijs? Cum una Sectam aliam execretur, & fruſtra ſæpius quæſitâ, jamque deſperatâ inter Dracones Concordiâ, unaquæque nunc vitet alterius Conſortium?

Semel quidem, cum ſpes pacis ineundæ affulgebat, convenere Smalchaldiæ, profeſſi varias Hæreſes Principes, &, quos vocant Divini Verbi Miniſtros; cum tamen ſint ejuſdem Adulteratores, ac Satellites Tartari. Sed qui Generalis Concilii nomen tribueret Colloquio illi: ad quod Antiſtes nullus, nullus ex reliquis Regionibus, nec Profani quidem ex univerſa Germania homines convenere, riſu, ac ſibilis exciperetur.

Una ergo Romana Eccleſia coegit ſæpius, & conflare nunc etiam poteſt, Synodos Univerſales; ideoque ipſa tantùm Catholica Eccleſia Chriſti habenda eſt.

Digitized by Google

SIGNUM XXI.

Romanus Pontifex manifeſto Iure dicitur Epiſcopus Eccleſiæ Univerſalis:

I. Compertum eſt, Univerſalis Eccleſiæ Epiſcopum optimo Iure dici Romanum Pontificem: ac primò agitur de Triplici ejuſdem Munere, Romani ſcilicet Epiſcopi, Patriarchæ Occidentis, & Pontificis Maximi: quorum duo ex Petri Arbitrio profluxerunt, Tertium a Chriſti Domini Inſtitutione.

351. TRiplex ab ipſo Chriſti Eccleſiæ naſcentis initio cognitum ab omnibus fuit Munus in Petro: ex quibus duo ab ipſius Arbitrio pependiſſe, communis opinio eſt; Tertium verò a Divina Inſtitutione manaſſe, Sanctiſſima eſt Catholicorum omnium Fides. Primum videlicet, quo, Antiochiâ Romam translata Sede ſua, peculiarem ſuſcepit hujuſce urbis cuſtodiam. Alterum, quo, miſſo Alexandriam Marco, Evodioque jam ante traditâ Antiochiâ, quas eſſe voluit Principes, utque tunc dici cœperunt, Patriarchales Africæ, Aſiæque Cathedras, a ſe ut Supremo Hierarcha per Alexandrinos, & Antiochenos Præſules adminiſtratas: præcipuam ipſe quandam ſuſcepit curam Europæ.

Hæc, inquam, duo a Petri profectò Arbitrio profluxerunt; nam quamvis Epiſcopalis Auctoritas a Chriſto Servatore prodiiſſet, nulla tamen Sacris in Literis Indicia extant Auctoritatis, qua unus aliis Præſulibus Divinitus præferatur: præter demandatam ipſi Petro Ovilis Univerſi Cuſtodiam.

Num

Num verò peculiari aliqua Revelatione, aut Imperio Cæleſti (quod nonnulli affirmant) Romanam præcipuè Sedem Apoſtolorum ſibi Princeps elegerit: vel potius Divinâ quidem afflatus aurâ, ſed non impulſus a dilucidè ſibi declarato Sempiterno Decreto (quod plerique opinantur) Romana Solium in urbe conſtituerit: nihil attinet, definire.

Illud certò conſtat apud ſynceram Chriſti Religionem profeſſos: nullis incluſam finibus animorum Præfecturam deſponſam primò a Servatore noſtro fuiſſe Petro, cum, *ſupra Petram illam ædificandam Eccleſiam*, dixit: *illique Viro tradendas Claves Immortalis Regni. Neque aliud in Cælo ratum habendum*, Leonis Magni verbis utor, *quàm quod Petri ſediſſet Arbitrio*: Eandem verò, quam, ſe daturum Petro, promiſerat in omnium Chriſtianorum animos Poteſtatem, re ipſa eidem contuliſſe, cum dixit: *Paſce Agnos, paſce Oves meas*: Atque in idem Ius paſcendi Univerſum Chriſti Gregem ſuccedere, qui eidem Petro in Epiſcopatu Romano ſuccedunt.

Triplici huic Petri, ac Succeſſorum, Muneri Triplex reſpondet, frequentiſſima in Conciliis, & Patribus, Nomenclatura: *Romani* ſcilicet *Epiſcopi*, *Occidentis Patriarchæ, ac Papæ*: quæ vox, a lactentibus etiam filiis tribui olim Patribus aſſueta, idem ſonat, ac Communis animorum Pater: &, præter ceteras, idem ſignificantes, Appellationes, illa etiam invaluit, *Univerſalis Epiſcopi*, ſeu potius *Epiſcopi Eccleſiæ* Univerſalis.

Hujuſce præclari Nominis, jure Romano Præſuli attributi, Vindiciæ plurimùm confirmant, quam nunc expendimus, Romanæ Univerſalitatem Eccleſiæ. Univer-

verſalis enim profectò erit, ſi præſit eidem Antiſtes, Univerſæ Paſtor Eccleſiæ meritò nuncupatus.

II. *Triplex Claſſis impugnantium Nomen Epiſcopi Univerſalis Eccleſiæ; videlicet Hæreticorum: negantium, Pontificem præſtare Conciliis Generalibus: ac metuentium, ne Unicus ipſe ſit cenſendus Epiſcopus.*

CONtra Vetuſtiſſimum hunc,ideoque præſcriptum, & ab,illum uſurpantium,Sanctiſſimorum Pontificum, Synodorum, ac Patrum Auctoritate conſecratum, loquendi morem Triplex Impugnatorum genus inſurgit. Omnium Primi Hæretici ſunt, qui vel omnino negant, præcipuum quidquam Petro ab Auctore humanæ Salutis ſupra ceteros Apoſtolos attributum: vel ad Occidentales, aut etiam Suburbanas, Regimen Petro concreditum Eccleſias coarctant.

Secundi, qui,nihil Catholicæ Fidei repugnare, putant, ſi Generalia Concilia Romanis Pontificibus, anteferantur. Hi verò metuentes, ne, ſi Univerſalis idem Eccleſiæ appelletur Epiſcopus, ipſi etiam in Conciliis coactæ antecellere videatur Eccleſiæ,non amant hujuſce Cognominis Amplitudinem; cum tamen,ad Chriſtianorum omnium, ſeorſum acceptorum, animos Sacrum Pontificis Maximi Ius protendi, non inficientur.

Tertii, atque ipſi quidem pauciſſimi, qui, congruitate ipſa Nominis in dubium non revocata, metuere tamen ſe dicunt, ne illius uſurpatio innuat, Romanum tantùm verè Epiſcopum eſſe: perinde ac ſi *Univerſalis* idem ſignificaret, ac *Unicus*: vel ſaltem dubitare, ne ſubnaſci

Digitized by Google

poſſit opinio: ita illum cum ceteris Antiſtitibus comparandum eſſe, ut cum Generalibus Vicariis ſuis quilibet Epiſcoporum confertur; ideoque, ſicut ad Arbitrarium Epiſcopi nutum loco moveri Vicarius poteſt, ita queat ad Arbitrium Romani everti a Solio quilibet Præſulum, nullius culpæ reus.

III. *Titulus Univerſalis Eccleſiæ Epiſcopi, tributus Romano ab aliis Conciliis, adhibitus non fuit a Tridentino, quia Pius ipſe Pontifex juſſit, Quæſtionem abrumpi. Cæterùm Synodus parata erat ad Romanum hoc Nomine compellandum: & uſa fuit formis loquendi, & modo agendi, adjudicante eidem Præfecturam Univerſalis Eccleſiæ, ipſis etiam Conciliis antecellentem, ex Confeſſione Petri Suavis.*

HÆ quidem a Secundis, ac Tertiis allatæ Cauſæ moram in Tridentino Concilio injecerunt, ne, cum ageretur de Poteſtate Epiſcoporum, ultro hujuſmodi Vocabula cum plauſu ab omnibus ſuſciperentur, aliarum Synodorum veſtigiis inhærendo.

351 Sed & ad illa excipienda paratiſſimos pleroſque Patrum fuiſſe, ipſe omnium infenſiſſimus hujus Concilii, ac Veritatis, hoſtis Petrus Suavis fatetur. Ea verò ſtatuuntur in Synodis, quæ rata eſſe volunt Patrum plerique. Idcirco hujus etiam Concilii Decreto firmandum fuit, quod cetera, ex Divina Chriſti Domini Inſtitutione manaſſe, profeſſa fuerant: neque alia declarationem hujuſmodi remorata eſt cauſa, quàm quòd Pius Pontifex noluit, Patres ire in ſuffragia, dum refragaturos quoſdam animadvertebat Amplitudini Nominis; cum tamen de

Re

Re ipſa, ſcilicet Plena Univerſalis Regiminis Poteſtate ſibi collata Divinitus, nullus ambigeret.

353 Et profectò non ſolùm ex aliis Concilii Tridentini Decretis manifeſtè liquet, cognitum ab illo fuiſſe Pontificium Ius omnes Chriſti Oves paſcendi; ſed etiam eruitur Præſtantia ſuper ipſas Generales Synodos, ex coacta confeſſione Suavis. Imo manifeſtè conſtare videtur ex Facto, cum Pontificem, ut ſuum Caput, ac Directorem, Synodus illa veneraretur.

354 Antequam verò hæc Achillis haſta nobis è manibus elabatur: expreſſa videlicet a Suavi confeſſio, quod plerique Patrum Appellationem *Epiſcopi Univerſalis Eccleſiæ* Romano congruere aſſeveraverint; audire velim ex Impugnatoribus Pontificiæ Monarchiæ: qua fronte omiſſam a Tridentino hujuſmodi Declarationem jactent? Enimverò, cum ex omnium Synodorum, imo Comitiorum quorumlibet, etiam Profanorum, conſuetudine, ipſoque rationis ductu, ſita ſit in Pleriſque, non in Paucioribus, facultas decernendi: ſi quæſitæ ſententiæ fuiſſent, prodiviſſet Decretum Pontificiæ Poteſtatis Uniuerſalitati, per Ampliſſimæ Appellationis prærogatiuam, adſtipulatum.

An ita loquutos, non autem ita opinatos, metu correptos Epiſcopos, affirmabunt? At, præter Calumniam, quam iis inferunt, ignobilis animi, ac veritatem prodentis, interrogo: an majori pleroſque Patrum afflare metu poſſet Romanus Præſul, è cujus Temporaria Ditione non plurimi Epiſcopi Synodo intererant: an Cæſar, & Maximi Reges, quorum in Concilio Legati variis de cauſis magis ipſorum Epiſcoporum, quàm Antiſtitum Summi, Iuriſdictioni favebant?

 IV.*Re-*

IV. *Reſpondetur Triplici Claſſi impugnantium Nomen Epiſcopi Vniverſalis Eccleſiæ : ſcilicet Hæreticis : & opinantibus, Generales Synodos non ſubeſſe Pontifici Maximo , quorum Opinio , acerrimâ Cenſurâ digna , nihil certè ſuffragatur Hęreticis , execratis Univerſalitatem Romanę Eccleſię : ac demum aufertur omnis anſa dubitandi iis , qui metuunt, ne Romanus cenſendus ſit Unicus Epiſcopus.*

355 IAm verò ut ad Triplex illius , de qua loquimur, Nomenclaturæ Impugnatorum genus regrediar: Hæreticorum Inſaniam , non ipſum ſolummodo Nomen , ſed & Rem inficiantium , dum intra Occiduas, aut etiam Suburbanas Eccleſias coarctant Regimen Romani Pontificis, ſatis labefactant ea ferè omnia, quæ in Primo , inque hoc Tertio Libro ſumus exequuti , quæque porrò mox exequemur . Quid verò ad , celebrata ab ipſis Gregorii Magni verba (hoc *Univerſalis Epiſcopi*, ut Lutherus , & Calvinus affirmant , nomen horrentis) ſit reſpondendum , ſtatuemus , poſtquam egerimus de audacia Conſtantinopolitani Præſulis , quam evertere connifus fuit Cæleſti ſua Moderatione Gregorius; nihil tamen Sedis Apoſtolicæ atterens decus .

356 Illis , qui ab Univerſalis Epiſcopi Appellatione Pontificiam ſupra ipſas Generales Synodos Præfecturam eruendam eſſe , formidant , ſolicitudinem poſſet expungere uſurpata a pluribus Conciliis hujuſmodi loquendi forma, ut mox oſtendemus : ipſam etiam opportuno loco formidinis cauſam ſublaturi , cum , anteire Conciliis Maximum Præſulem,dilucidè, Auſpice Numine,

ne, comprobabimus in Opere de Conciliis,cujus hìc ſpecimen dabimus, de Nicæno agentes, ac Sardicenſi.

357 Interim autem innuimus: nihil ex hac,vigente adhuc inter Catholicorum aliquos, Controverſia plaudere ſibi Schiſmaticos,aut Hæreticos poſſe;cum Catholicorum nullus dubitet de protenſa ad ſingulos Chriſti nomine conſecratos, & in Generalibus Epiſcoporum Cętibus non coactos, Pontificia Poteſtate: adeoque nèmo invideat Romanæ Veritatem Univerſalis, & Catholicæ Eccleſiæ, cui præſit Antiſtes Antiſtitum omnium, peculiari ſuo Gregi præſidentium,Moderator: & in Conciliis omnium Antiſtitum Maximus;licet ipſis Univerſalibus Conciliis, ex horum, nullatenus probabili, ſententia, nequeat Leges imponere.

358 Tertiam demum dubitantium Claſſem facili negotio in tutum quietis portum revocabimus, ſi decernamus: potius expedire, ut Romanus dicatur *Epiſcopus Eccleſię Univerſalis*; quàm ut, omiſſo Eccleſiæ nomine, appelletur *Epiſcopus Univerſalis*. Si, plerumque ſaltem,Primus loquendi modus adhibeatur: & Secundo, cum forte uſurpatur, eandem ſolummodo, quæ Primo ineſt, vim ineſſe,compertũ ſit:nulla poterit oboriri ſuſpicio, ne *Unicus* ipſe Epiſcopus cenſendus ſit; potius enim Expreſſio *Univerſalis*, cui præeſſe ipſe declaratur, *Eccleſię*, indicare videtur *Particulares Univerſali* reſpondentes, quibus alii ſimul cum ipſo præſunt, *Eccleſias*. Qua verò conſequutione ex illa Nuncupatione inferatur,quod alii quoque Ordinaria Poteſtate non polleant: quodque loco moveri pro ipſius Arbitrio poſſint, ut Vicarii ab Epiſcopo, licet nulla commiſſi Criminis ſuppetat Cauſa: profectò non video.

V. *Au-*

V: *Auctoritate Chriſti Domini juxta Interpretationem Generalium Conciliorum, Maximorum Pontificum, Sanctorum Patrum, & Univerſę Eccleſię, oſtenditur, Epiſcopum ejuſdem Univerſalis Eccleſię dicendum eſſe Romanum.*

359 VT autem, difflatis nebulis, aperta Solis claritas fulgeat, Iura, hujuſce Nominis Veritatem vindicantia, delibemus. Quem *Paſtorem ſuis omnibus Agnis, & Ovibus excubare*, decrevit Chriſtus, omnium Epiſcopum dicere, metuemus?

369 Non dubitavit certè Chalcedonenſe Concilium Generale, in cujus Act. 3. contradicente nemine, lectæ ſunt tres Græcorum Præſulum Epiſtolæ ita inſcriptæ: *Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Univerſali Archiepiſcopo, & Patriarchę Magnę Romę Leoni.*

361 Non dubitavit Lugdunenſe ſub Innocentio Quarto, quod & *Univerſalis* Nomine uſum fuit, &, nihil coarctato vocabulo, dixit: Romani Præſulis eſſe Munus *Paſcere Domini Gregem.*

362 Non dubitavit Florentinum, quod, Romano Pontifici *plenam a Chriſto Domino Poteſtatem in Petro traditam fuiſſe, dixit, Paſcendi, Regendi, & Gubernandi* Univerſ*alem Eccleſiam: atque, id ipſum in Actis aliorum Oecumenicorum Conciliorum, declaratum fuiſse,* affirmavit.

363 Sanctiſſimi non dubitarunt Pontifices, qui ſe, *Catholicæ Eccleſię Epiſcopos*, frequenter dicunt in Diplomatum fronte.

364 Adeo

Digitized by Google

364 Adeo verò de hujus congruitate Nominis non hæſit incertus doctiſſimus, idemque Sanctiſſimus Epiſcopus, & Martyr Cyprianus (innumeros autem, illi ſuffragatos non abſimili Uſurpatione, Orientis Epiſcopos, & Patriarchas prætermittimus) ut illius etiam uſum neceſſarium eſſe putaverit; nam reſipiſcentes Hæreticos, non ante in Eccleſiæ ſinum recipiebat, quàm confeſſi fuiſſent: *Cornelium eſſe Paſtorem Catholicę Eccleſię*: quibus verbis addi, majoris claritatis gratiâ, jubebat: *Ideſt, Univerſalis.*

365 Ipſa demum de hoc non ambigit Univerſalis Eccleſia, quæ, *pręeſſe ſibi*, Sacras ad Aras dicit, Romanum Antiſtitem per ea verba: *Deus omnium fidelium Paſtor, & Rector Famulum tuum Innocentium, quem Paſtorem Eccleſiæ tuę præeſſe voluiſti, propitius reſpice.*

Digitized by Google

SIGNUM XXII.

Idem oſtendunt multiplicia Nomina, tributa Summis Pontificibus a Conciliis, & Sanctis Eccleſiæ Patribus.

Ex aliis Nominibus idem ſignificantibus: videlicet Papę, ſive Patris Patrum, Paſtoris, Rectoris, Cuſtodis, Sponſi, Capitis, Magiſtri Eccleſię, ac Vicarii Chriſti: attributis Romano Pontifici: ex illius Regimine ultro ſuſcepto ab Univerſa *Eccleſia, ipſiſque Generalibus Synodis: & ex Titulis Certo Pontifici decretis ab eadem Conſtantienſi: apertiſſimè demonſtratur Pontificium Ius ad Nuncupationem Epiſcopi* Uni*verſalis Eccleſię.*

AT quo pacto Sancta cum Patribus,& Conciliis,Eccleſia Nominibus hiſce Romanum Pontificem compellare formidet, ſi alia, idem ſonantia, frequentiſſima ſunt apud eoſdem Patres, atque Concilia?

366 Neque illa tantùm,quæ Primas ipſi deferunt in Una Eccleſia partes: ut *Papę*, ſive *Patris*, attributum a communi ſenſu Chriſtianorum, ab ipſis Eccleſiæ incunabulis; nam S. Ignatius Martyr: *Cum eſſes*, inquit, *Romæ apud Papam Linum. Summi Pontificis*,a Sexta Synodo, Gregorio Magno, Hieronymo, Bernardo, Anſelmo, aliiſque: *Sacerdotum Principis* ab Epiſt. Theodoſii ante Chalcedonenſe Concilium, a Sexta Synodo, & iiſdem Gregorio,Anſelmo,Bernardo: fruſtra ringente Calvino, qui Canonem 26. Concil. Carthag. 3. loquentis de Primatibus Africæ,quibus hæc Appellatio interdicitur,ſtolidè ad Romanos detorquet. Sed

Sed etiam alia, quæ Univerſalis Eccleſiæ Regimen ipſi diſertè adjudicant. 367 Ut cum Univerſæ *Fundamentũ* a Hieronymo dicitur Damaſus Epiſt. 1. 368 *Paſtor Ovilis Dominici* Siricius ab Ambroſio Epiſtol. 81. 369 Et ab eodem Damaſus *Rector Domus Dei* in 1. Timoth. 3. 370 *Vineę Cuſtos* Leo a Chal. Concilio in Epiſt. ad eundem: idemque ab eodem Concilio Act. 16. 371 *Univerſalis Eccleſię Papa*, ſcilicet Communis omnium, etiam Præſulum, Pater. Et diſertè quidem 372 *Pater Patrum* appellatur Damaſus a Stephano Archiepiſcopo Carthaginienſi in Epiſt. ſcripta nomine Trium Africæ Conciliorum. 373 *Pontifex Chriſtianorum* apud Arianum Euſebium in Chronico Anni 44. 374 *Chriſti Vicarius* a Bernardo lib. 2. de Conſid. & a Lugdunenſi Conc. ſub Gregorio X. ut habetur in 6. Tit. de Elect. Cap. Ubi periculum: ibique pariter dicitur *Eccleſię Sponſus.* 375 *Caput Eccleſię* a Chalc. Conc. in Epiſt. ad Leonem: a quo etiam Act. 1. Romana Eccleſia dicitur *Omnium Eccleſiarum Caput.* In quæ duo ultima *Capitis, & Sponſi* Nomina miſero livore Calvinus invehitur; neque enim quidquam Divinæ Chriſti Domini gloriæ detrahitur, ſi, præter ipſum (præcipuum ſcilicet Caput, ac Sponſum exemptum oculis) ipſius etiam Vicarius Adſpectabile Caput nuncupetur: 376 Ac demum *Pater, & Doctor omnium Chriſtianorum*, a Florentino Concil. Seſs. ultima: quo pacto ipſa Romana Eccleſia vocatur *Mater, & Magiſtra omnium Eccleſiarum* a Lateranenſi ſub Innocentio 3. Cap. 5.

Quidni ergo *Univerſalis* etiam *Eccleſię* dicatur *Epiſcopus*, qui Univerſæ ſit *Pater*, *Paſtor*, *Cuſtos*, *Re-*

ctor, Sponſus, Caput, Pontifex, & Magiſter, ipſiuſque Chriſti Vicarius?

377 Quid, quod perperam detrectatur *Nominis* uſus, ſi pronis *Res* ipſa, ſubjecta Nomini, ulnis excipitur. Omnes autem Catholici, imo & ipſa Generalia Concilia, ultro Romani Pontificis Regimen perpetuò admiſerunt, ut in optimo lumine ſtatuemus.

378 Quid, quod ab ipſo Conſtantienſi collatæ fuerunt Certo, & Indubitato Pontifici appellationes 379. *Chriſti Vicarii, Succeſſoris Petri, Eccleſiæ Dei neceſſarii,* 380. *Paſtoris Ovium Chriſti* 381 *Omnium Chriſtianorum Magiſtri, & Epiſcopi Univerſalis Eccleſiæ: Romanę verò Eccleſię nomine vel intelligi Univerſalem, vel omnibus aliis pręſidentem Eccleſiam*, idem Concilium definivit: a quibus loquendi formis eruemus, ipſis Generalibus Synodis anteferri, ac Errori obnoxium non eſſe in declaranda Fide, Romanum Pontificem.

Interim ſtatuto Iure, quo manifeſto *Epiſcopus Univerſalis Eccleſię* Romanus Pontifex appellatur, ſufficiat, aliquo fulgore ipſius Romanæ Eccleſiæ Auctoritatem (quę Auctoritas una eſt ex præcipuis Teſſeris Verę Fidei) circumfudiſſe: qua, niſi fallor, luce Adverſariorum oculi non leviter perſtringentur.

SI-

Digitized by Google

SIGNUM XXIII.

Portentum eſt, quod Univerſalem ſe nuncupet Patriarcha Conſtantinopolitanus.

I. *Nullo penitus Iure* Oecumenici *Nomen ſibi vindicat Patriarcha Conſtantinopolitanus. Ac primò agitur de Origine illius Eccleſiæ ſubiectæ Metropolitæ Heracleotę: ac nullo peculiari bonore inſignitæ a Concilio Niceno: & nullum Dignitatis Incrementum adeptæ, etiam poſt conſecratam eam Urbem a Conſtantino, ſub ipſis Hęreticis, & ſuperbiſsimis Cæſaribus, Conſtantio, ac Valente.*

QUod hac *OEcumenici*, hoc eſt *Univerſalis*, Patriarchæ Appellatione intumeſcere cœperint Antiſtites Conſtantinopolis, iis Portentis rerum acceſetur, quæ nunquam exoritura in lucem, neque porrò exoriri poſſe, quiſpiam arbitratus fuiſſet, antequam exorta conſpexerit.

382 Arrogantiæ certè Prodigium eſt, quod, non modo ſupra omnium Orientis Præſulum capita inſilierit, Primam in Conciliis Sedem uſurpando; ſed & in omnes, ſaltem Orientis Eccleſias Iuriſdictionem jactaverit, Æqualis primò Romano dici ambiens, ac mox, illo excuſſo, Unicum Eccleſiæ Hierarcham ſe nuncupans, Bizantinus Epiſcopus: qui uſque adeo nulla Chriſti Divina, imo nec Apoſtolica, Inſtitutione prælatus aliis fuit; ut per annos ſupra Trecentos Heracleotæ Metropolitano

Digitized by Google

ſubjectus fuerit : 383 Nullo præ ceteris honore affectus a Sacroſancta Nicæna Synodo, quæ Petri Arbitrium venerata confirmavit Patriarchalium Sedium prærogativas : vocato ſolùm in conſortium ampliſſimi Nominis, non autem Poteſtatis, Hieroſolymitano; relicto autem ſine ulla illuſtri Nomenclatura Epiſcopo Urbis, jam tunc Cæſareæ, & a Magno Conſtantino appellatæ.

384 Neque verò hic ſolùm Religioſiſſimus Princeps, aliique Catholici Cæſares; ſed nec Hæretici, ac Superbiſſimi, Conſtantius, & Valens, per annos ſupra Quinquaginta poſt conſecratam Conſtantinopolim, ſuumque ea in urbe Solium conſtabilitum, conqueſti ſunt, quòd Regiæ Civitatis Præſul eo fulgore Nominis, & Poteſtatis, non inclareſceret, quo Alexandria ſuperbiret, & Antiochia, quarum neutra erat Sedes Imperii.

385 Quàm ergo ineptè ſomnient aliqui, Patriarchalem Dignitatem, imo, ſi Superis placet, ipſam etiam Sacræ Univerſalis Præfecturæ Cathedram, annexam eſſe Urbi Cæſareæ, liquet ex ipſorum placitis Imperatorum: qui, licet Ario addictiſſimi, nullum tamen Antiſtiti Conſtantinopolitano adſtruere honoris Incrementum conniſi fuerunt; ſed omnem, licet fruſtra, lapidem moverunt, ſuæ ut ad Hæreſis Confirmationem pertraherent Romanum Pontificem, quem, Unicum eſſe Sacrum Chriſtianæ Reipublicæ Moderatorem, confitebantur.

386 Liquet etiam ex communi Chriſtianorum Sententia, qui perpetuò eodem in honore habuerunt Romanum Epiſcopum, quamvis Româ digreſſi Cæſares alibi imperaverint.

II. *Nul-*

III. *Nullum Ius oritur Conſtantinopolitano Antiſtiti ad Appellationem* Univerſalis, *imo ne Patriarchę quidem, a jactatis Decretis Secundę, & Quartę Synodi. Expenditur præcipuè abſurdum Initium intruſi ab Anatolio Canonis Chalcedonenſis.*

387 SUrreptitium fuiſſe Canonem Primi Conſtantinopolitani Concilii, ex quo illius urbis Præſuli auctum decus fuiſſe, fertur: ac poſt abitum Sanctorum Gregorii Nazianzeni, ac Nyſſeni, aliorumque illuſtrium Præſulum, intruſum ſub Nectario, nuper Cathecumeno, & Aulico: alibi innuimus; in Opere autem de Conciliis apertiſſimè demonſtramus, aut editum nunquam fuiſſe, aut quia non ſancitum legitimè, ac rejectum a S. Damaſo Pontifice Maximo, nullo in pretio fuiſſe habitum ante Synodum Chalcedonenſem: neque ſolùm a Magno Chryſoſtomo contemptum penitus; ſed nec illius robore niſum Anatolium, cum maximè Primatus ambitu æſtuaret, quem proinde, adjudicari ſibi Chalcedone, laboravit.

388 Iam verò ipſa, quibus plurimùm Schiſmatici fidunt, Chalcedonenſis Decreti verba expendentes, non ſolùm (ut alii huc uſque Scriptores animadverterunt) ea ſcripta fuiſſe dicimus poſt digreſſos a Concilio illius Præſides, Legatos Romani Pontificis, & Marcianum cum Iudicibus Imperatorem: & contra illa deinde proteſtatos eoſdem Nuncios Magni Leonis: Cæleſtique contra eadem rugitu ab Arce Vaticana ipſum Leonem inſurrexiſſe; verùm etiam, nullam ex iis verbis anſam, ad *Oecumeni-*

ni-

nici Titulum Conſtantinopolitano Præſuli tribuendum, ſuppeditari, affirmamus.

Hujuſmodi ſunt verba 28. illius Chalcedonenſis Canonis (qui non extat in Manuſcriptis Græcis Codicibus a Romana Conciliorum Editione conſultis, nec etiam in Latinis pervulgatis, aut aliis Dionyſii, & Iſidori Collectionibus) ex recenſione Balſamonis, Zonaræ, aliorumque Græcorum, nullam profectò ipſis vim adimentium: *Sanctorum Patrum Decreta ubique ſequentes, & Canonem, qui nuper lectus eſt, Centum, & Quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes, eadem quoque & nos decernimus, ac ſtatuimus de Privilegiis Sanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis Novæ Romæ. Etenim Antiquæ Romæ Throno, quòd Urbs illa imperaret, jure Patres Privilegia tribuerunt. Et eadem conſideratione moti Centum Quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi Sanctiſſimo Novæ Romæ Throno* Æqualia Privilegia *tribuerunt, rectè judicantes, Urbem, quæ, & Imperio, & Senatu ordinata ſit, & Æqualibus cum Antiquiſſima Roma Privilegiis fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus ac illam, extolli, ac magnifieri* Secundam poſt illam exiſtentem; *ut & Ponticæ, & Aſianæ, & Thraciæ Diœceſis Metropolitani* ſoli: *præterea Epiſcopi prædictarum Diœceſum, quæ ſunt inter Barbaros, a prædicto Throno Sanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ordinentur: unoquoque ſcilicet prædictarum Diœceſum Metropolitano cum Provinciæ Epiſcopis Provinciæ Epiſcopos ordinante, quemadmodum Divinis Canonibus eſt traditum: ordinari autem, ſicut dictum eſt, prædictarum Diœceſum Metropolitanos a*

Con-

Digitized by Google

Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, convenientibus de more factis Electionibus, & ad ipſum allatis.

Quæ hic *OEcumenici* nominis uſurpatio? Quæ hinc ad illud invadendum Conſtantinopolitano Præſuli Iura naſcuntur?

389 Quæ ad ipſam *Patriarchæ* compellationem, cum *Archiepiſcopus* tantùm a Concilio dicatur: neque Patriarcha neceſſariò appellandus ſit, qui cæteris præferatur; cum contra tributus a Nicæno fuerit Patriarchæ Titulus Hieroſolymitano, relicto ſub Iuriſdictione Metropolitæ Cæſaræenſis?

390 Quod autem, ad Canonem hunc tumultuario impetu ſanciendum, impulſi Præſules fuerint ab ambitione Anatolii: abuſi occaſione vacantis tunc, & paulò ante ab Hæreſi Dioſcori dedecoratæ, Sedis Alexandrinæ, cui præcipuè injuria inferebatur: vel ex ipſis Canonis verbis apertiſſimè conſtat; hæc enim (contra dignitatem Ampliſſimi, & in declaranda, quod ante præſtiterat, Fide Sanctiſſimi Cœtus) Abſurdis, Falſis, & inter ſe Pugnantibus, Sententiis ſcatent.

Quid abſonum magis Exordio illo poteſt excogitari, quo, *ubique ſequuturos ſe* profitentur *Sanctorum Patrum Decreta*; cum tamen Nicænorum (Sanctorum, opinor) Decreta Patrum evertere molirentur: quia honoris, & Poteſtatis plurimum detracturi erant Alexandrino, & Antiocheno, eorum Ditioni ſubtractas Provincias Conſtantinopolitano ſubiicientes?

Digitized by Google

III. *Conferendo invicem verba vtriuſque Canonis, multipliciter oſtenditur, Abſurditas, Falſitas, & Repugnantia, quæ in Secundum irrepſit: & evidenter demonſtratur, nihil aliud ex utroque Decreto erui poſſe, niſi ut Conſtantinopolitana Sedes* Secunda *ſit poſt Romanam. Evincitur manifeſtiſſimè, Primatum Romanæ attribui non poſſe Dignitati Urbis Cæſareę.*

391 AN ad Centumquinquaginta ſolummodo Patrum Decreta reſpici a Proœmio illo affirmabis? At in primis generatim dicunt Chalcedonenſes: *ſe inhæſuros antiquis Sanctorũ Patrum Inſtitutis*: ideoque, nihil ſaltem decernendum, contrarium Canonibus eò uſque editis a Sanctis Patribus, ſpondere videntur.

392 At neque ipſorum, qui, in Conſtantinopolitana Prima Synodo alium condidiſſe non abſimilem Canonem, ferebantur, veſtigiis penitus inſtiterunt. Ab iis certè primò prævaricati plurimùm ſunt; licet deinde, quaſi eos nimis audacis extra chorum ſaltus pœniteret, ad eadem premenda veſtigia regreſſi fuerint.

Hæc certè verba tribuebantur Synodo Regiæ Urbis: *Conſtantinopolitanę Civitatis Epiſcopum habere oportet Primatus honorem poſt Romanum, propterea quod hęc urbs ſit Nova Roma.* Manifeſtè ergo poſthabent Romano Conſtantinopolitanum, cui *Secundam* ſolummodo deferunt Sedem. At ulterius Nectario progreſſus Anatolius, *Æqualem* ſibi adjudicari ſategit.

339 Et ut ad miſeram Gloriam Mendacio graſſaretur, eandem jam decretam fuiſſe, pronunciat a Patribus al-

alterius Synodi per ea verba : *Centumquinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi Sanctiſſimo Novę Romę Throno Æqualia Privilegia tribuerunt*.

Quis deformatum a nobis hunc, Romæ abominatum, Canonem fuiſſe, non crederet, niſi nobis illum præ ceteris, in Schiſmaticorum Exercitu Primipilus, Balſamon exhiberet?

394 Enimverò nihil de Privilegiorum *Æqualitate*, ſancitum Chalcedone fuiſſe, affirmare meritò poſſumus; eatenus enim illa decreta eſt in Quarta Synodo, quatenus tantùm ſtatuta dicitur in Secunda: quam *ubique ſequuturam ſe* Quarta profeſſa fuit. Nihil autem de hujuſmodi *Æqualitate* ſtabilitum fuerat in Secunda. Nullum igitur eidem a Quarta ſuffragium acceſſit.

395 At riſum tenere quis poſſet, niſi ab hoc infauſto Decreto tantum deinde fuiſſet incendium excitatum, cui extinguendo pares non fuerunt plurimorum lacrymæ Seculorum: quis, inquam, ceteroqui riſum comprimeret, attonitis oculis conſequentia verba percurrens, quibus, modo appellata *Æqualis* Romanæ, *Secunda* poſt illam eſſe jubetur Sedes: *Extolli, ac magnifieri, Secundam poſt illam exiſtentem*? An non, qui hæc literis tradidere, ſecum ipſi puerilem in modum pugnarunt?

Et his ulla inſit Auctoritas, ut horrore perfundamur, eò quod a Patribus, captis admiratione Urbis Cæſareæ, manaſſe dicant Privilegia Romani Antiſtitis: perinde ac ſi non idcirco a Divina Chriſti Domini Inſtitutione profluxiſſent? Nihil certè Sapientes viros percellet Decretum hoc, abſurdis perpetuò, ac pugnantibus verbis, ſententiiſque contextum.

Digitized by Google

396 Quinam porrò fuerint hi Patres, Romanæ in Sacris Gloriæ Amplificatores, inquiro? An qui Pontificatum gerente Petro, aliiſque Primis Pontificibus, in unum coiverint? Tunc certè Supremam Univerſæ Adminiſtrationem Eccleſiæ a Romano exercitam fuiſſe oſtendimus, & liquidius oſtendemus.

397 An qui Nicææ Primum Generale Concilium celebraverant? Sed ab iis præſumpta quidem fuit Suprema Romanæ Cathedræ Auctoritas, & multipliciter confirmata; non autem decreta primùm: nec ad eam decernendam urgeri potuerunt a ſplendor eUrbis Cæſareæ; nam deſtituta Veteri; Novam, ut eſſet Imperii Sedes, Conſtantinus Romam elegerat.

398 An qui Secunda vice Generalem Synodum inſtituentes Conſtantinopoli convenerunt? At illi pariter, præſumpta Romani Antiſtitis Amplitudine, ut Secundus poſt illum eſſet Conſtantinopolitanus; Decretum edidiſſe, feruntur. Regnante verò tunc in Oriente Theodoſio, poſt obitum Valentiniani, nullus fulgorem Cæſareum Veteri Romæ affundebat.

399 Ad Epheſinos reſpicere ſe, nullatenus indicant Chalcedonenſes. Et illi certè, cum ſupra Sexaginta nobis exhibuerint Argumenta cognitæ ab ipſis Romani Pontificis Præfecturæ in Univerſum Chriſtianum Orbem, nunquam innuunt, illam a Patribus, intuentibus Majeſtatem Urbis imperantis, prodiiſſe. Affirmant autem, vel ut certò præjactum ſumunt, a Verbis Domini, ſuum Petro Ovile tribuentis, originem habuiſſe.

Eadem fuit omnium Sententia Conciliorum; quæ con-

Digitized by Google

confirmarunt quidem Suffragatione ſua Romanæ Sedis Præſtantiam, non tamen illam primò erexerunt, ſed erectam a Servatore noſtro profeſſa ſunt.

Quamvis ergo ad ſtatuendam Romæ Cathedram ab ipſo etiam Imperiali faſtigio Divinum Conſilium, apertè revelatum, aut ſuavi, ſed latente, animi motu ſuggeſtum Petro, fuerit impulſum: quò ſcilicet Sanctiſſima Fides per omnes facilius terras funderetur; nihil tamen neceſſe eſt, unam, eandemque Urbem Sacri ſimul, & Profani Regiminis eſſe Regiam. Imo, propagata jam Fide, magis opportunum fuit, liberam Sacerdotum Principi nobilem, ex qua Sacra populis Iura daret, Urbem relinqui.

Falsò ergo affirmatum fuit, ab Imperialis Urbis claritate adactos fuiſſe Patres ad conferendas Romano Antiſtiti Supremas Prærogativas. Sed niſi Sophiſmate, vel a Logicæ Tyronibus deridendo, uſi fuiſſent, afferendo *Non Cauſam pro Cauſa*, omni fundamento deſtituendam fuiſſe, compererant Babiloniçam ſubſtructionem, qua erigere ad gloriæ Cælum nitebantur Novæ Cathedram Romæ; ideoque eandem illo fulcire conati ſunt.

IV. *Ex Facto, & Verbis ipſiuſmet Synodi Chalcedonenſis, dum Fidem contra Hęreticos declarabat, oſtenditur, non potuiſſe deinde ab ipſa decerni, ut Conſtantinopolitanus Pręſul eſſet OEcumenicus, & Æqualis Romano.*

400 INcredibile autem dictu videtur, quod hujuſce Canonis Conditores non ſolùm omnium aliorum Univerſalium Cętuum Sententiam de Pontificia Poteſtate, manante a Petro ex Inſtitutione Divina; ſed ſuam etiam ipſam Declarationem everterint. Dixerant enim Act. 3. non a Patribus, captis admiratione Urbis Cæſareæ, ſed a Chriſto Domino *Suæ Vineę Cuſtodiam* traditam Leoni fuiſſe, ita de Dioſcoro loquuti: *Contra ipſum, cui Vineę Cuſtodia a Salvatore commiſſa eſt, extendit Inſaniam, ideſt contra Tuam quoque Apoſtolicam Sanctitatem.*

401 Atque idem, quod Petro, Ius declarandæ Fidei eſſe Leoni, profeſſi, exclamaverant poſt lectas Pontificias Literas, quas veluti certiſſimam credendi Legem fuerant exoſculati: *Petrus per Leonem ita loquutus eſt.*

402 Et in Synodica ad ipſum Leonem, exaratam, poſt hoc Decretum repugnans Initio, ac fini Concilii, eundem appellarunt *Fidei Cuſtodem, & S. Petri Interpretem.*

403 Leonis Filios nuncupant ſe conciliariter coactos: *Summitas Tua Filiis, quod decet, adimpleat.*

404 Veluti ſuum Caput eundem Leonem venerantur: *Quibus*, ſcilicet Epiſcopis hujuſce Synodi, *Tu, ut Membris Caput, prę͏ęras*: ipſamque Romanam, *Caput omnium Eccleſiarum*, diſertè dicunt.

405 Cum

Digitized by Google

405 Cum ergo *Pater* profectò *Filiis* præſtet, & *Caput ceteris Membris*, non ſolùm ſingulis Præſulibus ſeorſum acceptis, ſed omnibus etiam Univerſale Concilium ſimul inſtituentibus, Leonem antetulerunt.

406 Hoc ipſum apertiſſimè declaraverant Act. 3. ubi de Synodo, Leoni obtemperante, dixerant: *Leo cum S. Petro per Synodum nudavit Dioſcorum*.

407 Et neceſſariam Pontificis, ut Synodo prælati, nulliquè in declaranda Fide Errori obnoxii, Confirmationem faſſi, adjiciunt Literis ad illum datis poſt hunc egregium Canonem: *Omnem vobis geſtorum vim inſinuavimus &c. ad eorum, quę à nobis geſta ſunt, Firmitatem.*

408 Quonam pacto cohærent hæc, quæ omnium comprobatione ſtabilita ſunt, dum Hæretici condemnabantur: videlicet dum certè Concilium animabat Divini Spiritus aura: cum Canone ſcripto ab Anatolio Ambitionis æſtu incenſo?

409 An exæquari quiſpiam abſque inſania poteſt illi, qui Univerſæ, in Synodis etiam Generalibus congregatæ, anteferatur Eccleſiæ?

410 An Duo præterea eſſe queunt Univerſales Unius Eccleſiæ Præſules? *At Univerſalis Eccleſię Papa, vel Patriarcha*, in ſingulis ferè Chalcedonenſis Concilii Actionibus compellatur Leo: ac proinde Concilii ejuſdem Auctoritas nos urget ad hujuſmodi Titulum Anatolio denegandum.

V. *Sanctiſſimi Pontifices Gregorius Magnus, Innocentius Primus, & Gelaſius Primus damnant derivantes a ſplendore Urbis Imperantis Patriarchale Nomen, & Primum ſedendi locum, nedum OEcumenici Tituli amplitudinem.*

411 Non modò Superbum hoc, Miſerrimumque conſilium Æqualia Romano Privilegia tribuendi Præſuli Conſtantinopolitano, eò quod Sacras Cæſareæ Urbis habenas moderaretur; ſed etiam Patriarchalis ipſe Titulus, & honor Sedis ante omnes Antiſtites Orientis, a Sanctiſſimis Pontificibus improbatur.

Extant Magni Gregorii, ſummo in honore Græcis habiti, ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum Literæ lib.6. Ep.37. quibus, non Arbitrio Cæſarum, hanc, vel illam Urbem eligentium in Sedem mortalis Imperii, ſed unius Petri, adſcribitur Patriarchalis Auctoritas: *Ipſe*, inquit, *decoravit Sedem*, ſcilicet Alexandrinam, *ad quam Evangeliſtam Diſcipulum miſit. Ipſe firmavit Sedem*, videlicet Antiochenam, *in qua ſeptem annis, quamvis diſceſſurus, ſedit.*

Atque hæc, ut declaraverat Epiſt. 18. ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum cap. 1. S. Innocentius Primus, ad quem obſequentiſſimè confugit Magnus Chryſoſtomus: *Urbis Romæ Sedi non cederet, niſi, quod illa in tranſitu meruit, ſuſceptum iſta apud ſe, conſummatumque gauderet*: ac proinde Petri Succeſſores in Epiſcopatu Romano eidem pariter in Suprema Sacrorum Præfectura ſuccederent.

Irridet S. Gelaſius Primus illos, qui Eccleſiarum Pri-

Privilegia referebant ad Politicam urbium Dignitatem. *Riſimus autem*, inquit in Epiſtola 13. quæ eſt ad Epiſcopos Dardaniæ, *quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Epiſcopus fuerit Regiæ civitatis.* 412 *Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treviros, multis temporibus non conſtitit Imperator? Numquid nam harum Urbium Sacerdotes, ultra menſuram ſibimet antiquitus deputatam, quidpiam ſuis dignitatibus uſurparunt?*

VI. *Ex ipſis verbis Canonis, quo Patriarchę nituntur, & ex Epiſcoporum ſubſcriptionibus liquidò patet, ſolummodò decretum fuiſſe, ut quarumdam Provinciarum Metropolitas conſecraret Pręſul Conſtantinopolis.*

413 SEd ut ad ipſius, cujus Auctoritati fidere ſe, Conſtantinopolitani dicunt, verba Canonis revertamur, pernego: ab illis Ius ullum ad Univerſale Regimen Eccleſiæ, adeoque ad ipſum *OEcumenici* Nomen, tribui Præſuli Urbis Cæſareæ. Vaſta quidem, ſed certis incluſa finibus, illi adiicitur Iuriſdictio. Expendenda ſunt verba illa: *Ut & Ponticę, & Aſianę, & Thracię Diœceſis Metropolitani* (& quidem, ut expreſsè additur: *Soli*: per quæ manifeſtè excluduntur Patriarchæ reliqui:) *pręterea Epiſcopi prędictarum Diœceſum, quę ſunt inter Barbaros, a prędicto Throno Sanctiſſimę Conſtantinopolitanę Eccleſię ordinentur.* Ac deinde præſcribitur Electionis, & Ordinationis forma, nullo addito verbo, quo ad Univerſum Chriſtianum Orbem protendi Conſtantinopolitani Iura Præſulis videantur.

414 Enim-

414 Enimverò nihil aliud molitos Chalcedonenſes Patres fuiſſe, quàm ut *Secunda poſt Romanã* appellaretur Sedes Conſtantinopolis: utque huic certæ, quibus in Sacris præeſſet, Provinciæ decernerentur, clarius liquet ex 16. & ultima Synodi hujus Act. in qua lectus hujuſmodi Canon fuit per hæc verba: *Secundam poſt illam*, ſcilicet Romanam, *exiſtere*: & *hos*, *qui de Ponto ſunt*, & *de Aſia*, & *Thracia*, *Diœceſibus*, *Metropolitanos ſolos*: *rurſus autem* & *qui inter Barbaros ſunt*, *Epiſcopos pręfatarum Dięceſum ordinari a prędictę Sanctiſſimę Conſtantinopolitanę Sedis Sanctiſſima Eccleſia*.

415 Conſultò prætermitto Proteſtationes Legatorum Apoſtolicæ Sedis contra hoc ipſum incrementum honoris, quo Ponticis, Aſianis, Thraciis, & Barbaricis Epiſcopis præficitur *Archiepiſcopus* (hoc enim ſolùm nomine a Synodo compellatur) Conſtantinopolitanus:

416 Ac *Dilemma*, quo Lucentius Leonis Nuncius perſtringit uſos auctoritate Secundæ Synodi: *Accedit ad cumulum*, *quod Trecentorum decem*, & *octo*, *ſcilicet Nicęnorum*, *Patrum*, *Conſtitutionibus poſtpoſitis*, *Centumquinquaginta*, *qui in Synodicis Canonibus non habentur*, *mentionem tantùm feciſſe noſcuntur*, *quę dicunt*, *ante Octoginta prope annos conſtituta fuiſſe*. *Si ergo his temporibus hoc beneficio uſi ſunt*, *quid nunc requirunt*? *Si nunquam uſi ſunt*, *quare requirunt*?

417 His, inquam, aliiſque plurimis animadverſione dignis, in præſentia diſſimulatis, ex ipſa Subſcriptione adhærentium Anatolio Præſulum manifeſtè conficimus: nihil ei collatum Sedi fuiſſe, niſi ut quoſdam certa-

rum

rum Provinciarum Metropolitanos inauguraret, & ſubjectos illis Epiſcopos Confirmatione ſua ſtabiliret. Sic enim ſcripſit Romanus Myrorum Antiſtes. *Ego gratum babeo ſub Sede Conſtantinopolitana eſſe; quoniam & ipſe me bonoravit, & ipſe me ordinavit.* Et Petrus Gangrorum Epiſcopus: *Ante me*, inquit, *tres ſunt ordinati a Sede Regię Civitatis: & ego poſt tantos ſimiliter. Et ob boc conſenſi bis, quę conſuetudo babuit, & ſponte ſubſcripſi.*

Eadem ferè ceteri omnes, ex quibus Euſebius Epiſcopus Dorylæi, ſtrenuus Hæreticorum oppugnator: quique omnium primus Eutychen Hæreſis apud Flavianum accuſavit, inque hac Synodo acerrimè in Dioſcorum invectus fuit: *Sponte*, inquit, *ſubſcripſi, quoniam & banc Regulam Sanctiſſimo Papę in Urbe Roma ego relegi, præſentibus Clericis Conſtantinopolitanis, eamque ſuſcepit.* Apertiſſimum autem eſt, nihil aliud a Leone comprobatum fuiſſe, niſi ut fortè quarumdam, nimis Alexandriâ, Antiochiâque diſtantium, Provinciarum Metropolitæ a Conſtantinopolitano Archiepiſcopo conſecrarentur: atque hoc ſolùm Subſcriptione ſua roborandum eſſe, arbitratos Epiſcopos: qui proinde nullum Anatolio, niſi in certos ipſi ſubiectos Antiſtites *Primatum* aſſerere moliti ſunt.

Quæ hinc ad *OEcumenici* Titulum Conſtantinopolitano Iura naſcuntur? Cetera verba *Æqualitatem* cum Romano, & abſurdam hujuſce, ſaltem Nomine tenus, Honoris Cauſam afferentia, vel propoſita Patribus Chalcedonenſibus minimè ſunt, vel eorum certè ab illis Vis nequaquam animadverſa fuit.

Digitized by Google

VII. *S. Leo Magnus non ſolùm improbat Canonem illum, ſed etiam Verbis, & Facto, exhibet ſe Unicũ Eccleſiæ Univerſalis Epiſcopum: & hujus Pontificii Iuris Exercitium comprobatur per Obedientiam eidem præſtitam ab omnibus Præſulibus, etiam Orientis, ipſoque cum Imperatoribus Anatolio Conſtantinopolitano. Ab omnibus aliis Romanis Pontificibus idem Ius exercetur.*

418. AT illam profectò animadvertit Leo, qui, acceptis Synodicis Literis, aliiſque Marciani Cæſaris, S. Pulcheriæ, ipſiuſque Anatolii cum illuſtri Legatione, Sententiam quidem, ſe Auctore, in Hæreticos à Concilio latam firmavit; ſed Canonem illum, cum perverſa ejus, ab Anatolio allata, Interpretatione, rejecit: eundemque ſeverè objurgatum continuit in officio: 419. Suos frequenter ad pedes per ſupplices Epiſtolas accedentem vidit: erigentem aliquando cornua labefactavit: 420 Minatus jaciendum in illum a ſe fulmen Excommunicationis, compulit ſuperbiſſimum hominem ad reſtituendum Aetium Archidiaconum in priſtinum honoris gradum: 321 Per Iulianum Covenſem Epiſcopum a ſe miſſum Apoſtolicæ Sedis Nuncium in Orientem, non minus ibidem, quàm in Occidente, Pontificia fuit uſus Poteſtate: perque illum, & alium deinde Anatolium Apocriſarium ſuum Conſtantinopolim delegatum, Eccleſiam Cæſareæ civitatis, velut ipſa Romana Suburbia, Sacris opportunè Legibus temperavit: 422 A Proterio Alexandrino Patriarcha, & Maximo Antiocheno, per literas conventus, eidem reſcripſit amantiſſimè,

& ea-

& earum Eccleſiarum commodis Paterna Solicitudine proſpexit: 423 Iuvenalem Hieroſolymitanum, inhiantem Palæſtinæ Primatui, compeſcuit: 424 Dejecit è Solio totius Aſiæ Metropolitam: 425 Obſtitit Leoni Imperatori, novum, non expediens Chriſtianæ Reipublicæ temporibus, Generale Concilium exoptanti: eundem habuit obſequentem in pellendo Tymotheo Eluro Hæretico Uſurpatore Sedis Alexandrinæ: Majorianum Cæſarem in ferenda Lege contra Patres, a quibus ad Sacrum Velum induendum Virgines Filiæ cogebantur: 426 Univerſam Africam in pellendis Bigamis a Miniſterio Sacrorum; licet inopiâ Sacerdotum Eccleſiæ illæ ſummopere laborarent: ne de Attila dicam, & Genſerico barbaris Regibus a Leonis rugitu perterritis ab Urbis vaſtatione, ac incendio. Idem tandem ad finem uſque Sanctiſſimæ Vitæ incredibili præditus Magnanimitate, cum Anatolius, ante viſus oblivîſci ambitu Primatus, neſcio quid iterum de illo muſſitare videretur, eundem iterum Paternis admonitionibus ſapere docuit: & a Leone Imperatore rogatus alium miſit Legatum ſuum ad Sacras Orientis res Pontificia Auctoritate componendas.

427 Non abſimilis in arrogantiam Acacii exarſit Apoſtolicus ardor in S. Simplicio: aliiſque Pontificibus in ceteros omnes Conſtantinopolis Præſules, qui de Primatu Sedis illius aliquid hiſcere auſi fuerunt. Neque unquam magis in Oriente vis Romanæ Poteſtatis effulſit, quàm cum ampulloſæ illius Appellationis flagrantiore ſiti Patriarchæ nonnulli exarſerunt.

VIII. *Patriarchę poſt Chalcedonenſe Decretum, perinde ac ante, ſeſe ſubjectos exhibent Romano Antiſtiti. Non exercent in ipſo Oriente Ius extra Provincias ſibi pręfinitas, ideoque fatentur, nullum ſibi tributum Ius ad veram* OEcumenici *Appellationem. Semel tantùm Æqualis Sedis umbratilem honorem quęrit Epiphanius; ſed retunditur ipſius audacia a S. Ioanne Primo Pontifice Maximo.*

428 Quod autem nil ſibi, præter Nomen, & honorem ſedendi, fuiſſet adjudicatum, ipſi Conſtantinopolitani Antiſtites profeſſi ſunt, cum perinde poſt, ac ante Chalcedonenſem Synodum, ſuæ Fidei Confeſſionem ad Urbem miſerint, & Pallium, Confirmationis Teſſeram, a Romano Pontifice flagitaverint.

429 Non modò autem Sacri nullum Iuris Exercitium *OEcumenici* iſti Epiſcopi ſibi arrogarunt in Occidente, ſed ne in Oriente quidem tentaverunt ceteris Patriarchis, fruſtrando certè conatu, Leges præſcribere.

430 Non Univerſi ergo Chriſtiani Orbis ab *OEcumenici* Titulo, ſed plurium ſolummodo Provinciarum Sacram, neque tamen Supremam, & a Romani exemptam Regimine, Præfecturam ſignificari, cõfeſſi ſunt. Sed ſi Nominum uſus adeo perperam invertendus eſſet, multò potiori jure potuiſſet nuncupari *OEcumenicus* Alexandrinus, latius protendens Virgam Sacerdotalis Imperii: & Univerſi Rex Orbis dici, qui profano Sceptro Regnum unum, aut alterum moderetur.

431 Sedis quidem Æqualis præſtantiam optavit ſemel anno 525. Epiphanius Patriarcha, cum S. Ioannes

Pon-

Pontifex Maximus ad obeundam Conſtantinopolim Legationem Tyrannicè fuit a Theodorico Italiæ Rege compulſus: jamque fuerat adornatus Thronus, in quo potior quidem Ioanni, ſed non depreſſior Epiphanio Sedes attribueretur.

Et plurimi certè blandiebantur ſibi, non dedignaturum modeſtiſſimum Pontificem, aſſidere ſibi Cæſareæ urbis Antiſtitem, cum tanta eſſet illius animi demiſſio, ut hoc illam Elogio proſequuta fuerit Synodus Chartaginienſis: *Talis eſt, qualem S. Sedes Petri merebatur habere Pontificem: dignus veneratione, loquens veritatem ſine mendacio, nihil faciens arroganter.*

Præterea nullus ex officioſa illa dignatione potuiſſet ambigere de non impari Utriuſque Poteſtate, cum Ioanni Epiphanius re ipſa frequenter obtemperaſſet: 432 Et habitus jam Pontifici honor toto Cælo antecelleret illi, qui haberi Regiæ Urbis Præſuli conſueverat; univerſa enim Conſtantinopolis cum Cereis facibus, elatiſque Crucibus ad Duodecimum uſque Lapidem obviam Ioanni prodiverat: ad ejus pedes Iuſtinus acciderat Imperator: jamque impoſitum ſuo capiti Diadema, eidem rurſus aptari flagitaverat a Regali Sacerdote, non auſus exercere, abſque nutu Ioannis Imperium.

Tam eximiis tamen honoribus affectus Pontifex optimus, qui Sanctiſſimam, & Miraculis illuſtratam Vitam præclaro deinde Martyrio coronavit, *ſedere abnuit*, ut narrat Nicephorus lib. 17. cap. 9. *niſi prius pro Prærogativa Apoſtolicæ Sedis, ſublimior ſibi ſupra Epiphanium Thronus collocaretur: quod extemplò præſtitum fuit.*

433 An non hinc manifeſtò liquet, Canonem de ipſa Nominis, ac Sedis Æqualitate, nullo apud ipſos Græcos in pretio fuiſſe? Illum ceteroqui Epiphanius profectò in medium protuliſſet, minimè paſſus, in Sua Sede, ac ab exule verius, quàm Legato Barbari Regis, Ioanne deprimi ſeſe.

IV. *Ante Sexcenteſimum Chriſti Annum Patriarchæ Conſtantinopolis dici non potuerunt Univerſales ob permiſſam a Romanis Pontificibus inſeri Symbolo Particulam* Filioque, *quia nondum fuerat inſerta.*

434 INeptè igitur jactatum ab Anatolio, Acacio, aliiſque fuit Chalcedonenſe Decretũ ad *OEcumenici* amplitudinem Nominis invadendam. Prætexere certè nequivere audaciſſimi homines, qui ante Sexcenteſimum ab Ortu Reparatoris Noſtri Annum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præfuerunt, permiſſam à Romanis Pontificibus inſeri Nicæno Symbolo particulam *Filioque* contra Epheſinam Sanctionem: cujus violatio ipſos a Supremo Solio dejecerit; & in eorum proinde Iura ſucceſſerint, qui Primi poſt illos dicti fuiſſent a Chalcedonenſi Concilio.

His, inquam, quæ deinde illuſerunt Photio, ac Cerulario, Somniis exhilarari non potuerunt ſuperba phantaſmata priorum Præſulum, qui *OEcumenici* appellari incæperunt; cum ante Sexcenteſimum Chriſti Annum Particula illa Symbolo inſerta non fuiſſet.

In Particulari quidem Declaratione Fidei ſcripta a S. Damaſo, & in Literis S. Pontificis Hormiſdæ datis ad

Iuſ-

Iuſtinum Imperatorē anno 519. dicitur *Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedere*; ſed a neutro affertur Symbolum Conſtantinopolitanum, aut illi adiici præſcribitur Particula *Filioque*.

Utcumque autem non liqueat, in qua primùm Synodo, annuente Pontifice, fuerit adjecta; ſatis tamen conſtat, hoc circa Secenteſimum annum contigiſſe, ob flagrantes in Gallia, Hiſpaniaque de hoc Articulo Controverſias; nam in Concilio Toletano Tertio, celebrato Anno 589. legitur Conſtantinopolitanum Symbolum ſine ulla Additione; in Octavo autem pariter Toletano, quod habitum fuit Anno 653. lectum eſt Symbolum idem cum Declaratione Divini Spiritus etiam a Filio procedentis.

X. *Nullæ ab Epheſina Synodo Leges de non inſerendis aliis Symbolo verbis præſcriptæ ſunt, aut præſcribi potuerunt Pontifici Maximo, & celebrandis ejus Auctoritate Conciliis.*

Quæ hìc innuemus, apertiſſima erunt ex uberrimis propediem edendis Diſſertationibus de Epheſino, aliiſque Conciliis. Plurimas interim, quibus ingrediemur, arguendi Semitas indicamus.

435 Primò patet ex Occaſione illius Decreti condendi, cautum ſolummodo ab illa Synodo fuiſſe, ne per ullius Contrarii verbi additionem definita Nicææ Fides everteretur. Neque enim una, aut altera nova Veritas conjecta fuerat in ſuas, & quidem multiplices, Fidei Formas a Neſtorianis, ſed Falſitates innumeræ, Nicænis declarationibus repugnantes.

436 Verba ipſa Canonis Epheſini manifeſtiſſimè oſtendunt,

dunt: Legem illam ſolummodo ferri in Singulos peculiarium Eccleſiarum Præſides, ac Miniſtros, alioſque Divino cultui non conſecratos; non autem in Eccleſiæ Antiſtitem Univerſalis, aut Præſulum Synodos. Nullatenus certè in Canone Supremus Eccleſiæ Rector, aut Concilia nominantur. Neminem autem latet, ſpeciali nota dignos haudquaquam Legibus ſubdi, niſi eorum diſertè Nomen recenter editis Sanctionibus includatur.

437 Præſcribi non potuerunt Leges Pontifici Maximo, ne publico Chriſtianorum bono conſuleret, eas inſerendo Symbolo veritates, quæ in dies exortas Hæreticorum blaſphemias, quotidiana ſyncerę Fidei confeſſione deteſtarentur.

438 Pręſertim cum minorem Summo Pontifice multiplici ſe conteſtatione profeſſa fuerit Synodus Epheſina.

439 Cum Epheſini Pręſules *Patrem* appellaverint Romanum Pontificem, ſuo Parenti leges imponere Filii nequiverunt.

440 Neque illi, cujus ad præſcriptum damnaverant Hæreſes: &, cui non parere, nefas eſſe, palam edixerant.

441 Et quem in Declaratione ſpectantium ad Fidem, ut Errori nulli obnoxium, fuerant obſequentiſſimè venerati.

442 Neque celebranda deinde Concilia, in quorum aliquo, non ſine comprobatione Romani Pontificis, particula *Filioque* Symbolo fuit adjecta, Synodus Epheſina compeſcere potuit, ne laboranti Eccleſiæ præſidium afferrent; cum una ſupra reliquas Synodus non emineat.

443 Hoc auſa Epheſina Nicænam improbaſſet, quæ Apoſtolorum Symbolo addidit plura in deteſtationem

Arij:

Arij, & Conſtantinopolitanam, quæ Nicænam auxit Fidei Formam ad Macedonio inſultandum.

444 Si nondum ſtatutos Fidei Articulos definire Synodi poſſunt, multò magis valent, eoſdem Symbolo inſerere. Expendere enim, utrum aliquid in Symbolo ſit pronunciandum, pertinet potius ad Ritum, Prudentiamque Regiminis, de qua Lex nulla ſtatui potuit, coarctans celebranda deinde Concilia, & Pontifices Maximos.

445 Nec ipſis Minoribus Præſulibus, ceteriſque, vetitum aliud fuit, quàm condere Privata Auctoritate nova Symbola contra Nicænum pugnantia: cujuſmodi erant illa, quæ circumferebantur a Neſtorianis.

446 Non peccaſſet contra Epheſinum Decretum, qui privatim a ſe recitandam Fidei Formam exaraſſet, plurimas Catholicas veritates amplexam, nihilque adverſum Nicænis Definitionibus continentem.

447 Neque etiam, qui pro Nicæna Conſtantinopolitanam Fidei Formam recenter profeſſuris veram Fidē exhibuiſſet, licet alteram a Nicæna proponi Fidē Epheſina Synodus vetuiſſet: Ex quo etiam infertur: proſcripta ſolùm Epheſi fuiſſe illa, quæ adverſarentur Nicænis Definitionibus, nō autem Nova recenter declaranda veritatis Oracula.

448 Hoc ipſum patet ex verbis Concilii, damnantis eos, qui a ſe geſta *quocumque modo moverent*, ideſt convellerent, & immutarent, non autem augerent, & explicationibus illuſtrarent.

449 Clarius hoc ipſum liquet ex ipſo, quod impugnabatur, Symbolo Neſtorianorum, cujus in fine legitur: *Hæc eſt Eccleſiaſticorum dogmatum doctrina, & omnis, qui diverſa ab his ſentit, anathema ſit*: Cum enim ſo-

Digitized by Google

lùm *Diverſa ab his*, videlicet Contraria, ſentientes execrarentur Hæretici; ſuis etiam ſolùm Contraria Definitionibus proferentes Sacroſanctum Concilium deteſtatur.

XI. *Ab illius Particulæ Adjectione nullum Conſtantinopolitano Præſuli Ius exortum fuiſſe ad* OEcumenici *Titulum, multipliciter demonſtratur, ex ipſorum confeſſione Græcorum.*

NOn ingredimur in præſentia Quæſtionem de Congruitate, imo Neceſſitate, hujus Adjectionis, quam opportuno loco ſolvemus. Interim illud urgentes, quod in præſentia pertractamus, nullum hinc ad *OEcumenici* nominis uſurpationem Conſtantinopolitanis Antiſtitibus Ius exortum fuiſſe, dilucidè oſtendimus.

450 Cur enim poſt inſertam hujuſmodi Vocem per annos ferme Trecentos vſque ad Photii tempora conticuerunt?

451 Cur idem Photius, qui omnium primus Vocem illam Romanis Pontificibus exprobravit, ad eoſdem, ſe Auctore, jam lapſos a Supremo culmine Sacræ Poteſtatis, confugit, veluti Summos adhuc Arbitros Chriſtianæ Reipublicæ, ut in Patriarchali Solio confirmaretur?

452 Cur per Centum ferè poſt Photium annos reliqui Conſtantinopolis Præſules Pallium ab Urbe Roma quæſiverunt?

553 Cur poſt Milleſimum ab Exortu Chriſti Annum, facultatem a Romano flagitarunt obſequentiſſimè, ut *OEcumenici* appellari poſſent, quam ante annos Quadringentos Iure ſuo adeptos ſe fuiſſe, dicunt: ipſo ſcilicet

Ro-

Romano ab Apice Univerſalis Eccleſiæ Regiminis devoluto?

454 Cur Univerſus Oriens, & Occidens, Romano, dum S. Bernardus ætatem ageret, obtemperabat: quod veluti notorium, perorans ante Rogerium Siciliæ Regem Anno 1137. vir Sanctiſſimus affirmavit?

455 Cur Sexta, Septima, & Octava, Generales Synodi celebratæ in Oriente, poſt Annum Sexcenteſimum (poſt adjectam videlicet Symbolo Particulam *Filioque*) admiſerunt Romani Pontificis, jam tum prolapſi (ut Schiſmatici affirmant) ab Apoſtolico Munere per ſuos Legatos Præfecturam?

456 Cur demum in Lateranenſi, Lugdunenſi, ac Florentino, Conciliis, Græci Verum, & Unicum Univerſalis Eccleſiæ Caput, Præſidem, Magiſtrum, & Epiſcopum, Chriſtique Vicarium, Romanum Pontificem, venerati ſunt?

An non Andabatas ſe eſſe comperiunt, qui cæcis inter ſe ictibus, pugnantes in tenebris, digladiantur? Sunt enim, qui ad Chalcedonenſe, quique ad Epheſinum Decretum confugiunt: cumque neutro niti queant, iidem, qui Primum contempſerant, & Secundum jactaverant, ad petendas a Primo ſuppetias regrediuntur: *Cęcique*, *ac duces Cęcorum*, ab inſitis nunc animo in *Exteriores*, Æternaſque *tenebras* infeliciſſimè devolvuntur.

XII. *Dilucidè præterea oſtenditur, niti non poſſe Antiſtites Conſtantinopolis Decreto Chalcedonenſi, abrogato a Romanis Pontificibus ante Somniatum eorumdem Lapſum: nec Ephesino; cum ex ipſo Non Uſu Rei, ſcilicet Univerſalis Eccleſiæ Regiminis, amiſerint Ius ad Uſum Nominis* OEcumenici; *ut proinde licet Romani è gradu excidiſſent; non tamen illis ſucceſſiſſent Conſtantinopolitani.*

457 UT autem paucis plurima complexi omne illis effugium præcludamus, ita rem conficimus. Nullum a Chalcedonenſi Canone Ius adſtruitur Conſtantinopolitano Præſuli ad *OEcumenici* Titulum, ut apertò in Sole ſtatuimus. Sed, quamvis ortum ex illo fuiſſet hujuſmodi Ius, abrogatum tamen fuiſſet a Supremis Eccleſiæ Præſidibus, qui per annos ferè Ducentos ante adjectam Particulam *Filioque*, ex ipſorum communi Confeſſione Græcorum, nihil de collata ipſis Divinitus Poteſtate amiſerunt.

458 Abrogatum præterea fuiſſet *Ius ad Nomen Univerſalis Epiſcopi* ex ipſo, ut Iuris Interpretes loquuntur, *non Uſu Rei*: quia ſcilicet Totius Eccleſiæ, ne in ipſo quidem Oriente, Regimen unquam exercuerunt. Nec ipſum ergo Epheſinum Decretum prætexere queunt; quamvis enim, eò quod contra illud Romani Pontifices deliquiſſent, Univerſalis ad ipſos Eccleſiæ Adminiſtratio minimè pertineret; non tamen hæc ad Conſtantinopolitanos ſpectaret: neque illi proinde *OEcumenici* dici poſſent.

Si cui hæc Conſequutio mira videtur, nullis enim-

ve-

verò nubibus obſitum Solem non intuetur. Ut autem ab ejus oculis detergam Tartaream Livoris caliginem illos inficientem, eundem ita paucis interrogo.

459 Si fato intereat, aut ob Crimen aliquod Imperio mulctetur Profanus Cæſar, an illi ultro ſuccedet Iure ſuo, qui Primus inter Reges cenſeatur; licet ipſius Proavi nunquam fuerint ad Imperium vocati: aut ſi, licet Æqualis cum Cæſaribus honore Appellationis decorati fuerint, Ius tamen Cæſareum nunquam exercuerint? Profectò negabit, Legitimam Regi huic ad Imperatorium munus occupandum Poteſtatem ineſſe: ac, viduatam Cæſare permanſuram, dicet, Rempublicam, quouſque libera in aliquem ſuffragia conferantur: aut ſaltem ſi quis armis Imperium uſurpaverit, Cæſar a ſubſequuta illi obſequentium conſenſione Mortalium conſtituatur.

Idem prorſus, imo potiori Iure, in Eccleſia Divina contigiſſet, a cujus Regimine ſi, contra deſponſam a Chriſto fidem, Succeſſores Petri excidiſſent, Supremo illa Præſide nunc eſſet orbata. Neque enim proinde adminiſtranda eſſet a Præſule Conſtantinopolitano, Primæ poſt Romanam, & quaſi Regiæ honore Sedis affecto: cum ad Univerſæ Regimen Eccleſiæ nec electus Divinitus fuerit: nec Univerſæ Regimen exercuerit unquam: adeoque amiſerit quamcumque demum Iuris umbram illi Chalcedonenſis verba Canonis contuliſſent.

460 Et potiori, inquam, Iure, quia non ſolùm poſt decantatum Lapſum Romani Antiſtitis electus nunquam fuit Conſtantinopolitanus ipſe ad Supremam Eccleſiæ Præfecturam; ſed & hæc toties ab ipſis Græcorum Conciliis cognita fuit perſeverans in Romano: & alteri confer-

ferri præter Divinam Inſtitutionem non potuiſſet: neque unquam in imponendo ſibi Arbitrario Capite Chriſtiana Reſpublica conveniſſet.

XIII. *Nunquam Conſtantinopolitanus in ipſomet Oriente cognitus eſt re ipſa Epiſcopus* OEcumenicus. *Imo nec Primus in Concilijs ſedendi locus, annuentibus alijs, conſtanter illi tributus ante Annum* 1215.

461 Quid pluribus? Cum in ipſo ferocius inſonuit Oriente Rebellionis Tuba: neque ſolùm *OEcumenicum*, ſed & *Sanctiſſimum* ſe Patriarcham Cerularius appellavit: in literis datis anno 1054. ad Petrum Antiochenum, de illo, & Alexandrino, ac Hieroſolymitano conqueritur, quod Leoni Nono Romano Pontifici adhærerent: *Pervenit*, inquit, *ad noſtras aures*, *quod tua Beatitudo prædictum Papam in Sacris retineat Dyptichis: quodque idem facit Alexandriæ, & Hieroſolymorum Patriarcha.* At ferè Quinque Secula effluxerant, ex quo Latini canebant Symbolum cum Particula *Filioque.*

462 Neque tamen Hæreſis eos quiſpiam apertè inſimulaverat, licet furore Photius excandeſcens eos admiſſi per illam Additionem criminis alicujus calumniatus fuiſſet. Primus certè omnium, qui nos Hæreticos diſertè dixerit, Balſamon fuit; ſcribere aggreſſus anno 1179. ac terras nequiſſimo halitu inficere deſinens anno 1193.

463 Præſcripſerant ergo Poſſeſſionem *OEcumenici* Nominis Romani Pontifices per plurima Secula, etiam poſt declaratam in Symbolo Divini Spiritus Proceſſionem a Filio.

464 Uſ-

Digitized by Google

464 Uſque adeo autem illam non præſcripſerant Antiſtites Conſtantinopolis, ut non modò *Inanem*, *Deteſtabilem*, *&* *Sacrilegam*, ſed & *Novam* appellare potuerit S. Leo Nonus Pontifex Maximus illius uſurpationem, qua Cerularius intumeſcebat. Imo & ipſam honorificentiorem in Conciliis Sedem improbavit, qua ipſe anteferri volebat, erectis a Petro, Cathedris Orientis. Sic enim habet in datis ad Michaelem Apoſtolico Spiritu flagrantibus literis. *Nova ambitione Alexandrinum, & Antiochenum, Patriarchas Antiquis ſuæ Dignitatis Privilegijs privare contendens, contra omne Ius ſubjugare tuo Dominio conaris. Qualis verò, & quàm Deteſtabilis illa Sacrilega Uſurpatio, qua te OEcumenicum Patriarcham ſcripto, & verbo jactas, cum omnis Dei amans tali hactenus horruerit inſigniri Vocabulo: Quomodo animas pro Fratribus habetis ponere, qui Inane Nomen, ac totam Eccleſiam ſcandalizans, dedignamini deponere? &c. Illud autem quis non ſtupeat, quod poſt tot Sanctos, & Orthodoxos Patres, Mille, & viginti a Paſſione Salvatoris Annis Novus Calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti* (carpſerat Cerularius Uſum Azymorum, & Iejunium Sabbati) *Atqui Romana Eccleſia adeo non eſt ſola, ut in toto Orbe terrarum quæcumque Natio diſſentit ſuperbè ab ea, non ſit jam dicenda Eccleſia, ſed Conventiculum Hæreticorum, vel Schiſmaticorum, & Synagoga Sathanę, &c.* His acceptis Epiſtolis colorem quidem Æthyops non immutavit, ſed ejus virulenta Scripta flammis tradi juſſit Imperator.

Primæ tamen in Oriente Sedis honor Anno 1215. confirmatus Conſtantinopolitano Præſuli fuit ab Inno-

cen-

centio Tertio in Lateranenſi Concilio; ſed permiſſus nunquam uſus *OEcumenici* Nominis.

XIV. *Excuſatur Ioſeph Patriarcha*, OEcumenicum *ſe nuncupans in Confeſſione Fidei, qua Summum Pontificem obſequentiſſimè veneratus eſt, ut* Patrem Patrum, & Chriſti Vicarium, *ante finem Florentini Concilij.*

IUre igitur admiratione percellimur, quod Ioſeph religioſiſſimus Patriarcha illud præfixerit ſcriptæ a ſe Fidei Confeſſioni ſub exitum vitæ ante finem Florentini Concilii. Sed ſuperbo id, & obdurato in nequitiam animo, præſtitum ab illo non fuiſſe, liquet: quia nullum unquam præſetulerat Ius in alios Primarios Antiſtites Orientis; Romanum autem & fuerat obſequentiſſimè veneratus: 465 Et in hac ipſa Confeſſione ipſum appellat *Patrum Patrem*, & *Chriſti Vicarium*. Bona ergo fide Senex Optimus uſurpavit Prædeceſſorum morem, & plurimis solùm Provinciis præſidentem ſe Ampliſſimo illo Titulo voluit intelligi: neque a morbo, quo fuit improviſo correptus, permiſſus fuit, Eugenium Pontificem conſulere: vixque literis, iiſque breviſſimis, obſignatis, in Sacello piè deceſſit.

Eaſdem iuvat Literas hìc attexere. *Quoniam ad finem vitæ meæ perveni, ſubiturus jam commune debitum, Dei gratiâ ſcribo, & ſubſcribo ſententiam meam apertè univerſitati meorum filiorum. Omnia igitur, quæ ſentit, & quæ dogmatizat Catholica, & Apoſtolica Eccleſia Domini noſtri Ieſu Chriſti Senioris Romæ, ipſe quoque ſentio, & ijs me acquieſcentem do, ac dico. Pro-*

fiteor

fiteor quoque Beatiſſimum Patrem Patrum, & Maximum Pontificem, & Vicarium Domini Noſtri Ieſu Chriſti Antiquæ Romæ Papam ad certam omnium Fidem: nec non Purgatorium animarum. In horum quippe fidem ſubſcriptum eſt: Die menſis Iunij Nono 1439. Indict. 2.

SIGNUM XXIV.

Exercitium Regiminis Eccleſiæ Univerſalis mirificè triumphans in S.Gregorio Magno.

I. *Affertur Exemplar Regiminis Univerſalis Eccleſię, exerciti a S. Gregorio Magno Pontifice Maximo: ac ſua retorquentur tela in Calvinum audaciſſimi Mendacij redargutum, qui, depromptis ejuſdem Gregorij verbis, invehitur in Titulum Univerſalis Epiſcopi, ipſamque Univerſalitatem Pontificiæ Gubernationis. Ac primò ex anſa, quam Ioannis Patriarchæ Superbia dedit Gregorianæ Modeſtiæ ad ea verba proferenda, expenditur Conſilium Divinitatis in tribuendis Eccleſię Pontificibus Heroica virtute præſtantibus, cum arrogantius intumuerunt Præſules Conſtantinopolitani.*

LUnæ comparatur Eccleſia Divina, quam Sol Sponſus Chriſtus Dominus perpetuo fulgore illuſtrat. Suus igitur illi per Gloriæ Cælum urgendus eſt curſus, nova ſemper indicando Signa, quæ Veritatem eidem Eccleſiæ vindicent, & majori, quàm Cæleſtia ipſa Signa, Luce redundent. Spernendi ſunt interim Hæreticorum,

Digitized by Google

veluti Canum irrito conatu Lunam impetentium, Latratus. Tamen ut plerumque, licet hoc non profeſſi, ea omnia occupamus, quæ obiectare hoſtes poſſent, inque illos retorquemus eorumdem arma: ita ſemel aperto conſilio Tartareas Calvino, Cerbero ſcilicet, diſcerpere fauces decrevimus, qui Gregorio Magno inſultat, perinde ac ſi falsò ille jactaſſet, Appellationem *Univerſalis Epiſcopi* oblatam Romano fuiſſe a Chalcedonenſi Concilio: & ex eodem Titulo, quem improbari ab ipſo Gregorio affirmat, eruere nititur: neque Rem a Nomine repræſentatam, ſcilicet Adminiſtrationem Univerſalis Eccleſiæ, Romano Pontifici convenire.

At nos oſtendemus, Mendacii Portentum, hæc proferentem, Calvinum fuiſſe: neque illuſtrius ab ullo, quàm a Gregorio, peti poſſe documentum Pontificii Iuris ad Regimen Univerſalis Eccleſiæ.

466 Sed antequam hoc evidenter demonſtrare aggrediamur, animadvertere præſtat mirabile conſilium Providentiſſimi Numinis in tribuendis Eccleſiæ ſuæ magnanima virtute præſtantibus Pontificibus, quotieſcumque audacia majori erexerunt cornua Superbi Præſules Conſtantinopolitani: quorum unus Ioannes, Cognomento Iejunator, anſam dedit Magno Gregorio ſcribendi ea, quæ Calvini livor maligna, & veſana interpretatione pervertit.

Si enim Prima Diſcordiæ Semina jacta ſunt a Canone Conſtantinopolitani Concilii, tunc Romæ vir egregius Damaſus imperabat, qui certè confirmans ea tantùm, quæ ad Fidei Declarationem Synodus illa ſanciverat, lædi nihil permiſit Eccleſiarum Iura, a Petro conſtitu-

tu-

tuta. Cum Anatolius intumuit, Magnus illius arrogantiam compeſcuit Leo. Ut è Sacris Tabulis abraderetur nomen Achatii fautoris Hæreticorum, & aliorum, qui Achatio ſucceſſerant in Sacro Regalis urbis Throno, neque impium illius nomen deleverant, Flavitæ ſcilicet, Euphemii, Macedonii, ac Timothei: S. Hormiſda ex urbe Roma decrevit, Magnus & ipſe appellari promeritus ob illuſtria geſta, & Heroicum præcipuè Spiritum, quo Sacrum in tot Antiſtites fulmen intorſit: atque in Zenonem præterea, & Anaſtaſium Hæreticos Imperatores: ſummoque ſibi obſequio vidit obtemperantes Iuſtinum Cæſarem, Ioannem Patriarcham Conſtantinopolis, omneſque cum illis Antiſtites Orientis. Congreſſum alteri, præpoſtero faſtu ſuperbienti, Ioanni Gregorium Magnum mox expendemus.

Alterum interea, eadem Magni Appellatione illuſtrem, S. Nicolaum innuimus, quem ad obſiſtendum Photio Vicarium ſuum Chriſtus Dominus Eccleſiæ Romanæ ſuffecit; neque impari animo præditum Adrianum Secundum.

467 Quamvis autē a generoſa horum ſtrenuitate degeneraverit Ioannes Octavus; ipſa tamen illius, plus æquo indulgens, indoles Eccleſiæ Divinæ aliquid conſulit, cum captum ſpe impetrandæ veniæ allexit mortalium ſuperbiſſimum Photium ad ſupplices Romam Literas, & Legationes mittendas: adeoque ſe Reum Calumniæ profitendum, qua coram Orbe Univerſo, excidiſſe a Iure moderandi Clavum Apoſtolicæ Navis Romanum Pontificem, aſſeveraverat.

Ceterùm quis in S. Leone Nono Cerularii Anta-

gonista vigor exarſit? Quæ floruerunt dotes in Innocentio Tertio, Gregorio Decimo, Eugenio Quarto, Præſidibus Conciliorum, in quibus Roma, Lugdunum, Florentia, cum incredibili plauſu geſtientis Chriſtianæ Reipublicæ ſpectarunt Univerſam Græciam ante ſui Paſtoris genua procumbentem!

II. *Veriſſimè affirmavit Gregorius*, *Nomen* Univerſalis Epiſcopi *tributum fuiſſe Romano Pontifici a Concilio Chalcedonenſi: & effrontiſſimè mendax fuit hoc negans Calvinus*.

UT autem in Gregorio nunc Magno conquieſcat oratio, cum Calvinus Inſtit. lib. 4. cap. 7. §. 4. illius verba retuliſſet, affirmantis lib. 4. Epiſt. 32. & alibi: oblatum Prædeceſſoribus ſuis in Concilio Chalcedonenſi nomen *Univerſalis*, addit: *Hoc nullam habet veri ſpeciem, nec enim tale quidpiam in Actis ejus Concilii legitur*. Triumphum deinde canit, ejuſdem Gregorii verba inculcando, qui eâdem Epiſtolâ 32. & alibi repetit: Nomen *Epiſcopi Univerſalis* eſſe profanum, Sacrilegum, Antichriſti prænuncium; & ideo neminem ex ſuis Prædeceſſoribus illo unquam uti voluiſſe.

Hæc Calvinus, quem mentitum fuiſſe, cum negavit, in Actis Concilii Chalcedonenſis legi quidpiam de Appellatione *Univerſalis*, Romano Pontifici accommodata, expenderunt alii. At nos ulterius progreſſi, actum profectò Furiis hominem fuiſſe, dum hæc ſcriberet, confidentiſſimè pronunciamus.

Itane verò, non ſolùm Falſa, ſed etiam *quibus nulla ineſſet ſimilitudo veri*, Gregorius protulit: effrontiſſima

ma

Digitized by Google

ma videlicet, & vel a Pueris, Acta illius Synodi legentibus, comperienda mendacia?

468 At puerilis certè Veſaniæ compertus ipſe es, Bipedum mendaciſſime; licet enim ea in Synodo Quæſtio non fuerit inſtituta, an hoc *Univerſalis Epiſcopi* Nomen Romano eſſet Pontifici tribuendum; tamen præſumptum enimverò fuit, velut in Eccleſia Dei notiſſimum, convenire illi, quem 469 *Cuſtodem Vineæ ſuæ impoſitum a Chriſto fuiſſe*, ac Generalis eſſe Concilii *Patrem*, & *Caput* ipſa Synodus dixit: quemque, præter alia ſuperius expenſa, frequentiſsimè Præſules, reclamante nemine, *Univerſalem Epiſcopum* appellaverunt. 470 Veriſsimè igitur, neque ſolùm *cum aliqua veri ſpecie*, hujuſmodi Nomen Leoni Prædeceſſori ſuo a Synodo fuiſſe oblatum, Gregorius affirmavit; atque ſplendidè mendax fuit hoc inficiatus, & provocans ad Synodi Acta, Calvinus.

III. *Manifeſtiſſimum eſt, a Gregorio ſolùm improbari Nomen* Univerſalis, *prout ſignificare videtur* Unicum *Epiſcopum: ex quo patet infelix Calvini livor, uſus Gregorii verbi contra* Univer*ſalitatem Supremi Pontificii Regiminis ſupra reliquos, verè pariter Epiſcopos.*

NEque mitioribus agitatus Intemperiis eſt, cum, favere ſuæ Cauſæ, Pontificii videlicet Univerſalis Regiminis Everſioni, putavit Gregorii verba, *Profanum, Sacrilegum, & Antichriſti prænuncium, Nomen Univerſalis Epiſcopi*, eſſe cenſentis; ideoque rejectum a Prædeceſſoribus ſuis. Nam

Digitized by Google

471 Nam primò meridiana Solis luce clarius eſt, in eo ſolùm ſenſu improbari a Gregorio, quo illud Ioannes Præſul Conſtantinopolis uſurpabat, videlicet ita ut *Unicus* ipſe Epiſcopus videretur; ſic enim ſcribit lib.4. Epiſt. 34. ad Conſtantiam: *Triſte valde eſt, ut patienter feratur, quatenus prædictus frater, & Coepiſcopus meus, ſolus conetur appellari Epiſcopus.* Et eodem lib.4. Epiſt. 36. ad Eulogium: *Si unus Patriarcha Univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur.* Et lib. 7. Epiſt.69. ad Euſebium. *Si unus Univerſalis eſt, reſtat, ut vos Epiſcopi non ſitis.*

472 Atque hunc certè ſenſum præſeferre videtur *OEcumenici Patriarchæ* Appellatio, quam Ioannes, & alii ſibi arrogarunt; cum contra Romani Pontifices addere conſueverint Nomen *Eccleſiæ*, ſe identidem nuncupantes *Epiſcopos Catholicę Eccleſiæ*: cujus diverſæ formæ loquendi diverſam vim ſupra expendimus.

473 In eo ſenſu, quem Gregorius tantùm impugnat, profectò *Profanum*, & Sacrilegum eſt Nomen *Univerſalis*, hoc eſt *Unici* Epiſcopi: idemque contrarium Inſtitutioni Chriſti, qui omnes Apoſtolos Epiſcopos eſſe voluit: & Paulus alloquutus alios, quos conſecraverat Præſides Eccleſiarum: *Attendite*, inquit, *vobis, & univerſo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.*

IV. *Dam-*

IV. *Damnare non potuit Gregorius Nomen* Univerſalis, *prout ſignificat Epiſcopum ceteris pariter Epiſcopis præſidentem, & in eorum cuſtodiam excubantem.*

INque hoc tantùm ſenſu, quo ceteri ab Epiſcopali munere excluderentur, rejectum *Univerſale* Nomen a Prædeceſſoribus ſuis fuiſſe, potuit affirmare Gregorius.

474 An enim illud cum alia Explicatione (quæ Generalem tantùm ſignificat Eccleſiæ Univerſæ Cuſtodiam, præſidentem aliis, verè pariter Epiſcopis, excubantibus in Regimen peculiarium Eccleſiarum) improbare potuit vir ſapientiſſimus, ſecum ipſo pugnans, qui eodem lib 4. eâdemque Epiſtolâ 32. (Achillæâ videlicet Calvini haſtâ) diſertè dixerat: Petro *Totius Eccleſiæ* a Chriſto Domino Curam eſſe commiſſam; quod idem penitus eſt, ac, *Totius* fuiſſe Epiſcopum conſtitutum?

475 An, cum dixiſſet, oblatum hoc Nomen Leoni fuiſſe a Synodo Chalcedonenſi, nullo illud ſenſu aptari Romano Antiſtiti poſſe, ſomniavit: damnans Erroris Synodum illam, quam in explicandis Chriſti verbis Sanctam, & Catholicam paſſim appellat, & ipſi comparat Euangelio?

476 An carpere aggreſſus fuit S. Sixtum Primum, qui Epiſt. 2. S. Victorem Primum, qui Epiſt. 1. S. Pontianum, qui Epiſt. 2. S. Stephanum Primum, qui Epiſt. 2. S. Leonem Primum, qui Epiſt. 54. 62. & 65. ſe dixerant *Epiſcopos Eccleſiæ Univerſalis*? Manifeſtiſſimum igitur eſt, eâ ſolùm ſententiâ Gregorium affirmare, ab aliis rejectum hoc Nomen fuiſſe, qua ipſi tantummodo Epiſcopi cenſeri poſſent.

V. *Cau-*

Digitized by Google

V. *Cauſæ, ob quas Nomen hoc ipſe Gregorius abſolutè recuſavit, oſtendunt Nequitiam Calvini, impugnantis Univerſalitatem Pontificij Regiminis Auctoritate Gregorij.*

477 AT enim nulla omnino illud acceptione Gregorius idem admittit. Damus id ultro; ſed hoc adeo nihil Calvino ſuffragatur, ut huiuſmodi Argumento niti nequiverit ſine dementi improbitate. Quis enim non videt, identidem opportunum non eſſe, uſurpari Nomina quædam, aptiſſima ceteroqui, & meritò adhibenda, niſi Temporum, & Mortalium iniquitas illis abutatur? *Chriſti Matrem* nunc ad Aras, & in publicis Eccleſiæ ſupplicationibus invocamus: & nihilominus olim Patres Χριστοτόκον dici Deiparam vetuerunt, eandem inter pias lachrymas Θεοτόκον, hoc eſt *Dei Matrem*, in Epheſino Concilio appellantes: ne ſub Prima Nuncupatione lateret Hæreſis Neſtorii, qui Virginem Auguſtiſſimam, *Chriſti* quidem, non tamen *Dei Genitricem*, confitebatur. Ita cum eò deveniſſet amentiæ Ioannis ambitio, ut *OEcumenicum* ſe Patriarcham jactaret: ad ipſum pudore ſuffundendum, Univerſalis Eccleſiæ Præſul dici noluit, Cæleſti præſtans animi demiſſione, Gregorius.

478 Imo nec *Patriarcham* ſe inſcribens, aut *Archiepiſcopum*, Pontificiis Decretis Titulum ſolummodo *Epiſcopi* præfigebat. Ac tunc primum, ut refert Ioannes Diaconus in ejus vita lib. 2. cap. 1. hac ipſa de cauſa compeſcendi audaciam Præſulis Conſtantinopolitani, novam induxit Gregorius Nomenclaturam, ſeque dixit *Servum Servorum Dei*; quam reliqui poſt illum Pontifices ſuſceperunt.

Locus hìc eſſet, de mira Sancti hujus Pontificis Dejectione animi diſſerendi: qua fugam ab Urbe arripuit, ne Supremæ Cathedræ imponeretur; adeo ut Cæleſtibus indicanda Signis fuerint ipſius Latibula: quaque Maximus jam Pontifex ante Sanctum Eremi cultorem virum coram Populo procubuit, &, antequam ille in pedes exiliret, aſſurgere detrectavit.

VI. *Mortalium dementiſſimus patet Calvinus, certis limitibus circumſcribens Pontificiam Auctoritatem: et Gregorium appellans, qui eam ubicumque Gentium exercuit. Idæa Curarum ſpectantium ad Pontificem Maximum.*

479 SEd rem ipſam urgentes, palmaris Dementiæ notam Calvino inuramus, in lucem proferentes Cauſam, ob quam de recuſato a Gregorio *Univerſalis Epiſcopi* Nomine Quæſtionem inſtituit: ut videlicet è rejecto Nomine Rem ipſam evinceret ſub eodem latentem, ac ſuo jure ſtatueret: non ſpectare ad Romanum Antiſtitem Orbis Chriſtiani Univerſi Præfecturam. Hanc verò, quam nos inimus, ad illum proſcindendum viam ſi miſer intueretur, totis profectò artubus contremiſceret: ſeque, auſum de Gregorio hiſcere, ultro dementiſſimum profiteretur.

Intra Suburbicarias, opinor, aut demum Occidentales, Eccleſias, ſua illa de *Univerſalis* Tituli Diſſertatione Calvinus compeſcere moliebatur Romani Epiſcopi Iura. At exercita ab eodem in Univerſum Terrarum Orbem Iuriſdictio in nullo magis, quàm in Grego-

rio triumphavit: nulluſque magis Chriſtianos omnes Populos, & Populorum Paſtores, ſibi vidit obſequentes: ac proinde in nullius compellatione magis effulgere potuiſſet, nunc proterendi, nequiſſimi Hoſtis inſania.

Conficere vis, Calvine, repudiatum a Gregorio fuiſſe *Univerſalis* Epiſcopi Nomen, quia compertum haberet, ad ſe non ſpectare Univerſi Gregis Dominici curam? At cur illam adeo ſedulò, ac imperterritè Gregorius idem exercuit: ut, cum omnes id ipſum præſtent Romani Pontifices, pro temporum opportunitate, & juxta Divini, quo flagrant, ardoris menſuram; nullus tamen illi anteiverit, eundem vix aliquis exæquaverit? Exemplar ipſe illorum eſt, qui, quantum homini licet eniti, Divinum propemodum Munus opere implent.

Chriſti Vicario ſanctè id aptatur, quod nobilis Vates, capto Daphnidis amore, Apollini ingenioſè exprobravit:

Virgine figis in una,
Quos mundo debes, oculos?

Dici videlicet poteſt: ſuis partibus illum deeſſe, ſi, juſſus excubare Univerſæ, qui eſt Eccleſiæ Epiſcopus Univerſalis, ſuas intra Unam, aut alteram Urbem, aut Provinciam contineat ſolicitudines. Potiori quidem Urbis Romæ, cujus peculiaris Antiſtes eſt: & Occidentis, cujus Patriarcha: diſtringendus eſt cura. Sed non idcirco ceterarum, ad quas Maximi Pontificis Regimen protenditur, Regionum oblivione capiendus eſt.

VII. *Exer-*

Digitized by Google

VII. *Exercitium Univerſalis Eccleſiæ Regiminis fulgens in Gregorio, Fidem, ceteraſque Virtutes, in toto Orbe Chriſtiano conſervare ſatagente.*

480 VT autem eâ captum non fuiſſe Magnum Gregorium, uſi Partitione aliqua, curſim innuamus: ſi Gentium omnium Tutelæ Paſtori omnium incumbendum eſt, Integritatem Fidei ſarctam, tectam in eius Profeſſoribus conſervando, eamque perficiendo religioſo ceterarum cultu Virtutum: plurimùm ad hoc Ore Gregorius, & Calamo contulit, Divini Verbi Pabulo Romanos, & confluentes ad Urbem Advenas perpetuò nutriens: ſcriptiſque Cæleſtibus Operibus omnes informans: datis verò frequentiſſimis ad alios Præſules Literis, eoſdem officii commonefaciens: & incredibili præſertim ſtudio laborans, ut Monachi, ceterique præcipuo cultui Divinitatis addicti, reliquis præirent exemplo Religionis.

VIII. *Gregoriana Solicitudo Hæreſes ubique terrarum profligandi.*

SI connitendum eſt Veritatis Magiſtro, ut, quæcumque per Provincias graſſantur Schiſmatum, aut Hæreſum peſtes, quamprimùm extinguantur: mirabilis hac laude Gregorius fuit, qui omnem primò lapidem movit, ut Schiſmaticos, ob Controverſiam de Tribus Capitibus avulſos, ad Unius Corpus Eccleſiæ revocaret: ſortitus exitum in pleriſque fauſtiſſimum, præſertim lucratus omnes Hiberniæ Antiſtites: 481 Et excipiens ampliſſimam reſipiſcentium Orientalium Legationem: qui

Digitized by Google

Pallium negavit Syagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo, niſi Neophytos Hæreticos a Galliis extorres ageret: 482 Qui Donatiſtas repreſſit in Africa: ejurantes Arium vidit Hiſpanos, atque omne undequaque ſparſum Gothorum genus: 483 Qui Agnoitas ejecit Alexandriâ:& ubicumque gentium labefactatam Catholicam Fidem, magna ſaltem ex parte, primævo candori reſtituit.

IX. *Ardor Gregorij, ad Chriſti cultum omnes Populos invitantis.*

484 SI Apoſtolicæ Cathedræ inſidens ſpargere jubetur Evangelii Præcones per conſepultas inſcitiæ tenebris terras, Ethnica Superſtitione merſos in Sardinia Barbaticinos Gregorius illuſtravit: non deſtituit auxilio Iudæos, ac Samaritas; cumque beneficas omnibus porrexerit cum Sole manus, Paterno tamen amore præcipuè complexus fuit Britannos, delicias ſuas, ad quos legavit Auguſtinum, Mellitum, alioſque è ſuo Aſceterio Hieromonachos: imo ipſe ſimul cum illis viſus fuit maria transfretare, luſtrare nobiliſſimam Inſulam, alloqui populos, atque Regem; adeo frequentes ad eos Literas dedit: adeo ſpe lapſos in itinere confirmavit: ſuo adeo ſpiritu omnes animavit: meritò proinde illius præclari, a ſe cæleſti luce perfuſi, Regni a Beda dictus Apoſtolus.

Digitized by Google

X. *Leges a Gregorio latæ omnibus Chriſti cultoribus: Moderationes, aut Declarationes Canonum ab alijs Pontificibus, aut Concilijs conditorum.*

485 SI ad Virtutes, ac præcipuè Fidem, conſervandam, reſtituendam, aut primò excitandam, præſcribendæ ſunt a Moderatore Chriſtianæ Reipublicæ omnibus profuturæ Leges: vel pro Temporum, ac Locorum, opportunitate infringendus, vel temperandus eſt earumdem rigor: quis in hoc majorem exercuit Gregorio poteſtatem? Præter Sapientiſſima illius Decreta, omnes, etiam Præſules, communiter illigantia, extant peculiaria de Subdiaconis Siciliæ, qui Nuptias contraxerant: de Templis Anglorum non diruendis, ſed Chriſtiano Ritu conſecrandis: de Gradibus Affinitatis, qui moram inituris ea in Inſula Matrimonium non eſſent iniecturi: 486 Plurimæ demum extant æquiſſimæ Sacrorum Canonum permiſſæ a Gregorio Moderationes.

XI. *Profanos Principes, ipſumque Cæſarem ad Cæleſte iter Sacris Præceptis Gregorius dirigit.*

487 SI tollenda de medio ſunt a Duce mortalium ad Sempiternum Regnum aſſequendum Obſtacula, quibus Cæleſte iter præpediunt Seculi Principes, aut morum ſuorum licentiâ, perniciem in ſubjectos Populos Exemplo trahentium: aut Bellis: aut Hæreſis Patrocinio: aut ſancitis Decretis cum Eccleſiaſtica Libertate pugnantibus: quis majori, quàm Gregorius, ac verè Pontificia, ſtrenuitate congreſſus cum illis fuit? Frequentes ille ad Reges Epiſtolas exaravit; eam iiſdem coronidem

dem imponens, qua, devolvendos ipſos à Regimine, minabatur, niſi ſuis juſſibus obtemperarent. Præfectum Urbis in infligendis Pœnis ferocientem mitigavit. Childebertum Galliæ Regem, ejuſque Matrem Brunichildem admonuit de tollendis, qui in florentiſſimum illud Regnum irrepſerant, inconditis moribus: illuſtri ab eadem Legatione conventus fuit, ut inter Nepotes ſuos, Regem, ac Cæſarem, Pacem conflaret: aliâque a Theodelinda Longobardorum Regina: ad quos quidem populos, per Italiam debacchatos, evertendos armis vires illi fuiſſent, ut certis argumentis oſtendi poſſet; niſi mitiſſima Gregorii indoles ab effuſione humani ſanguinis abhorruiſſet. Eos tamen ad Pacis allicere conſilia, omni ſtudio conatus eſt: vigilantiſsimè Romam defendit ab eorum inſidiis: cumque ſemel illorum Dux Arnulphus Urbem aggredi decreviſſet, juſsit Gregorius Imperatoribus, ejus Ditionem armis invadere, quò a nefario conſilio ad ſua tuenda Barbarus averteretur.

488 Sed omnium præclariſsima fuerunt documenta Conſtantiæ a Gregorio edita in compeſcenda Mauritii Cæſaris temeritate, illos, qui milites fuiſſent, in Monaſterium recipi prohibentis. Ipſum primò privatis Literis admonuit, ne quidquam contra Religionem peccare vellet: ac Publicis demum Decretis Cæſareæ Iuſsionis prævaricationem Pontifex Magnanimus emendavit. Et prævaluit quidem Gregorii Placitum: ac brevi Pœnas illius per ſummam injuriam vexati ſolvit Mauritius; feliciſsimo tamen Infortunio, quia violentum cum Filiis funus ſubiturus exclamavit: *Iuſtus es, Domine, & rectum Iudicium Tuum.* Cujus exemplo edoctus Phocas, utcumque

que moribus inquinatiſsimus, eximia proſequutus eſt, veneratione Gregorium.

XII. *Pontificium Ius in omnes Epiſcopos, etiam Orientis a Gregorio exercitum, eos eligente, rejiciente, plectente pœnis, honorum Gradus decernente, conjungente Eccleſias, & è Sacro Throno quoſdam deturbante.*

SPectant quidem ea, quæ innuimus, ad Sacrorum Præſidem, ſi eum neceſsitas urgeat ad frænandos profanos Principes Divinitati rebellantes. Sed illa conſueta magis, directa, & perpetuò exercenda Pontificum Iuriſdictio, qua ceteros Præſules eligant, aut confirment: corrigant, ſi delinquant: audiant ad ſe appellantes: ipſoſque etiam Patriarchas ſuo perfungi munere, ac Majoris Virgæ nutibus obſequi, cogant.

489 Quot porrò conſecravit Epiſcopos Magnus Gregorius! Quot conſecrari ab aliis imperavit, præſertim ab Auguſtino, quem Pallio donavit, in Anglia?

490 Quibus omnes Literis ad vigilem Animorum ſolicitudinem excitavit! Quot Eccleſiarum incommodis conſuluit!

491 Quoties unam alteri inſeruit! Quàm illuſtri Legatione cultus fuit ab AntiſtiteChartaginiēſi! Quando majori confluentium Præſulum frequentia Urbs inundavit: ut expedire viſum etiam Gregorio fuerit, Siciliæ Epiſcopis indulgere, ut Quinto ſolùm quoque Anno ad Limina Apoſtolorum accederent!

492 Quàm frequenter verò aut rejecit, qui Muneri impares ad Eccleſiarum ſuſcipiendum Regimen propone-

nebantur, ut ad Neapolitanam duos: & alterum, quem Longobardorum Rex provehebat ad Mediolanenſem. Intruſum verò Salonitarum Epiſcopum Maximum, & Mauritij Imperatoris Tutelâ ſuffultum, repulit primò: accedentis deinde ad Pontificios pedes Cauſam cognovit, ac ſedere indulſit, Pallio etiam inſignitum.

493 Quot deerrantium Præſulum mores in melius revocavit, cum omnium ferme Vitæ inſtitutum perſpectum penitus eſſet interroganti de illa ſingulos, qui ad Urbem accedebant, & forſitan identidem edocto Divinitus! Quot per Literas ſeverè objurgavit! Quot per munera etiàm ad virtutem allexit! Vetuit uni, ne Grammaticam pueros edoceret: Pœnam inflixit Antiſtiti Diaclini: Demetrium è ſolio dejécit: Inter alios de honoris gradu certantes illuſtrium Iura Sedium ordinavit: Dalmatas tranſgreſſores a participatione Divinorum Munerum aliquamdiu ſuſpendit.

XIII. *Suprema Gregorii Auctoritas cognita ab Epiſcopis omnium Gentium ad illum appellantibus.*

494 QUot porrò ad ſe provocantium Controverſias Iudex æquiſſimus conſopivit! Hibernis, inter quos Lis fervebat delata ad Pontificium Tribunal, reſcribens, ne Baptiſmate luſtrati ab Hæreticis Sacrâ iterum Aquâ perfunderentur: Hiſpanos, quorum nonnulli pulſi per injuriam fuerant in Exilium, miſſo ad eorum Cauſam cognoſcendam Ioanne Defenſore, in Sedem reſtituens: Thebanum abſolvens, ac Primæ Iuſtinianæ Præſulem puniens: omnibus demum injuſtè vexatis Paterno Patrocinio ſemper opitulatus:

Quod

Quod quidem in admittendis Appellationibus Gregorianum Exercitium Iuris frequentiſſimè occurrit Sanctiſſimi hujus Pontificis Epiſtolas percurrentibus.

XIV. *Patriarchæ omnes, atque ipſe Ioannes Conſtantinopolitanus Verbis, & Facto ipſo, ſubjectos ſeſe Gregorio profitentur.*

496 AN verò ad Patriarchas etiam protenſa non fuit ſub Gregorio Auctoritas Chriſti Vicaria? Innuimus de pulſis ab illo Alexandriâ Hæreticis Agnoitis: Obſequētiſſimas verò a Sancto tunc illius Urbis Patriarcha Eulogio Literas excepit, quem, egregiè plerumque ſuas partes obeuntem, ſemel tantùm objurgatione, ceterùm frequentibus laudibus Gregorius affecit, ac Donis etiam honeſtavit.

497 Inſigni fuit amicitia conjunctiſſimus S. Anaſtaſio Sinaitæ, tunc Præſuli Antiocheno, eximio cultori Gregorii, qui eidem ſuam in Sedem reſtituto gratulatus, ac largitus eſt Librum ſuum, *Paſtoralis* nomine prænotatum, verſum deinde in Græcorum Linguam ab eodem Anaſtaſio. 498 Miſſam Fidei Confeſſionem ab Heſychio Antiſtite Hieroſolymorum, veluti Catholicam comprobavit.

499 Ioannem verò Conſtantinopolitanum, Iejuniis enectum, ſed ſuperbo *OEcumenici* nomine inflatum, ſæpiſſime contudit: ſuos perpetuò Apocriſarios excubare in Urbe Regia juſſit, ne quid Religio incommodi pateretur: quo ipſe ante Pontificatum Munere functus plurimùm Orienti profuerat: & Eutychium Patriarcham coegerat, contra id, quod ante ſcripto etiam Libro docue-

rat, profiteri: nos in vera, ac tractabili carne conſurrecturos. Sabinianus ergo primùm, qui deinde fuit Gregorii Succeſſor, Catholicam rem Conſtantinopoli curavit Gregorii Nuncius: tum Anatolius: ac demum Bonifacius, qui pariter Secundus a Gregorio Regale Sacerdotium excepit.

500 Et, frendens quidem, veluti malus Dæmon obtemperans Deo, ſed tamen obedivit Gregorio Ioannes, mittens ad illum, ut ſuum Iudicem, Acta in Cauſa cujuſdam Presbyteri; ſed interim inſipienti obduratione animi frequenter ſe appellans *OEcumenicum* in iiſdem Epiſtolis, quibus Iudicem ſuum alloquutus præſidentem ſibi Gregorium, eumque verè *Univerſalem*, quia Patriarchis etiam ipſis jura dantem, Facto ipſo confitebatur.

Summâ enimverò inſcitiâ laboraſſe fertur miſer hic, & ſuperbus, fruſtraque Hypocriſi tegens nequitiam cum ignorantia decertantem: quem cum ab arroganti inſania revocare diu fruſtra Gregorius tentaviſſet, 501 Imminentem demum illi ominatus fuit interitum: quo ſublatus cum eſſet, Cyriacus eidem ſuccedens ſupplices Literas cum ſuæ Proteſtatione Fidei Romam miſit, probatas a Gregorio; qui ſuo tamen Apocriſario vetuit Cyriaci conſortium, niſi relictam a Ioanne ſuperbiſſimi Cognominis hæreditatem execraretur.

XV. *Exer-*

XV. *Exercitium Pontificiæ Poteſtatis in ipſa Concilia triumphans in Gregorio, eadem indicente, comprobante, reiiciente. Auctoritas declarandi Fidei Articulos aſſerta Divinitus in Gregorio.*

502 SUpremis Gregorium Orientis Præſulibus vidimus præſidentem. Supereſt, ut Exercitium Pontificiæ ſupra Synodos Auctoritatis intueamur. Plures ille in urbe Roma celebravit: unam in ipſo Exordio Sacri Regiminis, aliaſque deinde tres, quarum in vna exemit ab Epiſcoporum poteſtate Monachos, illuſtribus aſe prærogativis ornatos: alteram celebrari præcepit in Gallia; aliamque in Africa ab Hilario Cartulario, ut appellabatur, ſuo: juſſo, in illa Epiſcopum quendam è gradu deiicere.

503 Quamvis autem Univerſalis dicta fuiſſet altera, coacta, ipſo Auctore, in Numidia; quia tamen eadem a recto Veritatis, & Iuſtitiæ tramite exerraverat, Irritam illam, nulliuſque roboris eſſe decrevit.

504 Contra verò Primis Quatuor, habitis in Græcia, Conciliis non minorem haberi voluit in Dogmatum Explicatione, quàm totidem Evangeliis, fidem.

505 Ipſi porrò Sanctiſſimo Pontifici in declarandis illibatæ Religionis Articulis tam certò adfuit, juxta Chriſti Domini Sponſionem, Divinus Spiritus, ut etiam concionanti, ac ſcribenti, ſub Columbæ ſpecie, pluribus conſpicua, ſuggerere omnia videretur.

XVI. *Inſultatur Calvino Gregorium compellanti: & oratio convertitur ad Græcos ſummo Gregorium cultu proſequutis.*

QUis ergo Gregorio illuſtrius oſtendit ſe *Antiſtitem Univerſalis Eccleſiæ*? Quis numeros Pontificii Muneris omnes præclarius implevit? Ad cujus, quàm ad Gregorii, nomen, inſanius potuit a Calvino provocari, ut exiguos intra fines Romani compeſceret Epiſcopi jura?

Cujus præterea nomen ſuavius blandiri Græcis poteſt, quàm Græciæ amantiſſimi Patris, & ſummo ab ipſis Græcis honore quotannis culti, addita ipſi Nomenclatura è Sacris, quos edidit in lucem; Dialogis, quoſque, Græcorum rogatu, eorum linguâ donavit S.Pontifex Zacharias?

506 Si Sanctiſſimis illum Pontificibus meritò accenſent, profectò fatentur, perperam uſurpatam ab illo nòn fuiſſe Univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ Gubernationem: nec abſque Iure compreſſam ab eodem Superbiam Antiſtitum Conſtantinopolis, ſeſe *OEcumenicos* appellantium.

XVII. *Obiter conteruntur Lutherus, & Illyricus, abuſi verbis Concilii Africani ad impugnandum Nomen Univerſalis Epiſcopi.*

507 PRofligato Calvino, contrito videlicet Serpente tumentioribus faucibus virus afflante, curſim, & quaſi per contemptum, pede comprimamus caput Lutheri, qui Libro de Poteſtate Papæ, & Illyrici, qui Li-

Libro de Hiſtoria Concilii Sexti Chartaginienſis, Canonem allegant Africani Concilii, quem recenſitum dicunt a Gratiano diſt.99. Can. *Primæ Sedis*, præſcribentem, *Univerſalem nec Romanum Pontificem appellari.*

Liquet ex dictis de diſcrimine inter Appellationem *Univerſalis Epiſcopi*, & *Epiſcopi Eccleſiæ Univerſalis*. Africanum præterea Concilium hanc ſolùm uſurpationem vetat Primatibus Africæ: neque loquitur de Romano, ut legenti Contextum Canonis, & illius condendi occaſionem, ortam ex eo, quod plures eſſent ea in Regione Primates, neque ullus alteri ſubjici vellet: maniſeſtiſſimum eſt; ideoque ſolùm cavetur, ne quis ex illis nuncupetur *Sacerdotum Princeps*.

Ea demum verba: *Univerſalis autem nec Romanus Pontifex dicitur*: non ipſius Concilii ſunt; ſed Gratiani Corollarium, ideſt nullius auctoritatis: vel, iuxta Sententiam Gregorii Magni, apta illis eſt Interpretatio tribuenda.

SI-

SIGNA XXV. XXVI. XXVII. XXVIII.

Univerſalitatem Eccleſiæ Romanæ vindicat Inconcuſſa Traditio : Hiſtoriæ omnes, etiam ſcriptæ ab Hoſtibus : Legum Tabulæ: Electio, & Inauguratio Cæſarum, atque Regum: Equitum Ordines. Res omnes: Omne genus Teſtium: Cælum, Terræ, Inferi: Schiſmata ipſa inter Latinos.

I. *Antiquiſſima, nec unquam abrupta Traditio.*

508 QUia copiâ dicendarum rerum obruimur, plures in unum congerimus, eaſque etiam tantùm innuimus. Quæ vis ineſt inveteratis, & per plurima receptis Secula Traditionibus! Per illas tantùm ante ſcriptam Legem propagata fuit Fides Divina. Cæleſte Verbum Traditiones etiam ipſæ cenſentur, non paginis, ſed mentibus hominum conſignatum. Plurimi ſemper illæ a Sanctiſſimis Patribus, & Conciliis, habitæ ſunt. Hinc ab ipſis Eccleſiæ Chriſti Incunabulis non Romanus tantùm Clemens, ſed & Antiochenus Ignatius, tradere poſteris inceperunt, quæ ab Apoſtolis acceperant. Hinc per illas tot ſolutæ ſæpenumero in Synodis Controverſiæ fuerunt. At niſi Romanæ penitus Fidei, ac Ritibus, conformarentur Vetuſtiſſimæ Traditiones, non eas adeo Recentes Hæretici deteſtarentur.

II. *Hi-*

Digitized by Google

II. *Hiſtoriæ omnes, etiam ſcriptæ ab Hoſtibus.*

509 VEteres omnes ante Balſamonem Hiſtorici Catholicam ſemper fuiſſe, fatentur, Romanam Eccleſiam: neque Fabulator ille, ac ſplendidus Artifex Calumniarum, integerrimam per plurima Secula fuiſſe Romanam Fidem, diffitetur.

510 Neque verò Iuſtinum tantùm, Irenæum, Epiphanium, Theodoretum, præter Latinos omnes, commemoro; ſed & Arianum Euſebium, Socratem, ac Sozomenum Novatianos; & Anteſignanum Schiſmatis Photium, qui, præter alia innumera, narrat in Libello de Septem Synodis, collatam a Silueſtro fuiſſe Nicæno Concilio per ſuos Legatos Auctoritatem: & Cæleſtini pariter Legatum Epheſino præſediſſe Cyrillum.

511 Quid præterea, niſi Romanæ Triumphos Eccleſiæ, recenſent Centuriatores Magdeburgenſes, dum de Martyribus, de Conſtantino, deque Generalibus diſſerunt Epiſcoporum Conventibus? An enim de Lutheri, Calviniquе Aſſeclis agant, qui nulli fuerant, antequam Transfuga ille Sacram è Clauſtro Virginem raperet: atque hic Stygmate Furcifer ob ſcelus nefarium inſigniretur? De ſe quidem tunc ſolummodo loqui potuerunt, cum de Antiquis, quorum germanos fratres ipſos eſſe palam fiet, ſermonem Hæreticis inſtituerunt.

512 Noſtras, inquam, palmas ſunt exequuti, dum Fidei Teſtium ſanguine diſſeminatam, inque triumphalem ſegetem adultam celebrant Veram Religionem ope Conſtantini, quem Silveſter Romanus Pontifex erudivit, qui ab Hoſii, ejuſdem Nuncii, nutu Nicææ pependit, qui

Digitized by Google

qui honorificentiſſimis Decretis Romanam Sedem ornavit.

III. *Legum Tabulæ, Imperatorum Reſcripta.*

513 QUid hic aliorum Cæſarum enumerem Leges, quibus adhuc Univerſa Reſpublica temperatur? Latas a Theodoſio Magno, Iuſtiniano, ac Baſilio, delibaſſe ſufficiat, quorum Primus C. de Summa Trinitate, ac Fide Catholica: *Cunctos*, ait, *populos, quos Clementię noſtræ regit Imperium, in tali volumus Religione cenſeri, quam, Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis Religio, uſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat: quam Damaſus profitetur.*

514 Alter verò in Literis ad Ioannem Pontificem, inſertis Legi de Summa Trinit. *Reddentes*, inquit, *honorem Apoſtolicæ Sedi, & Veſtræ Sanctitati, ut decet Patrem, Veſtram honorantes Beatitudinem, omnia, quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent, feſtinavimus, ad notitiam referre Veſtræ Sanctitatis &c. Omnes Sacerdotes Univerſi Orientalis tractus ſubijcere Veſtrę Sanctitati, quæ Caput eſt omnium Sanctarum Eccleſiarum.*

515 Idemque repetit lege 7. C. de Summa Trinit. ubi addit præterea: *Hæreticos omnes recto Apoſtolicæ Sedis Iudicio fuiſſe coercitos.* Et Novella 9. aut 10. *Ut Legum originem anterior Roma ſortita eſt: ita & Summi Pontificatus Apicem apud eam eſſe, nemo eſt, qui dubitet. Vnde & nos neceſſarium duximus, Patriam Legum, Fontem Sacerdotij, ſpeciali noſtri Nominis Lege illuſtrare.*

516 Et Epiſt. ad S. Hormiſdam. *Hoc credimus, eſſe*

ſe Catholicum , quod veſtro religioſo reſponſo nobis fuerit intimatum. Et aliâ ad eundem, orans, ne Patriarchæ Conſtantinopolis Succeſſores Acacii è Dyptichis expungerentur. *Finire dignetur inveteratam Controverſiam, de ceterorum nominibus queſtione ſopita, ut redimatis de ſanguine Plebem , quam vobis Deus noſter regendam commiſit. Oſtendat tuus Apoſtolatus, quod Petro ſucceſſit Apoſtolo, quia Dominus à vobis, utpote Summis Pontificibus, exacturus eſt Univerſorum rationem, qui poterant eſſe ſalvi firmatâ Concordiâ.*

517 Baſilius porrò, Annis ſupra Ducentis poſt additam particulam *Filioque*, jamque alio in Occidente a Romanis creato Pontificibus Imperatore, ita S. Nicolaum Magnum alloquitur, Orientalem ipſi commendans Eccleſiam a Photio exagitatam: *Pater, & ſecundùm Deum honorande Summe Pontifex, accelera ad corrigendos Eccleſiæ Errores. Redde nobis puram veritatem, & ab omni Schiſmate, & contentione liberam Unam in Chriſto Eccleſiam, & Ovile Unum.*

Quas retulimus, Cæſarum Leges neque ipſi contemnunt Eterodoxi, Canonicum quidem Pontificum, & Conciliorum, non tamen Civile Imperatorum Ius proterentes. Iis ergo jaculis conficiuntur, quæ non deſtitui acumine, confitentur.

518 Quid, incendio a Luthero concremati Codices Canonici Iuris? Nonne illa clariorem flamma, imo ipſa Solis face illuſtriorem Hæreſiarchæ Inſaniam oſtentant, ſperantem, deleri poſſe Teſtimonium Univerſi Chriſtiani Orbis, qui Decretis illis, paulatim in unum collectis, per

Digitized by Google

Annos Mille Quingentos obtemperans, religioſiſſimè coluerat Pontificiam Auctoritatem?

IV. *Cæſarum, & Regum Electio. Equitum Ordines. Academiæ.*

519 ANtequam verò a Cæſaribus abeamus, expendere juvat, non Catholicos tantùm, ſed plurimos etiam Hæreſi infectos, vel perpetuos fuiſſe cultores Romanæ Sedis, vel regreſſos identidem ad illius obſequium: quod de Conſtantio alibi, ac Valente innuimus: de Zenone, Anaſtaſio, Heraclio, aliiſque nunc plurimis, indicamus.

520 Occidentalium porrò Dignitatem Imperatorum a Romanis manaſſe Pontificibus, nullus dubitat: Iuſque illam conferendi ab iiſdem uſurpatum non fuiſſe, Priori Libro ſtatuimus, ex Græcorum Cæſarum Confeſſione. A quo noſtri, niſi a Romano Pontifice, Diadema petere conſueverunt? 521. Quis Cæſarum Electores, niſi Romanus Præſul, inſtituit? 522 Cui, niſi Petro ſuccedentibus, in Catholicæ profeſſione, ac Tutelâ Religionis, Obedientiam ſpondent Cæſares, atque Reges? 523 Sacri, qui ſervantur in eorundem Inauguratione Ritus, unde, niſi ab urbe Roma, fluxerunt? 524 Quot, Regio nondum nomine honeſtati Principes, ut illo decorari poſſent, ſupplicibus a Romano Antiſtite Literis, ac Legationibus, flagitarunt? Quot inclytæ Chriſtiani Orbis Regiones hanc ab illo ſibi tributam gloriantur prærogativam?

525 Clariſſimos commemorem, ac multiplices Equitum Ordines ab illo erectos, aut confirmatos? Eorumdem Leges ab illo robur accipientes? Sacris coloribus, Si-

Signiſque, Catholicam Religionem indicantibus, diſtinctas Clamydes?

526 Referam Academiarum Inſtituta, & Mores? Privilegia, quibus per ſignata Romæ Diplomata ornari ſe gaudent, ac prædicant? Iurisjurandi religionem, qua ſe ad propugnandam Romanam Fidem obſtringunt?

V. *Univerſitas rerum.*

527 THeatrum Univerſitatis rerum percurram, ex quibus omnibus ſoboleſcunt argumenta veritatis, ſive in pictis vetuſtis Imaginibus, ac Simulachris; ſive in Portis ipſis Urbium; ac Domorum: ſive in feneſtris: ſive in Antiquis Numiſmatibus, ſive in Recentibus Numis: quæ omnia Sacrum Romæ Imperium, Romanos Ritus, & Sacrificia, manifeſtis Inſignibus repræſentant?

VI. *Cęlum, Terrę, Inferi.*

528 SI demum omne Teſtium genus interrogemus; Catholicam, ideoque Veram, eſſe Romanam Eccleſiam, inclamabunt Cælites omnes, ab illius Militantis ſinu in Triumphalem elati; Apoſtoli videlicet: Martyres, quorum Decies ſupra Centies Centena Millia Urbs Roma intulit Concilio Beatorum: Pontifices Maximi: Religioſi eorumdem Cultores, Sanctiſſimi Græci, ac Latini Patres: tot Agmina receptorum in clauſtra virorum, ac mulierum ab illis confirmata, ſacriſque Decretis munita.

529 Clamabunt è Tartaro Iudæi, Ethnici, Turcæ, Romanæ præſertim inſectatores Eccleſiæ: nec alterius,

SIGNUM XXIX.

Neceſſariò ſemper fuit, quæ nunc eſt Catholica.

I. *Tertiam Catholicæ Notam, complectentem Tempora omnia, ſedulò expenſuri, primò generatim ſtatuimus, neceſſariò ſemper fuiſſe, quæ nunc eſt Catholica, cum Eccleſia nequeat immutari: ac prȩterea iterum oſtendimus, prȩſentia, & oculis quodammodo ſubjecta cenſeri ea, quæ innumeri tradunt Auctores, ſuis in Operibus ſuperſtites, ac præſertim Sancti Latini, Grȩcique Patres, & Acta Conciliorum, quorum, prȩcipuè Generalium, Editionem Fide digniſſimam conſectamur.*

HActenus in iis fermè immorati ſumus, quæ nunc cõtingunt in Orbe terrarum, Signum Univerſalis, ideoque Veræ, Eccleſiæ Romanæ vindicantes: & Vetuſta ſolùm identidem delibavimus, quatenus vel, nunc etiam æquiſſimo Iure tributum Romano, Titulum *Epiſcopi Univerſalis Eccleſiæ* confirmant: vel vigentes etiam nunc, acceptas a Patribus, Traditiones.

Iam verò poſt Primam Univerſalitatis acceptionem, quæ reſpicit Fidem præſtitam Univerſis Articulis Divinitus revelatis: & Alteram, quæ ſpectat Loca terrarum omnia: Tertiam exequuturi, quæ ad Tempora omnia protenditur, hæc præfamur.

532 Quæ manifeſta Signa, jam in medium allata; Catholicam nunc eſſe, ideoque Veram, Romanam Ec-

cleſiam oſtendunt, candem pariter ſemper fuiſſe Catholicam, ineluctabili ratiocinatione conficiunt; neque enim repugnantia iis, quæ olim fuerant Divinitus revelata, potuerunt a Divino Spiritu mortalibus aperiri. Proinde ſi Veræ nunc Fidei lumen affulget iis, qui ſibi certiſſimò perſuadent, Eccleſiæ Moderatorem eſſe illum, qui Romana in Sede Petro ſucceſſerit, câdem Veræ Fidei claritate perpetuò ditati ſunt, qui Petri Succeſſorem, ut integræ Religionis Magiſtrum, coluerunt. *Fides Temporum non eſt Evangeliorum Fides*, inquit Hilarius, inſultans Conſtantio Cæſari, eam quotidie refingenti.

Nihil porrò in Romana Fide immutatum fuiſſe, & Priori Libro decrevimus: & liquet ex eo, quod eidem Aſpectabili Eccleſiæ Capiti Roma ſemper adhæſerit: & apertiſſimè conſtabit ex Ampliſſimo, ac Supremo Regimine omnium Chriſti Ovium, quod, non minus per evoluta Secula exercitum a Romano Paſtore fuiſſe, demonſtrabimus, quàm exerceatur in præſens.

II. *Vis Hiſtoriarum*.

HOc autem præteritum in Dominicum Gregem Exercitium Iuris, uberiori nunc, ſuaſque in claſſes redacta, ſerie in medium allaturi, minimè formidamus, ne

Segnius irritent animos demiſſa per aures:

(accepta ſcilicet a narrationibus Hiſtoricorum, quorum Opera licet oculis percurramus, perinde tamen eſt, ac ſi a referentium Proavorum ore bibulæ Nepotum aures penderent:)

Quàm, quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus:

quæ

quæ videlicet accidere nunc intuemur in Orbe terrarum.

533 ¶ Decipere Scriptor unus,aut alter potuerit Poſterorum fidem; ſed ſi omnes eidem fidei illuſiſſent, malè a Natura, Deoque ipſo,conſultum fuiſſet hominum Reipublicæ. Omnem certè hujuſmodi Deceptionis formidinem è noſtris animis expungit Natura, cum plurimi conveniunt in eâdem re literis conſignanda; ideoque ludibrio traduceretur, qui, conditam a Romulo fuiſſe Urbem: pullos ab illa Tarquinios: everſam a Cæſare; fruſtra defendente Tullio, Senatus, & Populi Libertatem: aliaque hujus generis innumera, pernegaret. Quod ſi tanta profanis in rebus Auctoritas ineſt calamo conſpirantium Hiſtoricorum, ut ſpectari a ſe poſteri credant illa, quorum ſpirantem imaginem ſolùm uſurpant in paginis: cur eadem non inſit Sacros euentus majori conſpiratione narrantibvs; ut, hos etiam propemodum intueri ſe, poſteri arbitrentur?

Nihil ergo diſcrepans plurium Auctorum ſuffragium maximè confert ad præteritas Ætates noſtris oculis admovendas. Quid, ſi in unum conveniant, tam qui Generales Hiſtorias excuderunt, quàm qui Regnorum, ac Rerumpublicarum Peculiares, quàm qui ſingulorum Vitas Heroum?

III. *Hoſtium Libri.*

QUid, ſi non Cives tantùm, & Amici, ſed Hoſtes etiam, aut Æmuli, idem confirment? Profectò quas Romanis Dotes attribuit Plutarchus, utcumque,ex probabili conjectura, captus Æmulatione gloriæ: quaſque Barbari, ac proinde ſuis probabiliter Everſoribus invi-

Digitized by Google

videntes : veriſſimæ eſſe cenſentur.

Quid, ſi Probitatẽ in rerum Scriptoribus, ac Prudentiam eximiam, floruiſſe perhibeatur? Enimverò maximum hinc Hiſtoriæ pondus accedet.

Hæ autem, quarum in Profanis Teſtibus Veritatis exigua veſtigia reperimus, confluunt omnes in Sacros Auctores prærogatiuæ.

534 Mira primùm Uniformitas narrationum, ſive Communes Annales Eccleſiæ, ſive Peculiares Regionum, ſive ſcriptas Sanctorum hominum Vitas, intueamur.

535 Tum ab ipſis Adverſariis expreſſa Veri Confeſſio: ut, quam ab Hæreticis Euſebio, Socrate, Sozomeno, aliiſque plurimis mutuabimur. Ne qua verò ſuſpicio adſit nimis effuſi in Patriam, Gentem, aut Scriptoris linguam Amoris, vix unquam Latinos conſulemus: vel tunc certè ſolummodo, cum eadem etiam Græci tradiderunt, quos Æmulatio plerumque, neque ſemper æqua, & moderationis finibus circumſcripta, compeſcuit ab augenda in maius Latinorum laude; imo ſtimulavit non ſemel ad eandem potius deterendam.

IV. *Scripta Sanctorum.*

536 QUa verò Auctoritate nituntur, quæ a Sanctiſſimis, ac Sapientiſſimis viris, Iuſtino Martyre, Irenæo, Epiphanio, & a Quatuor illis maximis Græcæ, totidemque Latinæ, Eccleſiæ Doctoribus, proferemus? Dum ii quidem, ſuis adhuc in Operibus ſuperſtites, nos alloquentur, ſpectare ſe credent cordati viri, quæ omni majores Exceptione Teſtes aſſeverabunt.

Brevitati porrò conſulentes non ipſa eorum verba, ple-

plerumque in longum producentia enarrationes, deſcribemus, imo vix Loca etiam ipſa eorum ſæpe Operum, vel ipſa ſemper Auctorum Nomina deſignabimus. Sed, nihil a nobis innuendum, religioſè ſpondemus, quod, cum de Sacra Romani Pontificis Monarchia, in edenda ſeorſum hujuſce Operis parte, tractabimus, ad exactum ſingulorum examen revocaturi non ſimus: quodque interim captis cognoſcendi curâ oſtendere nequeamus: præſertim ſi quiſpiam, Opuſculum hoc carpere aggreſſus, Superbæ nos, ac ſtolidæ, falſa jactando, prævaricationis inſimulet. Hanc interim fiduciam non leve apud Lectorum Prudentiam Veritatis Argumentum fore, opinamur.

V. *Auctoritas Conciliorum.*

537 AT, plurimùm etiam aliis tribuentes, Sacris præſertim, & quidem plerumque Generalibus, Conciliis adhæremus, quæ non unius, aut alterius hominis, ſed Univerſæ nobis Eccleſiæ ſententiam repræſentant. Quia verò, ex peruulgata Athanaſii, Gregorii Magni, Auguſtini, Nicephori, & aljorum querela, Hæretici, ut has contra ſe erectas Eccleſiæ Arces diruerent, omnem lapidem moverunt, quò vel omnia Synodalium geſtorum monumenta penitus abolerent, vel falſis, vitiatiſque lectionibus labefactarent: eam conſulemus Conciliorum Editionem, quæ appicto Latino ſimul, & Græco textu, ex Vaticana Typographia prodivit Anno 1608. eximio prius labore, ac ſtudio, per juſſos huic curæ a Summis Pontificibus excubare ſapientiſſimos viros, exploratis Quatuor, plerumque Græcis manuſcriptis Co-

dicibus Bibliothecæ Vaticanæ, Sfortianæ, Cardinalis Sirleti, Antonii Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis: aliiſque in Germania, & alibi a Commelino, aliiſque, etiam Eterodoxis, in lucem editis; Latina verò Theodori Peltani, aliorumque Interpretatione, multis in locis ad Græcum Exemplar caſtigata, & variantibus lectionibus in margine adnotatis integerrima Fide.

SIGNUM XXX.

Ineluctabilia Teſtimonia de Iure D. Petri ad regendam Univerſalem Eccleſiam.

I. *Quamvis Communia tantùm Signa Veræ Eccleſiæ nunc afferamus, Diſputationem de ſingulis controverſis Articulis nequaquam inſtituentes; tamen de ipſius Eccleſiæ Fundamento, ſcilicet de Petro, ejuſque Succeſſoribus, agendum aliqualiter eſſe ſtatuimus, quia de hoc tantùm innumera dicenda ſuppetunt ex ipſo (quod ſolùm nunc expendemus) Facto: quæ maniſeſtiſſimè demonſtrant, Romanam Eccleſiam eſſe Catholicam: atque hinc præſertim oritur Viſibilis ipſius Auctoritas, quæ una eſt ex præcipuis Veræ Fidei Notis.*

NIhil ſtudioſius Methodo, ac Serie, in hoc qualicumque Tractatu conſectamur. In eam ergo peccare cavemus, ac præſertim ab iis deficere, quæ, ſervanda a nobis eſſe, ſpopondimus. Decrevimus autem, non eſſe agendum de ſingulis Arcanis Fidei, quæ in controverſiam cadunt cũ Romanæ Eccleſiæ Perduellibus, dum Cõmmunia nunc inquirimus Manifeſtiſſima Signa, quæ nos urgent ad prudentem omnibus aſſenſum tribuendum. Nullam igitur

tur huc uſque de Peculiaribus Articulis Quæſtionem ſumus ingreſſi, in Primo ſolùm Libro leviter attingentes argumenta, quibus in Opuſculo alio, quamprimùm Lectoribus exhibendo, Divini Spiritus a Patre, Filioque Proceſſionem evincimus.

At cur in præſentia de Romani Auctoritate Pontificis agere aggredimur, quæ princeps eſt Controverſiarum omnium, & quaſi Cardo ceterarum, nos inter gliſcentium, atque Schiſmaticos,& Hæreticos? Quis autem hoc conſilium inivit: diſputationem videlicet inſtituendi de ipſa ejuſdem, prout revelata Divinitus, Auctoritate: ex qua Revelatione oritur, ut ipſa ſit unus ex Articulis Fide Divina credendis? Minimè id quidem in præſentia tentamus, ſuo id ipſum loco opportunius exequuturi.

Ius ergo nequaquam expendimus, ſed Factum,ſive Rem ipſam ſolummodo, Hiſtorica Fide narramus: referimus videlicet, quæ de ipſo Iure ſententia fuerit Patrum omnium, & Conciliorum.

Ac præterea indicamus, quid de hoc ipſo Iure per Tempora, & Loca omnia, ſenſerit Chriſtiana Reſpublica, Pontificii ſe Iuris Exercitio religiosè ſubmittens. Argumenta porrò ex hoc Facto petita, ſcilicet ex Obſequio præſtito a Sapientiſſimis, & Sanctiſſimis Patribus, & Patrum Senatu (non inculcata interim Divini Spiritus aura, legitimis Cōciliis ſemper adſpirante)humana tantùm ſunt: neque Aſſenſus ex hiſce Argumentis ortus cenſetur eſſe Fidei Supernaturalis Actus,ſed Fidei Signū,ſive Cauſa impellens ad *prudenter* deinde eliciendū ipſum Actū Fidei Supernaturalis,innisum Auctoritati revelantis Dei.

538 Quamvis autem idipſum in ceteris contingere

Digitized by Google

Articulis videatur : quod ſcilicet iidem & Fide Divina credantur propter Auctoritatem revelantis Dei : & humana, propter Signa Veræ Eccleſiæ, inter quæ recenſetur Conſenſus ipſe tot virorum Sapientia præſtantium, ac Sanctitate; tamen ſingularis quædam, & præcipua vis ineſt Conſenſui huic in Obſequio alteri homini præſtando, quàm in admittendis in animum aliis Veritatibus, contra quas minimè pugnat dominandi ſitis, & ſuperbæ mentis elatio, quæ Angelos, Primoſque Mortales, Divinitatis ſimilitudinem affectantes, tranſverſos egit.

Minori ergo diſcrimini ſunt objecta, ne perverſa Interpretatione ad abſurdam ſententiam detorqueantur, alia revelata Divinitus Arcana, quàm hoc de Sacra Monarchia Petro, ejuſque Succeſſoribus attributa. Idcirco Perpetuus Cultus illis adhibitus : ab iis acceptæ credendi leges : Obedientia iiſdem præſtita per tot Secula in Orbe Chriſtiano Univerſo : magnum eſt Argumentum Iuris Divini, a quo illi Suprema hæc Auctoritas vindicatur.

De ipſius igitur Eccleſiæ Fundamenti quodam, ut ita dicam, fulgore agere adorimur : in quo præcipuè ſita eſt ultro promicans, & quaſi oculis ipſis Adſpectabilis, Eccleſiæ Auctoritas : quæ inſignis eſt inter Veræ Fidei Notas, de quibus in præſentia pertractamus.

Ut Chriſti Reparatoris Miracula, & cætera occultæ Divinitatis Indicia, prudentiſſimè homines adigebant ad ipſam illius Divinitatem Fide Divina credendam : utque Viſui quodammodo ſubjecta Signa, oſtendentia, Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam, eſſe Eccleſiam, ſapienter impellunt ad has ipſas Eccleſiæ Dotes affirman-

man-

mundas per alium Fidei Supernaturalis Actum:(ut certè præſtandum eſt, cum eædem contineantur in Symbolo) ita Pontificia Auctoritas, exterius patens ex Obſequio ſe illi ſubiicientis totius Chriſtiani Orbis Doctrinæ, ac Sanctimoniæ, adſcribitur Signis Veræ Eccleſiæ, ac *Motivis*, ut dicunt, *Credibilitatis*, *&* *Pręambulis Fidei*: quam Divinam deinde Fidem ipſi etiam Pontificiæ Auctoritati præſtamus, prout Divinitus revelatæ. Nihil quippe vetat, unum, idemque, diverſimodè tamen acceptum, eſſe ſimul Articulum Fidei, ſimulque Præambulum ad ipſam Fidem.

II. *Conſpirans generatim Conciliorum omnium Sententia de Iure tributo Apoſtolorum Principi a Chriſto Domino ad Regimen* Univerſalis *Eccleſiæ*.

OMne hoſtibus effugium præcludendum ſperamus, cum Divina illa verba expendemus: *Tu es Petrus*, *& ſuper hanc Petram ędificabo Eccleſiam meam*: *Tibi dabo claves Regni Cęlorum*: vimque ipſam Nominis, *Petrus*, ac Pronominis *Tu*, *Tibi*, quo unus tantùm deſignatur. Cum oſtendemus, non agi de Petri Fide, ſed manifeſtiſſimè de tribuenda eidem Petro in præmium Fidei Poteſtate. Cum eandem ipſi demandatam ſtatuemus iis verbis: *Paſce Agnos*, *paſce Oves meas*. Cumque ex illo Chriſti Domini Oraculo, & Imperio: *Simon*, *Simon &c. Rogavi pro te*, *ut non deficiat Fides tua*: *& tu aliquando converſus confirma Fratres tuos*: inferemus Perpetuum, Supremum, nullique Errori obnoxium, Cathedræ Petri docentis Eccleſiam Magiſterium.

In-

Interim, hanc ſolùm Interpretationem tribui Divinis hiſce verbis poſſe, liquet ex Eccleſiæ Senatu, toties in Generalibus Synodis congregato, quas ſingulas, præſertim in Græcia coactas, hiſtoricè in medium allaturi, ſolùm nunc aliquid ad religioſam Lectorum famem excitandam ex duabus delibamus.

539 Epheſina, & Chalcedonenſis tam diſertè, ac frequenter dixit, ut ſupra innuimus: demandatum Petro ab Aſſertore noſtræ ſalutis Regimen Eccleſiæ ſuæ, ipſumque Petrum, *Petram, & Crepidinem Eccleſię Catholicæ*, in Cæleſtino, ac Leone loquutum, Hæreſes profligaſſe, ac ipſis Conciliis Fidei Regulam præſcripſiſſe; ut ſupervacaneum interim putemus, in hoc diutius immorari.

III: *Idem de hoc D. Petri Iure Iudicium Sanctorum omnium Patrum Græcorum pariter, ac Latinorum.*

540 CÆleſtia præſertim verba carnem indutæ Divinæ Sapientiæ, ac Petrum alloquutæ, ſunt intuiti Sanctiſſimi Patres, qui eundem Petrum frequentiſſimè appellant *Principem Apoſtolorum*, ut Athanaſius, uterque Cyrillus, Ioannes Hieroſolymitanus, & Chriſoſtomus. *Verticem Apoſtolorum, & Inſuperabilis Eccleſię Caput*, ut idem Chriſoſtomus: *Apoſtolorum Ducem*, ut Epiphanius: *Verticem, & Faſtigium Apoſtolici Chori*, ut Nilus: *Totius Eccleſiæ Prẹſidem*, ut Damaſcenus: *Chriſtianorum Eccleſiæ Principem*, ut Ephrem:
541 *Apoſtolorum Principem, Coryphęum, Prẹſidem, Summum, Prẹfectum, Fidei Petram, ipſorumque Apoſtolorum, ac totius Eccleſię Fundamentum*: ut unanimi

Græ-

Græca pariter, ac Latina, Sapientia Patrum ore conclamat: præſertim verò Athanaſius, Hilarius, Baſilius, Hieronymus, Nazianzenus, Auguſtinus, Epiphanius, Maximus, Chriſoſtomus, Paulinus, Cyrillus: Leo, & Gregorius, Magni: Pſellus, Origenes, Tertullianus, Euthymius, Theophilactus.

Qui Eccleſiam evertere aggrediuntur, eludere præcipuè conantur verba illa, quibus eadem ſupra Petrum ædificanda promittitur Matth. 16. v. 18. affirmantes: nullum, præter ipſum Chriſtum, cenſeri poſſe Petram, & Fundamentum Eccleſiæ: ac præterea vel de Petro loquutam non fuiſſe Divinam Sapientiam, ſed de Fide ipſius, aut Eccleſiæ: vel certè aliis etiam Apoſtolis, non minus quàm ipſi Petro, deſponſum hunc honorem Divinam Eccleſiam fulciendi.

542 Sed Athanaſius affirmat, non ſolùm Chriſtum, ſed & *Petrum eſſe Fundamentum*, *ſupra quod Eccleſiæ Columnę confirmatæ ſunt*. Sed Cyrillus Alexandrinus docet: *In Petro, ut in Petra, Lapideque firmiſſimo, Chriſti Eccleſiam ędificatam eſſe*. Sed *Columnam*, *& Fundamentum Fidei* Chriſoſtomus Petrum appellat. Sed eundem *Petrum* Nazianzenus dicit, *cujus Fidei Eccleſiæ fundamenta credita ſunt*. Sed Baſilius declarat, ac Leo Magnus, *Chriſtum ex Eſſentia*, *& Natura Petram*, *Sanctum verò Petrum participatione*, *& beneficio Chriſti*. Sed eadem eſt Ephremi, Epiphanii, Cypriani, Hieronymi, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini ſententia: 543 Ut miſſos faciam Origenem, ac Theophilactum; quos tamen, audaciâ opinandi celebres, compulſos ab evidentia verborum fuiſſe ad veram illis Interpretationem tribuen-

buendam, non ineptè animadvertitur.

Qua verò fronte Calvinus dicit, ab Auguſtino lib. 1. Rettact. cap. 21. rejectam fuiſſe priorem Explicationem, qua frequenter declarari affirmaverat, Petrum eſſe
544 *Lapidem ad Fundamentum, Columnam ad Suſtentaculum, Clavem ad Regnum*? Nihil certè hujuſmodi improbat Sanctiſſimus Doctor, ſed ſolùm refert, duplicem a ſe Divino illi Oraculo: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*: tributam fuiſſe ſententiam, quarum prima referatur ad Petrum, ad Chriſtum altera. Sed enimverò Prima literalis eſt, Secunda verò Allegorica.

545 Quamvis autem in latiori acceptione alii quoque Apoſtoli *Fundamenta* in Apocalypſi, & alibi dicantur; quo pacto tamen, communiter omnibus hæc dicta fuiſſe ab Auctore noſtræ felicitatis, affirmare aliqui audent, cum Petrum ipſum ſingulari nomine compellaverit: cum Athanaſius *Tale Fundamentum Petrum vocet, ſupra quod Eccleſiæ Columnæ confirmatæ ſunt*: 546 Cũ *Petram* illum Nazianzenus dicat, *cujus Fidei ipſa Eccleſię Fundamenta* (videlicet reliqui Apoſtoli) *credita ſunt*: cum Cyrillus notet, *in illo fundatam Eccleſiam, cujus Nomen Simonis commutatum eſt in nomen Cephæ*: cum Cyprianus, *ſupra unum Petrum Eccleſiam ſtabilitam*: 547 Hieronymus, *Unum è duodecim ęqualibus electum, qui eſſet Caput, per quod Schiſmatis tolleretur occaſio*: Auguſtinus demumediſſerat, *Petrum eſſe Caput Eccleſiæ, & Verticem Membrorum omnium*?

548 Idem ex iis verbis: *Tibi dabo Claves Regni Cęlorum*: inferunt Athanaſius, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, Chriſoſtomus, Cyrillus Hieroſolymitanus,

Baſi-

Baſilius, Hyppolitus Martyr, Hieronymus: Leo, & Gregorius Magni: Origenes, ac Teophilactus.

549 Perſpectum idem habent in Eloquio illo Divino Io: 21. v. 16. & 17. *Paſce Agnos: paſce Oves meas*: Baſilius, Epiphanius, Cyrillus Alexandrinus, Chriſoſtomus, Auguſtinus, Maximus, Ambroſius, Leo, Gregorius, Theophilactus: qui omnes in Indefinitis illis, & ad Dogma ſpectantibus, verbis, eandem vim intuentur; quam illis præfixa vox *Omnes* addidiſſet; ut proinde maniſeſtiſſimum putent, totum prorſus Ovile Petro fuiſſe concreditum: & quidem non *Agnos*, tantùm, ſed & *Oves* Agnorum Matres, Epiſcopos videlicet, atque ipſos Apoſtolos.

550 Id ipſum apertiſſimè conſtare putant ex inconcuſſa Fide deſponſa Petro, iuſſo, Fratres in illa confirmare, Lucæ 22. Chriſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, Agatho, Leo Magnus, Theodoretus, Theophilactus, Euthymius.

IV. *Manifeſtè apparet Ius idem, præter Divina Chriſti Domini verba, in alijs locis Sacrarum Literarum, ex communi (etiam ut Humanâ magno in pretio habendâ) Conciliorum, ac Patrum Interpretatione, Petrum, non aliјs tantùm, ſed ipſis etiam Apoſtolis præferentium.*

DUm alibi ſingula in Conciliis, & Patribus adnotabimus, dilucidè Lectores comperient, magnam ab ipſis, præter Divina, & ineluctabilia Oracula ſuperius indicata, fieri vim in aliis Argumentis, erutis è Sacris Literis, quæ Novatorum livor contemnit, & eludere fruſtra conatur.

Vu 551 Præ-

551 Præcipuos nunc ſolùm veritatis fontes indigitamus. Ipſa primùm Nominis immutatio, licet manifeſtum non præſeferat Imperium Eccleſiam gubernandi, tamen id ipſum indicat, cum reſpondentia Muneribus, ad quæ Divinitus homines eliguntur, ſoleant ab ipſa Divinitate Nomina imponi. Præſertim verò cùm omnium Orientalium Verſiones ad eandem Perſonam referant hæc verba: *Tu es Kepha*: & hæc: *Super hoc Kepha*: nimirum Syriaca, Hebraica, Armenica, Perſica, Arabica. Vel Beza, Magnus ille peſtilentis Calvini Cathedræ Doctor, fatetur: has voces Πέτρον, & Πέτραν, non Significatione, ſed ſola Terminatione differre; cum etiam Gallis vox eadem *Pierre*, ſignificet Petrum, & Petram; ut proinde liqueat, Petrum ipſum fuiſſe Petram, cui Chriſti Eccleſia deberet inniti.

552 Neque leve argumentum eſt, ad ſuas obeundas vices illum a Chriſto eligendum, cui communem eſſe voluit Appellationem ſuam; nam ipſe *Angularis Lapis* eſt dictus, deque Patribus, inquit Apoſtolus: *Bibebant de Spiritali, conſequente eos Petra; Petra autem erat Chriſtus.*

553 Quid, quod Nomen idem *Kephas*, quod apud Syros *Petram*, *Caput* levi mutatione ſignificat apud Græcos, Divino planè conſilio tributum illi, qui futurus erat oculis objectum Eccleſiæ Caput.

554 Quid, quod ſingularis illa, & inſigni Chriſti Præconio laudata, de ipſius Divinitate, Petri Confeſſio, arrha fuit Cæleſtis luminis, ſemper illuſtraturi Cathedram Petri ad veritates Fidei declarandas.

555 Selecta ex pluribus Petri Navis, ex qua Divinus

nus Magiſter populos alloqueretur, ex eadem expectandam oſtendit ſynceræ Doctrinæ Veritatem: inque hujus Piſcatoris Navim ab iis enitendum, qui nolint, Errorum fluctibus abſorberi.

556 Quod Primus ipſe, dum texitur Apoſtolorum Series, appelletur, licet illum Andreas, & alii ætate anteirent, & vocati ante illum ad ſua premenda veſtigia a Chriſto fuiſſent, indicat, ipſum fuiſſe Principem ceterorum.

557 Clarius id conſtat ex eo, quod non ſemel Sacri hunc loquendi morem uſurpent Hiſtorici: *Petrus, & qui cum eo erant*: quaſi aliorum ipſe Dux eſſet, quo compellato Militum nomina non recenſentur.

558 Idem conficitur ex eo, quod, cum omnes interrogarentur: *Numquid & vos vultis abire?* unus reſpondet omnium Interpres, & publica Vox, ut futurus omnium Præceptor: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus*. Et omnium pariter nomine: *Ecce nos*, inquit, *reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te. Quid ergo erit nobis?*

559 Univerſum ab illo Chriſti Sodalitium repræſentari, ut ab omnium futuro Moderatore, putant Sanctiſſimi Patres ex eo, quod pro ſe tantùm, ac Petro, ſolvi Tributum Cæſari juſſerit Regum Rex, atque illud a Petro in ore Piſcis mirabiliter inveniri.

560 Magnam a Petro illius, cujus futurus erat Vicarius, ſimilitudinem referendam ſtatuunt ex obeundæ pro ſe mortis genere, & quidem in Cruce, ipſi tantùm Divinitus prænunciato.

561 Neque contemnunt Sapientiſſimi Interpretes

Digitized by Google

Divinum acceſſum ad pedes abluendos Petro ante alios Apoſtolos : nec auſos ceteros loqui, cum Petri omnium Coryphæi, ſacro perfuſi horrore ; compreſſæ voces fuiſſent.

562 Neque ipſi tantùm ante alios (licet deliquiſſet, non auſus linguâ profiteri, quam corde ſervaverat, notitiam Divini Magiſtri) videndum ſe præbuit Redivivus Tartari debellator ; ſed etiam qui Cæleſtes Nuncii pias fæminas ſunt alloquuti, ipſum præ ceteris (ut Cæleſti Senatui compertum aliorum Anteſignanum) appellaverunt : *Dicite Diſcipulis ejus, & Petro.*

563 Cur ſufficiendum alium in impii Deſertoris & miſerrimo fato ſublati, Iudæ locum propoſuit Petrus in Apoſtolorum Concilio, niſi quia Præſes ipſe jam erat omnium conſtitutus ? Et quidem pro imperio loquutus : *Oportet*, inquit, *impleri &c.*

564 Cur poſt Divini Spiritus in omnes illapſum, omnes quidem *loquuti ſunt Divina Magnalia*, ſed omnium Defenſor, ut omnium Cuſtos, Petrus, non eos muſto, ſed Cæleſti correptos æſtu palam edixit : ac eas ipſe præ ceteris, quibus incendebatur, Auditorum etiam cordibus flammas admovit, ut ferè tria hominum millia rapuerit ad illius, quem paulò ante Cruci ſuffixerant, Divinitatem hominis adorandam ?

565 Cur Primus pariter omnium poſt Divinam Anaſtaſim, ſuis verbis Miraculo robur adjecit, juſſo ſurgere, ac iter facere, univerſæ Hieroſolymæ notiſſimo Claudo ; niſi quia illius præcipuè partes erant aſſerendi Prodigiis Fidem, eius præſertim Curæ concreditam ?

566 Et quidem quò in hoc genere progreſſa eſt Præ-

ro-

rogativa Petri, Deus immortalis! Ut videlicet non ipſius tantùm Preces; aut, quod Divina fiducia animabat, Imperium: aut Manus Claves Cæli gerentis: aut Veſtis Tactus; ſed a ſacro etiam Petri Corpore profecta Umbra, quæ in unum ex Ægrotis innumeris incidiſſet, certam omnibus ſalutem afferret. Enimverò, quod Divinus Magiſter ſpoponderat, a ſuis videlicet, quàm a ſe ipſo, Majora Portenta perpetranda eſſe, hoc in ſuo præſertim voluit impleri Vicario; hoc eſt in ſe propemodum altero, ſuam certè referente Virtutem Naturæ imperantem, ut regentem Hominum Animos Poteſtatem.

567 Neque verò minori eumdem Iudicem plectentem reos, quàm ſupplicibus opitulantem Patrem, Auctoritate munivit, ut improviſo, ac terrore omnes afflante, funere correpti Ananias, & Sapphira fuerunt experti: quò pateret vis efficax Sacri fulminis, quod in ipſos rebellium animos Moderatores Eccleſiæ coguntur identidem intorquere.

568 At ſeveritas, qua omnium ſaluti conſulens in quoſdam animadvertit, auxit quidem venerationem, neque tamen omnium in illum amores imminuit. Hinc univerſa ob carceri traditum Paſtorem ſuum dolore tabeſcens Eccleſia in lacrymas, & vota ſolvebatur; quo exulceratam mœrore fuiſſe non legimus ob Iacobi Majoris Vincula, & Mortem.

569 Prodigiosè, recluſis ab Angelo Carceris Ianuis aperturo mortalibus Cæli fores, dum ſuo ille Muneri inſiſtens Concilium Hieroſolymis cogit, non Primus tantùm, ut Synodi Præſes (veluti cum ſuffectus Iudæ Matthias fuit Sorte Divina) ſententiam profert; ſed etiam

ex Petri ſententia Controverſiæ dirimuntur: tradito jam tum Divinitus documento moderandarum per ſe, vel ſuos Legatos, a Romano Pontifice Synodorum, quibus etiam Suprema imminet Poteſtate.

570 Non ſolùm jam collectas in unum Oves Legibus temperare, ſed alias etiam in Ovile inducere, ſpectat ad Paſtorem Dominici Gregis. Idcirco Primus omnium Petrus Cæleſti Viſo fuit admonitus de conſecrandis in Cornelio Ethnicorum primitiis.

571 Illuſtrior ceteroqui erat præcipua quædam ſolicitudo reſipiſcentium Iudæorum, ad quos ipſe Filius miſſus fuerat a Patre Divino; ideoque ipſi præſertim Petro cum Ioanne, ac Iacobo, Cura, & Patrocinium Hebræorum fuit a fratribus commendatum; Gentium autem Paulo, atque Barnabæ, licet ipſorum etiam Ethnicorum ſaluti flagrantiſſimo ſtudio Petrus incubuerit.

572 Et Hieroſolymitanis quidem melius proſpicere nequivit Petrus, quàm eorum Antiſtitem conſtituendo Iacobum Minorem, duobus ſociis ſacræ Inaugurationis adſcitis, conſecrandi Epiſcopos Ritum Pontificia Auctoritate decernens.

573 Qui verò ab ipſo, rurſus terras inviſere dignato, Chriſto Domino vocatus fuerat Paulus ad Apoſtolicum Munus tam inſigni prærogativa, ut dicendus eſſet Antonomaſticè Apoſtolus: quo tamen cultu proſequutus fuit Apoſtolorum Principem, & ejuſdem Chriſti obeuntem vices? Ut illum certè aſpiceret, atque conſuleret, ad Sanctam ſe profectum Urbem fuiſse, affirmat.

V. Diſ-

V. Diſſlantur nebulæ ab Hoſtibus Apoſtolorum Principis excitatæ.

QUis hic porrò, inductâ nubeculâ Solem ſubtrahere ſperans mortalium oculis, ac Nævum in Sole ipſo virulentis oculis quærens, exortas blaterat de Petro querelas, eò quod Ethnicis in Cornelio Cæli ſemitam aperuiſſet: ac deinde quia, familiariter prius agere conſuetus cum Gentibus Chriſto addictis, eorumque menſæ accumbere, ſpeciem deinde præbuerit eorum epulas averſantis, ne a ſe, ac Religione ſanctiſſima perfuſos luſtrali aqua Hebræos abſtineret?

Primum, qui de Petro conqueri cœperit, fuiſſe Hæreſiarcham Cerinthum, oſtenderint alii. Ex eo autem, quod inito illi a Petro agendi mori Paulus obſtiterit, nullatenus erui, quod illum ineundo peccaverit Petrus, alii demonſtraverint. Illud interim mihi ſtatuere ſufficit, quod apertiſſimum eſt: nihil, videlicet, evinci contra Supremam in omnes Auctoritatem Petri ex eo, quod (cum de Fidei Articulis, aut jubendis Univerſæ Eccleſiæ moribus, nequaquam ageretur; ſed de peculiari conſuetudine vitæ, ab ipſo Petro ſuſcepta) diverſa fuerit opinio Pauli, ab illa, quæ tunc Petro videbatur, primis illis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus expedire: quodque Apoſtolica libertate illum, licet Eccleſiæ Hierarcham, Paulus officii commonefecerit.

Vtque aliam etiam curſim diſſlemus caliginem, quæ contra Veritatis Solem ab impiis excitatur, Paulum exæquantibus, aut etiam præferentibus Petro: eò quod vetuſtæ quædam Imagines Dexterum Petro Paulum appin-

pingant: prætermittimus innumera ab aliis eruditiſsimè congeſta de vario circa hoc Veterum more: de potiori Siniſtræ partis honore, præſertim ſi qui Dexteram tenet, alterum penè contegat, ut olim ſervari conſueverat. In eo conquieſcimus, quod de ſe Paulus affirmat: *Plus omnibus laboravi*; plures enim ex Gentibus ad Chriſti fidem adduxit: plures Provincias ſummo cum labore peragravit: plura ſcripta, eaque utiliſsima, nobis reliquit. Eccleſia verò in colenda Sanctorum memoria non Gradum honoris, quo perfuncti fuere, dum viverent, ſed Emolumentum ſibi ab ipſis allatum præcipuè intuetur. Idcirco, quia major ipſius Eccleſiæ Triumphus fuit obita a Laurentio, quàm a Sixto mors, majori Laurentium Levitam, quàm Sixtum Pontificem Maximum, cultu proſequitur.

Ceterùm quia, præter ipſam Supremi, & Ordinarii Muneris Prærogativam plurimùm etiam Eccleſiæ contulit Petrus, in ceteris omnibus Paulo anteponitur. Sive ſcilicet uterque nominetur, ſive precibus invocetur, ſive Feſti celebrentur in utriuſque honorem dies: deque majori Auctoritate Petri maniſeſtiſſima ſunt teſtimonia Sanctorum Patrum.

Æqua fuerit Petri, & aliorum Poteſtas in iis, quæ ſpectant ad Sacrificium; cum omnibus ex æquo dixerit Chriſtus: *Hoc facite in meam commemorationem*: & ad Fidei Propagationem, atque Baptiſmum; cum omnibus juſſerit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* & ad Crimina reſipiſcentibus indulgenda, cum omnibus enunciaverit: *Quæcumque alligaveritis &c. Quæcumque ſolveritis &c. Recipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*: & ad ea ſcriben-

bendâ, quæ Sacris poſſent,& Canonicis Literis accenſeri; cum de omnibus affirmetur: *Aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas.* In his, inquam, quibus adnexa erat *Extraordinaria*, ut loqvuntur Theologi, & Apoſtolis tantùm conceſſa, facultas novas ubique Eccleſias excitandi, eiſdemque Epiſcopos præficiendi, æquali omnes Iure potiti fuerint, quod illis collatum fuit, vt Legatis, non ut Paſtoribus *Ordinarijs*.

De hoc identidem loquuntur Patres, dum ceteris Petrum anteponere non videntur; quem tamen alioqui frequentiſſimè omnibus præferunt non Ordine tantùm, ſed verâ Præfecturâ, dum alia explicant Seruatoris Oracula: *Tu vocaberis Cephas: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c. Tibi dabo Claves &c. Paſce Agnos, paſce Oves meas. Confirma fratres tuos.*

SIGNUM XXXI.

Hujuſce Iuris Evidentia Facto multiplici comprobata in Oriente.

574 A Deo devinctam ſe Petro profitetur Chriſtiani Orbis pars, quæ Orientem Solem propius intuetur, ut per Hebdomadas plurimas, conſecratum triumphali ejuſdem funeri diem præcedentes, ſolenne, & ab antiquiſſima, omnibuſque recepta conſuetudine præſcriptum, Iejunium ſervet religioſiſſimè. Hic [illegible] mos vel inductus olim fuerit, eò quòd Primus ipſe relictus Eccleſiæ fuerit ſuus a Chriſto Vicarius: vel quia Pontificia uſus Poteſtate maximis Orientem beneficiis affecerit: perinde eſt honorificus Petro, ejuſque, compertam

tam Orientalibus omnibus, vindicat Auctoritatem. Quod autem prodigium ſuperbæ infelicitatis eſt: Sedem illius, quem tantopere colit Græcia, impugnari nunc a Græcorum pleriſque!

Quæ porrò ſalutaria Orienti præſtiterit Petrus, indicaturi, licet vim in iis minimè ſtatuamus, quæ aliis etiam Apoſtolis communia ſunt; innuimus tamen, luſtratas omnes, vergentes ad Orientem, Provincias a Petro fuiſſe, ac innumeras fermè ibidem ab ipſo Eccleſias excitatas, omnibuſque conſignatos Epiſcopos: inter quos præcipui recenſentur, Prochorus Nicomediæ, Cornelius Ilii in Helleſponto, Urbanus Tarſi, Phrygellus Epheſi, Apelles Polycarpi frater Smirnæ, Olympus Philipporum, Iaſon Theſſalonicæ, Sylvanus Corynthi, Siciliæ Maximus.

Quid omnium primus in Græcia laboraverit Petrus, ex Actibus Apoſtolorum abunde conſtat. Quàm eximia verò fuerit illius apud omnes Auctoritas, ex aliis argumentis oſtendi poſſet, & apertè colligitur ex Epiſtola Pauli ad Corynthios, quibus cum primò Evangelii lucem Paulus ipſe attuliſſet, plurimi tamen Magiſtro Petro, licet perperam, gloriabantur. Eorum certè contentiones, & altercantium claſſes enumerans Paulus, ac infimo ſe loco ſtatuens, ac deinde Apollo, creſcente in majus Oratione ad Cepham progreditur, & ad Chriſtum, quorum nomina rixantes inter ſe Corinthij præpoſtera concertatione jactabant.

575 Levia ſint iſthæc; ſed maximum certè, manifeſtumque ad evincendam Supremam in Eccleſia, unique Petro conceſſam, Iuriſdictionem, pondus ineſt Argumento, quod eruitur ab ejuſdem Exercitio Iuris in Patriar-

cha-

chalibus Orientis Sedibus, excitatis: quod, quia non ſemel alibi attigimus, hìc ſolùm urgemus, vix ullum eſſe, qui rem ipſam inficietur, ſcilicet erectam primò Antiochiæ Sedem ſuam a Petro, ac poſt Septennium relictam Evodio; legatum verò Alexandriam Marcum ad fundandam aliam, quam ipſi voluit Antiochenæ præire; utramque autem ceteris omnibus Orientis. Et quidem licet ſub Claudio exulare Româ coactus, antequam Hieroſolymam iterum ſe reciperet, navigaſſe feratur in Africam, & conditam a ſe Chartaginienſem Eccleſiam Creſcenti tradidiſſe; non tamen ab hac proximiori, & clariſſima Urbe, ſed ab Alexandrina, Sacris Lybiam legibus temperari præcepit.

Licet autem Epiſcopalem Poteſtatem a Divina Chriſti Domini Inſtitutione manaſſe, plurimi affirment; nullus tamen id ipſum dixit de Patriarchali, qua unus aliis Antiſtes præſit, præter Sacram ipſi Petro concreditam Ovilis univerſi Cuſtodiam. Proinde Ius ab ipſo tantùm Petro, & a nullo præterea Apoſtolorum, exercitum, Patriarchales Cathedras excitante, ac illis duobus ceteros omnes Orientis Præſules ſubiiciente, manifeſtiſſimè oſtendit Supremam unius Petri Præfecturam. Eandem verò confirmat Eccleſiæ Conſenſus, ultro ſuſcipientis hanc inſtitutam ab illo Hierarchiam. Porrò ab honore habito Græcis, quorum linguâ uſos Antiſtites potiores ceteris eſſe decrevit, Græcorum in Petrum amores decet incendi.

SIGNUM XXXII.

Non minus ejuſdem Iuris Exercitium patens in Chriſtiani Orbis parte, quæ vergit ad Occidentem.

576 Cum, Extraordinariam Apoſtolis omnibus Poteſtatem Eccleſias ubique terrarum excitandi traditam a Chriſto Domino fuiſſe, ſtatuerimus, nihil detereretur Ordinaria, ut Scholaſtici loquuntur, Petri, ejuſque Succeſſorum præſtantia ex eo, quod ſingulare nihil de ipſo memoriæ poſterorum traditum haberemus.

Perinde etiam ex eo, quod, cum egregiè ſuo Apoſtoli omnes munere fungerentur, Petri nunquam virgâ coercendi fuerint, nihil imminuitur Paſtoralis Dignitas eidem collata, dum ipſas etiam *Oves*, Apoſtolos videlicet, ceteroſque Epiſcopos, *Agnorum* Matres, juſſus eſt *paſcere: Fratreſque confirmare in Fide*, ſi unquam in illa, videlicet, animo fluctuaſſent.

577 Quia verò in hoc infortunium ſolidati Divinitus Apoſtoli provolui non poterant: ex hoc ipſo liquet, non eidem ſolummodo Petro, ſed omnibus Divinam illius Cathedram inſeſſuris, hanc exoratam, ſemper auditis a Patre, Filii precibus prærogativam, ut errori obnoxii non eſſent, dum Eccleſiam edocerent Arcana Divinitatis: Fratreſque ſuos Epiſcopos, nutantes Fide, confirmarent.

578 Utcumque autem ceteri quoque Apoſtoli plurimarum fuerint Eccleſiarum Parentes, ſingulare quidpiam elucet in Petro, utrumque Solis cardinem illuſtrante, vtrique videlicet ſubjectas nobiliſſimas Orbis terræ Pro-

Provincias. Ab Oriente digreſſi curſim in Occidentem oculos conjiciamus. Ubique Principis Apoſtolorum, Naturæ Leges Miraculis evertentis, Tartarum ſubrutis Idolorum templis debellantis, Cælum aperientis infuſa mortalium animis Sanctiſſima Fide, Trophæa reperiemus. Omnes Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Africæ, Siciliæ, ceterarumque, quibus mare terris infuſum ornatur, Inſularum, imo ipſius Oceano vallatæ Britanniæ, fundatas a Petro, ejuſque Sede, fuiſſe Eccleſias, dubitat nemo.

579 Sed latius nimis in Germaniam, ultimumque Septemtrionis latus, &, præter alios omnes Vetuſti Orbis angulos, in ipſas etiam utriuſque Solis Indias fundunturs, quas Romani, Succeſſores Petri, Pontifices, miſſis Fidei Præconibus, excitarunt.

580 Pleraſque porrò in, enumeratis ſupra, illuſtribus Regionibus ipſe ad eas accedens, vel ſuos ad eas Auditores legans, Petrus erexit. Navigationem certè ad Urbem Romam inſtituens in Siciliam appulit primò; Neapolim deinde, quà inclyta in Urbe ſuperſunt celebrantis ad Aras Petri monumenta; tum Liburnos, Piſas, aliaſque nobiles Civitates, quarum plurimæ ſibi ab illo in tranſitu traditis, vel Româ deinde ſubmiſſis Epiſcopis gloriantur.

Neque verò, gratis hoc ab iis Urbibus decus jactari, blaterent veritatis hoſtes; cum & antiquiſſima Traditione, & inconcuſſa Scriptorum fide nitatur: & in pleriſque ſuperſint Eccleſiis vetuſtiſſimæ tabulæ, cum Epiſcoporum Nominibus, ac ſerie temporum, quibus iidem floruerunt: & finitimæ Urbes, hoc honore nequaquam affectæ, eundem tamen aliis ultro concedant.

Ma-

Digitized by Google

Magnum enimverò hinc videtur accedere veritati ſuffragium; quem enim latet, quanta vigeat inter confines populos Æmulatio gloriæ: præſertim verò de Vetuſta omnes claritate decertent, ut proinde ſibi eam quiſque arrogare, ac finitimis invidere conſueverit. Cum ergo neque hanc ſibi plurimi vindicent, & intactam aliis relinquant: id præſtare credendi ſunt, ne certiſſimæ Seculorum omnium perſuaſioni ſtolidè refragentur.

581 Romam autem eo præcipuè Divinitatis conſilio Petrus acceſſit, ut Sacrum Eccleſiæ Caput Profano terrarum conjunctum terras facilius omnes conſecraret: ut Ethnicam Superſtitionem in ejus Regia, & Arce ſubverteret: ut Hebræos, quorum vis maxima Romæ degebat, vera Religione imbueret: ut Simonis celeberrimi Præſtigiatoris, Romam decipientis, dolos eluderet, ac Tartareas vires infringeret.

582 Ac de Simone quidem (quem furvis Dæmonum pennis tentantem iter aereum, precibus ad humum crure diffracto Petrus alliſit) relatus Triumphus: & Extinctus revocatus ad vitam: atque alia Prodigia, quibus Cæleſtes Simonis Petri vires Infernis Veteratoris Simonis præſtigiis inſultaverunt; illuſtre ſunt documentum Divini Magiſterii, quo, Primum illum Hæreticorum Parentem coarguens, Petrus oſtendit, id ipſum Munus Hæreſes omnes profligandi ad Maximos Pontifices pertinere.

583 Supremæ verò ipſius Petri Exercitium Auctoritatis in Occidente apertiſſimè fulſit ex Cathedra omnibus præſidente, conſtabilita in Urbe: ſicut, conditis Alexandrinâ, & Antiochenâ, Ius idem exercuit in Oriente.

SI-

SIGNUM XXXIII.

Inſania negantium D. Petrum obiiſſe in Romano Epiſcopatu.

Concilia, Patres omnes, totuſque Chriſtianus Orbis Romanam præcipuè Sedem electam a Petro, inque hujus Urbis Epiſcopatu ab eo clauſos mortalis vitæ dies fuiſſe apertiſſimè profitentur.

584 UT ludribio traductus a Veteribus fuit Zeno, qui, contra oculorum, omniumque penè ſenſuum, compertiſſimam fidem; negavit Motum rerum: ita ſibilis explodendi videntur, qui, reluctati Quatuordecim omnino Seculorum conteſtationi, vel Petrum acceſsiſſe unquam ad Urbem, pernegarunt: vel Romæ pro Chriſto interemptum: vel Epiſcopum Romæ fuiſſe, inque hoc a ſe conſtanter ſuſcepto Epiſcopatu Supremum diem clauſiſſe. Quæ certè à Zenone afferuntur in medium Sophiſmata maximis ingeniis negotium faceſſiverunt; ſed vel tenui vetuſtatis eruditione aſperſis riſum, aut nauſeantis potius faſtidium ſtomachi provocant inſana mendacia Gulielmi cujuſdam, Vviclephi Præceptoris, qui omnium Primus inficiatus eſt, Urbem unquam Romam fuiſſe Petri oculis uſurpatam: Udalrici Veleni Lutherani hominis Libro idipſum integro imponere Orbi terrarum adorti: & Calvini, qui cum Inſtit. lib. 4. cap. 6. §. 15. adventum Petri ad Cæſaream urbem in dubium revocaſſet, orationem claudit his verbis: *Tamen propter Scriptorum conſenſum non pugno, quin illic*

mor-

mortuus fuerit, ſed Epiſcopum fuiſſe, præſertim longo tempore, perſuaderi nequeo.

585 In hoc Mendaciorum Forum minimè ingredimur, regiâ veritatis viâ compendio iter urgentes: neque ulterius fracta jam ab aliis vitrea comminuimus. Quæ vis iſtorum nugis inſit, ſi congrediantur cum communi omnium, qui per annos Mille quadringentos Chriſti nomine ſunt conſecrati, Regum, Cæſarum, Patrum Sāctiſsimorum, ac Synodorum omnium perſuaſione? Hæc certè non ſubjectam ſolùm Petri oculis Urbem fuiſſe, ſed Sacro etiam illius Præſulis, conſtantique ejuſdem uſque ad Triumphalem Funeris diem, Regimine temperatam fuiſſe, deprædicat.

586 Id Regum, & Imperatorum Diplomata innumera, Romam hac de cauſa miris præconiis extollentia, profitentur: id Patrum, id Pontificum omnium Oracula: id ipſum Concilia, nō alio nomine prę ceteris omnibus Romanos Antiſtites venerata, niſi quia Petro ſucceſſerunt in Epiſcopatu Romano: id Uniuerſus Chriſtianus Orbis, qui Romam ad Apoſtolorum Sepulchra ſumma perpetuò religione confluxit: & qui præſtare id poterant, recurrente quotannis conſecrata ipſorum Triumpho die, Romam non accedere nefas olim eſſe cenſebant.

587 Illuſtria præ ceteris ſunt teſtimonia Catholicæ, ideſt Romanæ, Fidei hoſtium, Euſebii Cæſaræenſis, Origenis, Tertulliani, Neſtorii, Eutichetis; ne amicos recenſeam, ea, quibus floruerunt, tempora proſequutus, Sybillina carmina, Dionyſium Corinthium, Cajum, Egeſippum, Cyprianum, Irenæum, Athanaſium, Dorotheum, Lactantium, Baſilium, Nazianzenum, Ambroſium, Hie-

Digitized by Google

ronymum, Epiphanium, Chriſoſtomum, Auguſtinum, Optatum, Maximum, Sulpitium, Oroſium, Eutropium, Paulinum, Iſidorum, Leonem, Theodoretum, Petrum Chryſologum, Gregorios Turonicum, & Romanum, Prudentium, Bedam, Bernardum, alioſque innumeros.

Ex his (qui pluris, opinor, Veleno, & Calvino habendi ſunt) liquet: non niſi per ſummam, & manifeſti livoris compertam, impudentiam dubitari poſſe de Petri Cathedra Romæ fundata, cum alium in Antiochena ſibi ſuffeciſſet.

588 Ipſa præterea Lignea ejuſdem Cathedra Romæ adhuc ſervatur religioſiſſimè: Lignea extat, ſupra quam Divinum Æterno Parenti Filium conſecrabat, Ara: Sacra, quibus fuit implicitus, Vincula: Carceres, quibus incluſus: quas incoluit, Regiones Urbis indigitantur, Tranſtiberina primùm tunc Iudæis frequens, tum Pudentis Senatoris in Exquiliis Domus: patent veſtigia Servatoris, illi ſe iterum in Vicario ſuo crucifigendum oſtendere dignati, ne ſe imminenti morti proriperet fugâ, quam Eccleſiæ opportunam putabat: ſuperſunt Columnæ, ad quas alligatus, proſciſſus flagris fuit: oſtenditur in Ianiculo inflicti eidem, Cruci ſuffixo, inverſo in terram Capite, ſupplicii locus: inviſitur ad D. Sebaſtianum Crypta, in qua Sacra Petri, ejuſque Coronæ conſortis Pauli, Corpora aliquamdiu delituerunt: & ex qua furto eadem rapere inconſulta Orientalium pietas incaſſum fuit conniſa. Illorum demum in Vaticano Sepulchrum incredibili Chriſtianus Orbis veneratione proſequitur, hoc eſt Divinorum munerum uberrimum fontem, Arcem, ac Tutelam

Digitized by Google

Urbis, & Columnas, non rarò ruinam minati, Romanorum Imperii.

SIGNUM XXXIV.

Evidentia Iuris ex vi Succeſſionis inhærentis Romano Pontifici ad Regimen Univerſalis Eccleſiæ magna vi Argumentorum præcipuè fulgens ex Concilio Nicæno.

I. *Romanos Epiſcopos ex Inſtitutione Divina Petro ſucceſſiſſe in Iure Paſcendi, Regendi, & Gubernandi Univerſalem Eccleſiam, Generalia Concilia diſertè affirmant.*

589 HÆc ferè ipſa, quæ Paragraphi Titulo præfiximus, verba, uſurpat Generalis Synodus Florentina: neque ipſa tantùm Divinũ hoc in Romano Antiſtite Ius agnoſcit; ſed & agnitum idem fuiſſe ab aliis omnibus Univerſalibus Conciliis, diſertiſſimè profitetur in celeberrima, & ab omnibus (præter unum, obdurati animi Portentum, Marcum Epheſium) Latinis, & Græcis Patribus ſubſcripta, Declaratione Fidei.

Non ſolùm ergo eidem adjudicat Primatum Ordinis, ſed verum etiam Ius ad Sacrum Regimen Chriſtiani Orbis: utque Synodus loquitur, *Plenam a Chriſto Domino Poteſtatem in Petro traditam Romano Pontifici Paſcendi*, videlicet ſanâ Doctrinâ: *Regendi, & Gubernandi* verâ ſcilicet Præfecturâ, & legitimo Imperio, *Univerſalem Eccleſiam*.

Cum autem addat: *Hoc ipſum conſtare ex Actis OEcumenicorum Conciliorum*: vereor, ne hujus ipſius am-

ampliſſimæ Conteſtationis robur imminuam, ſi unum, ex iiſdem Conciliis, aut alterum hujuſce nunc veritatis Argumentum eruam, quam ſupra Quadringentis edendo ſeorſum Volumine vindicabo.

590 Cur autem interea non innuam, a Sardicenſi Trecentorum Præſulum Generali Concilio Canone 3. ſcriptum fuiſſe: *Sancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur ab his, qui cauſam examinarunt, Iulio Romano Epiſcopo, &, ſi judicaverit, renovandum eſſe Iudicium* (inſtitutum videlicet jam ab ipſo Concilio, profeſſo, ſe Iulio ſubjectum) *renovetur, & det Iudices*?

591 In Epheſino 1. Tom. 2. cap. 8. appellari Cæleſtinum *Ordinarium Succeſſorem B. Petri Apoſtolorum Principis*: 592 a quo *Regulam Fidei ſe accipere*, frequenter Synodus gloriatur?

593 Acclamatum in Chalcedonenſi Act. 2. *Petrus per Leonem loquutus eſt*: 594 Tertia a Leone, *Petri Apoſtoli prædito dignitate*, depoſitum Dioſcorum: 595 Literis ad eundem Leonem, ipſum *Petri vocis Interpretem* nominari?

596 In Quinta Synodo ſententiam a Mena Præſide ferri in Antimum, & alios hæreticos Act. 1. quia contempſerant Ius Apoſtolicæ Cathedræ paſcendi ſacrâ doctrinâ Eccleſiam Chriſti: *Contempſerunt Romanam Eccleſiam, in qua Succeſſio eſt Apoſtolorum, quæ ſententiam contra ipſos protulit*?

597 In Sexta Act. 8. unum, eundemque cum Petro Agathonem dici, ideoque ſuſcipi a Synodo *ſuggeſtiones directas a Patre Noſtro Agathone Sanctiſſimo*

 Archie-

Digitized by Google

Archiepiſcopo Apoſtolicæ, & Principalis Sedis Antiquæ Romæ, tamquam a Spiritu Sancto dictatas, per os Sancti, ac Beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri, & digito ter Beatiſſimi Papæ Agathonis ſcriptas?

598 Cum in his Quinque probatiſſimis Conciliis (quorum ultimum celebratum fuit, poſt inſertam Symbolo particulam *Filioque*) pluſquam Mille Quadringenti Epiſcopi, plerique Græci, teſtentur, Romanum Pontificem Petro ſuccedere, parcere interea poſſumus ab aliis recenſendis.

II. *Vis, & neceſſitas Succeſſionis.*

599 Quo verò id pacto non faterentur Sapientiſſimi Patres, ſi, cum in Romano certè Epiſcopatu deceſſerit Apoſtolorum Princeps, ex ipſo Succeſſionis Iure manifeſtè pertineat ad Romanum Antiſtitem Poteſtas, quæ inerat Petro, regendi Univerſalem Eccleſiam?

600 An ipſi tantùm illam traditam fuiſſe Petro, ſtolidè opinarentur? An duraturam ſolùm Eccleſiam, quouſque inter mortales degeret Petrus? An Paſtore deinde Chriſti Gregem deſtituendum, Capite Corpus, Ædificium Fundamento?

601 An alium aliquem ex Apoſtolis ipſi crederent, Petro in Univerſalis Eccleſiæ Regimine ſucceſſiſſe? At quod huiuſce, aliis a Servatore attributi, Iuris veſtigium extat in Sacris Literis, quod in Eccleſiæ Traditionibus, in Conciliis, in Patribus, in quo demum, vel Eterodoxo, Hiſtoriarum Scriptore? Acceſſiſſe quidem ad Urbem Domitiano imperante Ioannem Apoſtolum, & fer-

ferventis olei dolio Chriſti causâ demerſum, Hieronymus narrat; neque tamen, Sacræ ullam ab Ioanne Clementi Pontifici decerptam fuiſſe Iuriſdictionis partem, commemorat. Hoc certè Somnium, de Ordinaria Petri Univerſam paſcendi, regendique Eccleſiam Poteſtate, ſuſcepta hæreditario Succeſſionis Iure ab Extraordinariis aliis Chriſti Legatis, ſcilicet ipſi Petro ſuperſtitibus Apoſtolis, nulli huc uſque illuſit.

602 Quid, quod, iiſdem quamprimùm Cælo receptis, Acephalum evaſiſſet Eccleſiæ Corpus: carens Paſtore Grex objectus Lupis fuiſſet: expoſita ruinæ Domus, Fundamentali Lapide ſpoliata.

603 Major certè neceſſitas Magiſtri, Rectoris, ac Ducis, urgere cœpit Eccleſiam poſt ſublatos Apoſtolos, quàm cum illi ætatem agitaverunt. Egregii tunc illi aderant Veritatis Præcones, quibus deinde pares nulla ætas tulit.

604 Latius deinde propagata eſt Chriſti Religio: majora in dies exorta diſcrimina Schiſmatum: gliſcere frequenter cœperunt Hæreſum Monſtra. Si ergo, ut Hieronymus docet, unus ex Apoſtolis omnibus, in Fide Divinitus ſolidatis, electus eſt Petrus; *ut Capite conſtituto Schiſmatis tolleretur occaſio*: potiori jure neceſſe fuit, ſupremam Auctoritatem Petri Succeſſione legitima in alios derivari. In quem porrò, præter Romanos Pontifices, derivata eadem fuerit, Conciliorum, ac Veritatis hoſtes interrogo?

III. *Spe-*

III. *Specimen Evidentiæ Pontificii Iuris promicans ex Atteſtatione Concilii Nicæni, & Sardicenſis, multipliciter declarantis, aut præſumentis, Verbis, ac Facto ipſo, Romanum Pontificem præſtare Generalibus Synodis.*

PRæfamur, a nobis hìc ſolùm indicari ſumma rerum capita, cum comprobaturi ſingillatim omnia ſimus in Opere de Octo Primis Generalibus Conciliis, & Appendice de Conſtantienſi. Nunc autem iterum ſuffragium petimus ab Auctoritate Conciliorum, de quibus aliquid curſim innuimus in Primo Libro, cum ibi ſolùm oſtenderimus, damnatá ab iis fuiſſe Semina, & Initia Diſcordiarũ, quibus paulatim recedi poſſet ab Eccleſiæ Unitate, ipſumque ab illa plurimorum Receſſum poſt Photii Rebellionem ſæpius iteratam. Idcirco in Primo Libro præcipuè oſtendimus Romanum Ordinis Primatum in Unica Unius Eccleſiæ Hierarchia; hìc autem decernimus Univerſalitatem Regiminis ſpectantem ad Romanum Pontificem.

Quia verò ſolummodo hìc Specimen delibamus eorum, quæ ſedulò quamprimùm exequuturi ſumus, pauca ex innumeris in medium afferimus: eademque adumbramus verius, quàm in diurna luce ſtatuamus. Nicænum igitur, ejuſque Appendicem, Sardicenſe Concilium explorantes, Quatuor primò, ac Triginta prætermittimus Argumenta, ex illis eruta ad aſſerendum Pontificium Ius indicendi Concilia, eiſdem præſidendi, eadem confirmandi, ac Univerſo Chriſti Gregi, minoribuſque ejuſdem Gregis Paſtoribus leges præſcribendi. Duo ſolùm, quæ

in

in controverſiam a quibuſdam revocantur, validiſſimis rationum momentis propugnamus: Pontificiam videlicet ſupra ipſas Generales Synodos Auctoritatem, & falli neſciam in declarandis Fidei Articulis Veritatem. Ex his enim abunde (utque Scholaſtici loquuntur, a Fortiori) conſtat de Suprema Romani Pontificis in Univerſalem Eccleſiam Præfectura, deque Inſania certis hanc limitibus circumſcribentium.

605 Pro vindicanda prima non innitimur Trigeſimonono ex Octoginta Canonibus Nicæni Concilii, ex Græca Lingua, & Arabica verſis, quorum Auctoritatem Suarius, Turrianus, aliique doctiſſimi viri egregiè tuentur. In eo certè Pontificia ſupra Univerſam Eccleſiam Poteſtas apertiſſimè declaratur per hæc verba: *Ita præeſt Patriarcha iis omnibus, qui ſub Poteſtate ejus ſunt, ſicut ille, qui tenet Sedem Romæ, Caput eſt, ac Princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipſe eſt Primus, ſicut Petrus, cui data Poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum: qui ſit Vicarius Chriſti Domini ſuper cunctos populos, & Univerſam Eccleſiam Chriſtianam: & quicumque contradixerit, a Synodo excommunicatur.* Eccleſiam autem Univerſam a Generalibus Conciliis repræſentari, quibus Legitimus, per ſe, vel ſuos Legatos, præſideat, qui tunc ſit in Eccleſia Pontifex, nullus ignorat.

606 Sed Modus, quo in Sardicenſi condenda a Patribus Decreta propoſuit Hoſius Silveſtri Legatus, præſtare Concilio illum, cujus Munere fungebatur, palam oſtendit. Neque enim quomodocumque ſuggerit, aut interrogat Patres: (quemadmodum ſemel, aut iterum Ac-
tius

tius,& Gaudentius:) ſed plerumque quaſi jubendo præſt, dicens initio Canonum 3. 6. 10. 11. 12. 13. 15. &c. *Hoc quoque neceſſariò eſt adjiciendum : Oportet autem: Hoc quoque neceſſarium videtur : Hoc quoque definire debemus : Hoc quoque definiatur : Hoc quoque omnibus placeat : Hoc quoque omnes definiamus , &c.* Id ipſum autem ab illo præſtitum fuiſſe in Nicæno, liquet ex eo, quod contigit in Sardicenſi : & ex Athanaſio, qui in Epiſt. ad Solit. vitam agentes narrat, Fidei Formam Nicææ ab Hoſio fuiſſe exaratam.

607 Ipſa Confirmatio Synodi a Nicænis Patribus poſtulata ſatis innuit Pontificiam ſupra Concilia pręſtantiam, cum petita profectò ſit, ut Conciliaribus Decretis Robur, & inconcuſſam Auctoritatem adiiceret: non verò quia Romanus etiam Epiſcopus, ad ſe conformandum aliorum Præſulum ſententiæ, compellatur. Enimverò ſæpiſſime Conciliorum Definitiones rejecit. Et fruſtra erat, hac ſolùm de cauſa Romanam ad Sedem confugere, ut ſcilicet unius Epiſcopi nomen auctoritati ceterorum adderetur, cum illius in Synodo Sententiam ipſius Legati, juxta ejus Inſtructionem gerentes, ejus nomine protuliſſent. Perinde ergo ac, ſi a Senatu Regio conditæ Leges Regia Confirmatione opus habent, ut omnes obſtringant, ex hoc ipſo patet, Regem anteire ipſi ſuo Senatui: ita conſtat, Maximum Conciliis Pontificem antecellere.

608 Verba ipſa incluſa Concilii literis Confirmationem petentibus Obſequium ſolummodo, non Iuſſionem ſpirant, & majorem Pontificis Maximi, quàm Synodi Auctoritatem evidentiſſimè oſtendunt, cum dicant: *Ad veræ Fidei augmentum accurrimus roborari.* Robur

ergo

ergo ſuis Decretis Concilii Patres a Pontificis, ſibi præſtantis, Confirmatione acceſſurum putabant.

Quid, illa quæ conſequuntur: *Confirmet noſtra ſancita, ut gradus fixos noſtra poſſit habere Regula*? Veluti ſi, abſque ſui Capitis, ac Rectoris comprobatione, ea, quæ ab ipſis fuerant edita, fluctuarent.

609 Romana Synodus, in qua Nicænam Silveſter ampliſſimè confirmavit, ut ipſius Nicænæ Corona, nobis aliud argumentum ſuppeditat; in illa enim ſtatuitur: *Nemo judicabit Primam Sedem*. At ſi Conciliis ſubeſſet, profectò ab iiſdem de illa judicium poſſet inſtitui.

610 Geſtit animus, producere in arenam Divinum Heroem Athanaſium, qui condemnatus a Synodo Antiochena, inter Nicænam, & Sardicenſem celebrata, ad Iulium Pontificem, ut Superiorem Synodo, laceſſivit: veluti narrat idem in ſupradicta Epiſt. & in Apologia 2.

611 Ipſimet Ariani Epiſcopi, qui Generalem, & legitimo Iure congregatum eſſe jactabant Antiochenum Conventum, admiſere Provocationem: ſupplicesque ad Iulium ſcripſerunt Epiſtolas, ut aliam Synodum convocaret, in qua novum de Athanaſio judicium haberetur, & clarius explicaretur Fides, jam ab aliis Synodis definita. Niſi autem ratiocinationem penitus, omnem projeciſſent, affirmare non poterant, majorem uni, quàm alteri Generali Concilio Auctoritatem ineſſe, niſi eam illi Major Synodis addat Romanus Pontifex.

612 Iam verò ſi ea, quæ in Sardicenſi Concilio geſta ſunt, & verba, quibus Decreta concipiuntur, ſedulò introſpiciantur, patebit: ab illo ſolùm Exequutioni mandata fuiſſe, quæ Romæ ſanciverat Iulius, Athanaſii, ac

Digitized by Google

Sociorum Fidem confirmando, eamque, ut integerrimam, omnium calculis roborando, eò quòd, integram illam eſſe, Iulius cenſuiſſet: cujus Decretum a ſe diſſingi non poſſe, Patres affirmaverunt, ipſum, ut recenti verbo utar, putantes Irreformabile. Ac præterea Minoribus Præſulibus (nam de aliis ſermo non eſt in iis, quæ ſpectant ad Diſciplinam) eas Leges tradiderunt, quas Hoſius cenſuit præſcribendas.

613 Ut Sanctiſſima fuerunt Decreta Synodi Sardicenſis, quæ a Superioris ſui Romani Pontificis nutu pependit: ita ſceleſtiſſima, & ſacrilega, quæ Orientales aliqui fugam Sardis arripientes, & Philippopoli in unum recepti, contra ſtatutam Nicææ Fidem condiderunt, Arium ab Inferis revocantes, & in Cælum veſanis laudibus efferentes: ut conqueritur Athanaſius in Epiſt. ad Antiochenos. Hoc ipſum autem adſtipulatur præſtantiæ Pontificum ſupra Concilia; cum ex hoc pateat, quàm neceſſaria Conciliis ſit, ne circumferantur omni vento doctrinæ, Pontificia Præfectura. Id autem, quod optimo Eccleſiæ Regimini perneceſſarium eſt, omnino ſtatutum a Chriſto Domino fuiſſe, quis inficiabitur: ac proinde ab illo decretum, ſuus ut Vicarius, Cuſtos, & Magiſter Veritatis, Conciliis antecelleret?

614 Et moramur, ex jure Appellationum ad Primam Sedem, declarato Sardis, auſpicium Tertii Canonis ſumente Hoſio ab illis verbis: *Hoc quoque neceſſariò eſt adjiciendum*: ex hoc, inquam, inferre Pontificiam ſupra omnes Iudices, etiam conciliariter coactos, prærogativam?

615 Quàm fæcundis autem illuſtrium illationum ver-

verbis exaratæ ſunt Literæ Concilii Sardicenſis, Pontificiam Confirmationem flagitantes! Præſtare certè ipſis Patribus conciliariter in unum coactis omninò præſumit Synodus Sacroſancta, cum ſcribens ad Iulium non privatus aliquis, unus, aut alter Epiſcopus, neque ſinguli ſeorſum a ceteris, ſed omnes ſimul, & Publico nomine, ipſum compellent *Caput ſuum*, atque *optimum eſſe*, dicant, *ut omnes ad illum, velut ad Caput, Domini referant Sacerdotes*: illi videlicet Sacerdotes, qui Synodum Generalem conſtituentes obſequentiſſimas ad illum Literas dabant.

616 Niſi hæc verba præceſſiſſent, magni non facerem ea, quæ conſequuntur, ubi Concilium loquens de Arianis: *Tuam*, inquit, *& Noſtram reprehendere communionem auſi ſunt*: primò ipſum Pontificem, veluti Superiorem, honoris gratiâ nominans, deinde Concilium, ut illi ſubjectum.

617 Magna iis, quæ ſubduntur, ſi ſolerter ad examen revocentur, vis ineſt verbis, videlicet: *Mente concordi, & voluntate adfuiſti*. Nam ſi jam antea per ſuas Literas, & Legatos, Iulius mentis, ac voluntatis ſuæ, certiſſimos fecerat Concilii Patres, ejuſque nomine ſubſcriptæ fuerant Synodi Definitiones, enimverò Iulii Confirmatio neceſſaria non erat, ſolùm ut ipſe ceterorum ſententiæ ſe conformaret, velut unus aliquis ex Præſulum choro: ut illi blaterant, qui robur petitæ a Conciliis Pontificiæ Confirmationis conantur eludere. Nunquam certè in Eccleſia uſu receptum videmus, ut ſubſcribere rurſus Conciliis jubeantur Epiſcopi, qui per alios, legitimo jure ſua vice functos, eorumdem prius Decretis aſſenſi

 ſunt.

ſunt. Idcirco igitur ſupplicabundi flagitaverunt Patres Iulii Confirmationem, quia, ſine ſolenni Capitis, & Superioris ſui Reſcripto, non recipiendam ab Univerſa Eccleſia Synodum pro certo habuerunt.

618 Eodem nomine, licet ipſa Synodus inſignem ad omnes Epiſcopos Literam dederit, illi non acquievit, ſed aliam, cui major ineſſet Auctoritas, ad eoſdem dirigi poſtulavit a Iulio, qui Orbi Chriſtiano Univerſo, ipſique Concilio imperabat.

619 Nihil eſt, quod his adiiciam, niſi quod hæc omnia, quibus Pontificia ſupra Synodos Poteſtas apertiſſimè ſtabilitur, fuerunt ab Athanaſio comprobata, qui eximius in Sacro illo Patrum agmine Bellator erat, ***magnique ipſe agminis inſtar.***

IV. *Ex eodem Concilio Nicæno, & Sardicenſi, patet, Errori nulli obnoxias eſſe Pontificias de Fidei Articulis Definitiones.*

EX hac, quam certis argumentis evicimus, veritate, ex eo ſcilicet, quod Conciliis etiam Generalibus antecellat Maximus Pontifex, manifeſta cõſequutione infertur altera, quam oſtendendam ex Nicæno, ac Sardicenſi, Concilio ſpopondimus, videlicet, quod falli nequeat, aut fallere Romanus Pontifex in Fidei Articulis Eccleſiæ proponendis.

620 Primò ſiquidem ſi Supremus Antiſtes præſtat Conciliis ejus Confirmatione indigentibus, profectò non caret prærogativâ, ut nulli ſit ipſe obnoxius Errori, dum publicè docet Eccleſiam, cum hanc ipſe Præſulum Cætibus attribuat prærogativam.

621 Præ-

621 Præterea ſi hac ille deſtitueretur, cum ea ſine ipſo pariter certa non ſit in Conciliis, incerta omnia fluctuarent; adeoque malè conſtituta eſſet Chriſtiana Reſpublica: quod ſine blaſphemia affirmari non poteſt. Si ergo ſupra Concilia eminet Romanus Pontifex, falli quoque neſcia in iis definiendis, quæ Fide Divina credenda ſunt, nititur Auctoritate.

622 Ad hæc, ſi fermè jubendo propoſuit Hoſius Decreta in Synodo Sardicenſi, atque ex hoc arguitur, idem fuiſſe ab illo præſtitum in Nicæna, in qua certè Fidei Formulam ſcripſit: & perpetuò Patres, abſque ulla hæſitatione, illius, quia Pontificii Legati, & a Pontificibus inſtructi, ſententiam amplexi ſunt: nulli expoſitam deceptioni Romani Antiſtitis Auctoritatem profeſſi ſunt.

623 Si Princeps eſt, & Eccleſiæ Univerſæ Caput Romanus Epiſcopus ex Nicæni declaratione Concilii, ſicut illam regendi, ita & ſalubri paſcendi doctrina Poteſtatem habet. At perperam hæc illi tributa fuiſſet, ſi noxias, infectaſque veneno, pro ſalubribus, herbas poſſet Ovibus ſuis apponere.

624 Si neceſſaria Conciliorum Firmitati eſt Pontificia Confirmatio, falli neſcia Pontificum Definitionibus veritas ineſt; ceteroqui enim, ſi ab ipſo iterum ad Synodos ad Verum ineluctabiliter aſſerendum confugere oporteret, rurſuſque a Synodis ad Pontifices, proceſſus daretur in infinitum, neque unquam certæ veritatis metam aſſequeremur.

625 Si *ad Veræ Fidei augmentum roborari, accurrere* ſe Nicæni Patres ad Silveſtrum, profitentur: *ut-*

que

que fixos ſua Regula gradus habere queat: majus Pontificiæ, quàm Conciliari, adeoque certiſſimum veritatis robur ineſt Regulæ Pontificiæ Definitionis.

626 Si Primam judicare Sedem nulli permittitur, Hæreſi definiendæ objecta illa non eſt; Iudicium enim ceteroqui de illa poſſet inſtitui, ac profectò deberet.

627 Si condemnatus a Synodis, quas Generales jactabundi Ariani nuncupabant, confugit ad Iulium Athanaſius, ſuæ ut aſſereret Fidei veritatem: neque Ariani Pontificium Tribunal detrectaverunt: certam fore ferendam ab illo Fidei Declarationem in animum admiſere. Et eam ſanè, ſua uſus Auctoritate, protulit Iulius; cum contra in ſummo Eccleſiæ diſcrimine Alexander Alexandrinus Patriarcha ſolùm Epiſcopos admonuiſſet, vitandos eſſe Arianos, de illis ceteroqui non auſus ferre ſententiam.

628 Si Patres Concilii Sardicenſis, reſilire ſe non poſſe a Iulii Definitione in integritate Fidei, quam propugnabat Athanaſius, declaranda, profeſſi ſunt, enimverò omnis expertem periculi eſſe tramitem Cæli, quem Romani Pontifices indigitant, aſſeverarunt.

629 Ex eo quod Ariani hanc Pontificiam Immunitatem Erroris omnium primi pernegaverint: & in ſuo Conciliabulo Philippopolis in eam inſurgentes, in Nicænam etiam Fidem, adeoque in Chriſti Divinitatem, impetu Tartareo graſſati fuerint: profectò liquet, quibus ſeſe diſcriminibus objiciant, qui hanc invident Dotem Chriſti Vicario.

630 Ius ipſum Appellationum, & poteſtas agnita in Pontificiis Legatis ea omnia demoliendi, quæ Sodalitia

tia Præſulum extruxiſſent, non leve argumentum eſt cognitæ in Antiſtitum Maximo deſponſæ divinitus firmitatis in Cæleſtibus Oraculis nõ dubiè declarandis. Certè ſi in iis etiam, quæ pertinent ad Cauſas Singulorum mortalium, (in quibus unuſquiſque ſubeſt Errori) ſpes affulſit Patribus majorem uni tantùm Præſuli, quàm ceteris omnibus, ad verum diſcernendum auram Divini Spiritus adfuturam: multò magis hoc ipſum in animum induxerunt de illis, quæ ſpectant ad Publicum Eccleſiæ bonum, Fidemque Sanctiſſimam confirmandam.

631 Quid, verba illa petentia ſolenne ſuffragium Iulii? *Mente concordi, & voluntatę adfuiſti*. Si ſuum antea calculum addiderat Iulius, incaſſum quæſita fuiſſet Suprema ejuſdem Comprobatio, niſi penitus exemptum a quovis errandi periculo credendum ab Eccleſia pro certo habuiſſent id, quod Apoſtolicus Pater ex Petri Cathedra pronunciaſſet.

632 Quid, expenſa neceſſitas, ut Sacerdotes omnes ad ſuum referant Caput ea, quæ in Synodo ſtatuerunt? Profectò majorem ipſi Capiti, quàm reliquis Membris, dignoſcendæ veritatis vindicat facultatem: ipſumque aptiſſimum profitetur reliquo Corpori erudiendo; cum Caput ipſum, non in Myſtico minus, quàm in Naturali Corpore Regia doctrinæ cenſendum ſit.

633 Quid tandem vota illa, & enixæ preces, ſuis ut Epiſtolis ad omnes Eccleſias Princeps Sacerdotum Sardicenſem Fidem ſtabiliret, cujus robori ſatis non eſſe judicabant alias, quas ipſa Synodus per Orbem terræ diſperſerat, niſi ejus Oraculum acceſſiſſet, quem omnis penitus Erroris expertem habitura eſſet Chriſtiana Reſpublica?

V. *Re-*

Digitized by Google

V. *Refellitur Inſania Balſamonis, & Calvini de coarctato Pontificio Regimine a Canone Niceno ad Eccleſias Occidentales, aut Suburbanas.*

EN quot ex uno tantùm fonte fluunt Argumenta, ex incæpto videlicet Nicææ, ac Sardis abſoluto Concilio: a quo nihil declaratum fuiſſe, conducens gloriæ Sacerdotii Regalis, nonnulli arbitrantur; imò affirmant Hoſtes veritatis, ab ipſo erectum Disjunctionis Parietem, qui uergentem ad Occidentem Eccleſiam ab Orientali diſtraxerit? Hæc certè fuit inſania Nili Theſſalonicenſis, ac Balſamonis, quos prętergreſſi ſtolidè audaces Calvinus, & Illyricus, coarctatos fuiſſe a Sexto Nicænæ Synodi Canone Pontificiæ limites Poteſtatis intra Suburbanas Eccleſias, ſomniarunt. O pluſquam Cimmerias, imo verò Tartareas tenebras! *Supercecidit* profectò Stygius, ideoque luce viduatus, *ignis* Superbiæ, atque Odii; ideoque *non viderunt* Veritatis *Solem*. Ita ne verò ſolùm Occiduas, aut ſitas in Suburbiis Nicæna Synodus liquit Eccleſias Romani Antiſtitis Adminiſtrationi? At quod in Sexto illo Canone veſtigium extat Suburbanarum, aut ſpectantium Occidentem Solem Eccleſiarum?

634 Non ſolùm ut extat in vulgata Editione Canon ille, ſed etiam ut refertur a Balſamone, nihil demit Iuriſdictioni Romanorum Pontificum, ſed ſolùm confirmat Veteres Conſuetudines circa Auctoritatem Alexandrini Præſulis, & Antiocheni. Quinimo auget vim Pontificiæ Poteſtatis, cum ex illa Concilium ſumat Regulam decernendi; jubeatque, inconcuſſas manere prærogativas Orientalium Sedium: *quoniam Romanus Epiſcopus*

ita

ita conſuevit: videlicet, quia illis Præſulibus permiſit Regimen Ægypti, Lybiæ, ac Pentapolis, aliarumque vergentium ad Orientem Regionum: vel ipſe potius per illos conſuevit eaſdem adminiſtrare.

Nihil hic certè ſancitur, *niſi ut Vetuſti Mores vim habeant*: quod luce meridiana clarius patet ex ipſis Concilii verbis. Dementiſſimi proinde ſunt, qui ex illis coarctatos opinantur fines, intra quos continere ſe deberet Auctoritas Pontificia, cum unicuique Præſuli ſuos relinquat, quos ex antiquiſſima conſuetudine obtinebat: adeoque Romano immenſos illos, nulliſque limitibus circumſcriptos, quos eidem Divina Chriſti Reparatoris Inſtitutio contulerat.

635 Cur, ſi præfigere Romano Antiſtiti, omnium ſcilicet Principi, limites Concilium decreviſſet, adortum primò non fuiſſet, leges de illo ſtatuere?

636 Cur eandem ſaltem non uſurpáſſet Imperantem, utque Iuriſperiti dicunt, Diſpoſitivam loquendi formam? Imo illâ uſum pro decernendis finibus Alexandrini, & Antiocheni, aggreſſum deinde loqui de Romano, illam in Hiſtoricam immutaſſet? Hæc enim ſunt Synodi verba: *Antiqui mores vim habeant, qui ſunt in Ægypto, Lybia, & Pentapoli, ut Alexandrinus Antiſtes horum omnium curam gerat. In Antiochia Privilegia ſerventur Eccleſiis: quando*, vel, ut alii legunt, *quoniam*, aut *quandoquidem & Romanus Epiſcopus ita conſuevit*. An non indicat Synodus, a ſe Superiorem agnoſci eum, de quo quidquam ſtatuere perhorreſcit; cum loquuta de ceteris, quibus ipſa Synodus præerat, uſa fuiſſet Imperio dicens: *Antiqui Mores vim habeant: Privilegia ſerventur Eccleſiis*?

637 Quid, quod Cauſæ vim habent, quæ demum cumque fuerint verba illa: *Quando*, *Quoniam*, aut *Quandoquidem*. At quàm abſurda fuiſſet, Deus immortalis, hujuſmodi ex illa Cauſa conſequutio? Videlicet, quia coarctatur Maximi Præſulis Regimen intra Eccleſias Urbi circumjectas, minor illo Alexandrinus univerſæ Africæ præſit, & Aſiæ Antiochenus? Neque minus inepta, quia liberalior, eſt interpretatio Balſamonis, ac Nili: ſcilicet, quia imperat Occidenti Romanus, det jura Lybiæ Alexandrinus. Cur enim perinde ex hoc inferri non poſſet, ut Lybiam temperaret ſacris legibus Carthaginienſis?

638 Quis ergo manifeſtiſſimè non aſſequitur, allatæ a Concilio Cauſæ robur in eo ſitum eſſe, quod Romanus Epiſcopus conſuevit, per illos Præſules Aſiam, & Africam adminiſtrare, ex eo primùm tempore, quo Patriarchales Sedes erexit Petrus?

Hoc certè ipſo quod Romano fines nullos attribuit, ſed ſolùm ex illo *menſuram* illorum deſumit, qui ex Vetuſto More ſpectabant ad Alexandrinum, & Antiochenum, oſtendit: nullis illum poſſe limitibus coarctari, & Patriarchalium Sedium jura ab Arbitrio Petri fluxiſſe.

639 Non ſolùm ergo ab hoc Decreto Romani Antiſtitis fines non anguſtantur, ſed potius ejuſdem ſupra Synodos, nihil de illo decernere auſas, & ab illo, ut Magiſtro, ac Directore, definiendi de aliis Regulam, & Exemplar accipientes, præſtantia ſtabilitur.

640 Os demum obſtruitur veritatis Antagoniſtis, ſi plurima, quæ conſultò prætermittimus, & huc uſque dicta, paucis complectamur. An intra fines Occidentis com-

compeſcere potuerunt illius Regimen, cujus muneris eſſe docuerunt, Concilia ubicumque terrarum indicere: illis præeſſe: eadem confirmare: omnibus Chriſti Agnis, & Ovibus jura tribuere: ſumpta de Præſulibus Iudicia ſuo roborare ſuffragio, aut pro arbitratu diffingere: Generalibus Synodis antecellere: & Univerſæ, ſine ullo errandi periculo, Eccleſiæ proponere Divinitatis arcana? Delyrii coarguit Sanctiſſimos, ac Sapientiſſimos Patres, qui hæc, toto inter ſe Cælo pugnantia, Decreta illis affingit: quæ ſi menti cuiquam fuiſſent oborta, ea profectò ſanciri vetuiſſet Hoſius Concilii Moderator.

641 Sed fruſtra ſit, in indaganda mente Nicænorum Patrum diutius immorari. *Quoniam Romanus*, inquiunt, *Epiſcopus ita conſuevit*. At conſuevit ne intra Suburbanas, aut Occidentales Eccleſias ſe continere, cum ſacras ab Aniceto leges petiverit Smyrnæus Epiſcopus Polycarpus Apoſtolorum Auditor? Cum omnes Aſiæ Minoris Epiſcopos anathemate percuſſerit Victor? Cum? Infinitus eſſem in ampliſſimo, quod ſupra innuimus, & infra urgebimus, argumento exercitæ per omnes Ætates, & Loca terrarum omnia, ſacræ a Romano Pontifice Iuriſdictionis. Illa igitur, quæ præceſſerant, quæque ſunt conſequuta, imo etiam in ipſo Nicæno, ac Sardicenſi Concilio contigerunt, manifeſtiſſimè oſtendunt: cognitum fuiſſe a Sanctiſſimis Patribus, non Ordinis tantùm Primatum, ſed & Univerſam Chriſtianam Rempublicam per Orbem Terræ diffuſam, & in Synodis congregatam, Paſcendi ſacrâ doctrinâ, Regendi, ac Gubernandi, munus ad Romanum Antiſtitem pertinere.

Digitized by Google

SIGNUM XXXV.

Neceſſitas Supremæ in Sacris Præfecturæ, ac Magiſterii in uno tantùm exiſtentis, Sapientibus omnibus manifeſta.

I. *Innuitur primò præſtantia Monarchiæ:*

NOn ab ipſis Divinis Oraculis Pontificium Ius exploramus, ſed ab humanæ ratiocinationis lumine, quod apertè oſtendit: opportunum fuiſſe, decerni ab Æterni Sapientia Patris, ut Suprema ſuam regendi Eccleſiam Poteſtas in Uno tantùm Antiſtite perennaret. Ipſum ergo Articulum Fidei, credentis *ex Revelatione Divina*, Succeſſorem Petri eſſe Hierarcham Eccleſiæ, minimè attingimus; ſed evincimus tantùm ex humanæ rationis ductu, ita ſuam a Christo Rempublicam conſtitutam fuiſſe, quia ita conſtitui expediebat. In ipſis ergo Veræ Eccleſiæ Signis, juxta præſcriptos nobis dicendi fines, hæremus.

642 *Non eſt bona*, inquit Ariſtoteles, de Divinitate ſermonem inſtituens in fine 12. Libri Metaphyſicæ, *pluralitas Principatuum. Entia volunt bene gubernari. Unus ergo Princeps*. Ex hoc alii fonte hauſerunt plurima ad Unius Imperium præferendum ſuſceptæ a Multis, aut Quibuſdam, Adminiſtrationi Regiminis. Validiſſimæ in aciem dirigi Argumentationes poſſent ad victoriam Monarchiæ de Democratia, atque ipſa etiam Ariſtocratia, referendam.

643 Præterea facilè oſtenderetur, ea, quæ in Profano etiam militant Principatu, potiori jure vim ſuam exe-

rere

rere in Sacro: in quo videlicet multò major eſt Uniformitatis neceſſitas, majus Diviſionis periculum, & majora, quæ ab hac emanant incommoda.

II. *Neceſſitas Fixi unius, ac perpetuò Aperti Tribunalis.*

644 SEd, quoniam ſolummodo certis, nec in controverſiam ab ullius prudentia revocandis, rebus innitimus, illud tantùm interea ſumimus, quod nemo non inſipiens negabit. Vtcumque ſcilicet optimum eſſet Regimen, cujus in partem plurimi veniant; perneceſſarium tamen omnino eſſe Fixum aliquod, Supremum, perpetuò alicubi Apertum Tribunal, a quo Leges accipi poſſint, ac ſubinde naſcentium circa eaſdem ſolutio dubiorum, Controverſiæ dirimi, Minores eligi Magiſtratus, & ad quod liceat oppreſſis ab aliorum Injuſtitia Iudicum provocari. Ita Romana olim: ita Græcæ Reſpublicæ temperabantur: ita qui nunc florent Senatus, ex una eademque Urbe flectunt populorum habenas, eorumque bono conſulentes perpetuò coeunt in unum. Hoc autem præſtari non poſſe a Sacris Animorum Rectoribus, in uno, eodemque loco moram trahentibus, deinde conficiemus: ex quo liquebit, non expedire, conſtitui in pluribus Supremam Adminiſtrationem Sacrorum.

III. *Nequit ſibi quiſque ad Salutem Dux eſſe.*

645 UT aptè ad hoc ultimum demonſtrandum progrediamur, Sacræ interim Monarchiæ oſores interrogo, an ullum omninò ad Cælum Ducem recuſent? Velintque, in iis, quæ ad Religionem pertinent, ſibi unum-

unumquemque Conſulem, ac Senatum exiſtere? Hoc ſi ſtatuant, ea ſequentur incommoda, quæ cum indicata jam ſint hoc ipſo in Libro, dum aliud Argumentum urgeremus, illa hìc iterum non inculcamus. Eiſdem ſolùm adiicimus, quod, ſi Belluæ, aut Dii, ex veteri Adagio, cenſentur Homines nullo in Profanis rebus aliorum, quos regant, aut a quibus regantur, uſi commercio: multò magis hoc ipſum continget in Sacris.

IV. *Eccleſiæ Regimen tribui non poteſt ſingulis Sacerdotibus.*

646 AN cognita neceſſitate alieni in cultu Divinitatis Magiſterii, ac Præfecturæ, Supremam hanc tribuendam putant Innumeris Præſidibus, ac Magiſtris, quorum nemo ſit alteri ſubjectus? Singuli ergo Sacerdotes: aut ſaltem, quos dicimus, Parochi: aut, quos Calviniani Miniſtros verbi, aut Seniores appellant: hominum animos temperent in Sacris conſectandis. At vel hi, æquali inter ſe, nullique ſubdita, pollentes Auctoritate, in una ſemper Omnes, eademque Urbe congregati excubabunt integritati Sacrorum: aut per univerſum Terræ ambitum fuſi ſuum ſinguli Gregem curabunt. Si primum eligant, nullus ergo pabulum deſtituto Gregi ſuppeditabit, Lupos ab eodem abiget nullus. Si ſecundum malint, Certum ergo non erit, Fixumque Tribunal, ſine quo conſiſtere nequit Reſpublica, ut ſupra ſtatuimus.

647 Quot præterea diſcrimina intercedent in Sacris adminiſtrandis? Quot exorientur pugnæ? In quot plurimi errores labentur, ſi eos penitus ne ipſa quidem Suprema Unius Poteſtas valet extinguere?

V. *Ne-*

V. *Neque Suprema Eccleſiæ Adminiſtratio convenire poteſt ſolis Epiſcopis.*

648 AN Supremum Regimen ad quoſdam ſolummodo Majores Sacerdotes, quos Epiſcopos dicimus, coarctabunt: &, excluſâ Democratiâ, præferent Ariſtocratiam? Sed iterum ex illis inquiro, an velint, ab Optimatum ſingulis ſingulas Urbes, & Urbium ditiones in officio contineri, itaut nulli alienos fines liceat invadere: an malint, in commune ab omnibus conſuli, communemque omnibus eſſe Sacram Urbium, & Provinciarum omnium, Univerſique demum Terrarum Orbis, Cuſtodiam?

Si diſcreti erunt, & præfiniti ſingulis animorum Præſidibus in unum tantùm Populum Magiſtratus: nulla erit Reipublicæ ſpecies, quæ ex communicato invicem plurimis uno eodemque Regimine coaleſcit. Ideoque non cenſebitur Ariſtocratia: ſicut neque prior illa Ius in animos dicendi ſpecies, qua Sacerdotes ſinguli ſingulis in Oppidis Sacra moderentur, conſequetur Commoda, imò nec Nomen ipſum, Democratiæ.

Utraque hæc conformatio Publicæ rei petit Conſortium eorum, qui communem omnium Felicitatem recta Gubernatione tuentur. Cum autem hæc etiam adumbratio Sacri Principatus, in plures diviſi, caritura ſit Fixo, & omnibus Expoſito Tribunali, rurſus in medium prodibunt Certamina Opinionum, Errorum peſtes, aliaque infortunia: ad quæ vitanda neceſſarium Senatum putaverunt, quicumque plurimorum, aut Optimorum, Imperium Philoſophi commendarunt.

649 Si

649 Si autem velint communem omnibus Epiſcopis eſſe Populorum omnium, totiuſque demum Orbis terræ Sacram Procurationem, rurſus interrogo, an ad hanc obeundam jubeant, ab iis perpetuò congregatis conflari Generale Concilium: an ſolùm identidem, cumque major urget Eccleſiæ neceſſitas?

Si perpetuò Senatum habituri ſunt pro conſervatione, & augmento Sacrarum rerum, procul ergo ſemper a creditis peculiari ſuæ curæ populis ætatem agent Præſules omnes: quo nihil abſurdius excogitari poteſt.

650 Si ſolùm identidem profecturi ſunt ad Comitia, quot interea ſoboleſcent mala è plurimorum incuria, vel nequitia Præſulum, quibus nullus major Antiſtes poterit medelam afferre?

651 Quot Hæreſes non pullulabunt modò, Serpentum inſtar, ſed latiſſimè venenum diffundent? Quot Paſtores a nullo coerciti degenerabunt in Lupos?

652 Quis præterea Senatum indicet? An expectanda erunt omnium Epiſcoporum Decreta Generalem Conventum ſtatuentium? An certò recurrente annorum ſpatio, licet non invitati, rurſus coaleſcent?

653 At ſi raro id fiet, non evitabuntur incommoda ſuperius indicata. Si frequenter, perpetua itinera vexabunt, plerumque Senes, Antiſtites.

654 Quis præterea illis in Synodo præerit? Quis rixantibus modum imponet? Quis nullum habituras finem, ac ſæpe inutiles, Quæſtiones abrumpet?

V. Ne-

VI. *Neque ſoli Patriarchę regere poſſunt Divinam Eccleſiam.*

ILlis, qui has convocandi, ac regendi Concilia partes profanis Regibus, aut Cæſari attribuunt, occurremus, poſtquam occupaverimus, iis reſpondere, qui, Sacrum fortaſse in paucis quibuſdam Supremum Imperium ſtatui, opportunum putarent: & Quatuor, aut Quinque huic Regimini præficerent Patriarchas.

655 Sed & de his redit anceps illud, & utrinque hoſtem vulnerans Argumentum, quo conficitur, nec expedire, ut ſui tantùm Gregis tutelæ incumbant: nec ut ad ſuſcipiendum Univerſi Ovilis Patrocinium ex una eademque Urbe in omnium terrarum ambitum curas protendant.

656 Quid, quod ſitam in paucis Summam, & Æqualem Auctoritatem, quam Oligarchiam dicimus, Sapientes omnes decernunt, peſſimam eſſe Regiminis formam, nihilque communi bono conducentem.

VII. *Eccleſiam temperare nequeunt Seculi Principes.*

657 IAm verò, qui a Seculi Principibus vocandos eſſe, regendoſque Præſulum Cœtus, opinantur, num cetera etiam iiſdem vindicant omnia, quæ ſpectant ad Religionem, cultumque Divinitatis? Niſi omnia iis ex æquo adjudicent, imprudenter aliqua eiſdem adſtruunt. Sed omnia eis non eſſe tribuenda, perſpicuum eſt adeo humanæ ipſi ratiocinationi, ut (cum tot Hæreſum Monſtra quovis penè Seculo ab Inferis emerſerint) Sextodecimo tantùm poſt redemptos Mortales, inque

una Britannia, Portentum hoc opinionis animos hominum lancinaverit: Præfecturam Sacrorum invadente Henrico, ut expulſa legitima Conjuge ſceleſtas cum ſuæ Pellicis Filia Nuptias contraheret: mox illi ſuccedente Puero, ac tandem Fœmina.

658 Si autem in ſuo quiſque Regno Rex, & Pontifex, utroque, Profano ſcilicet, & Sacro Sceptro temperet populos, non minora, quàm de finibus terrarum, gliſcent de Religione Certamina: ut interim ſuperſedeam, alia innumera, hinc originem habitura, Divini cultus detrimenta congerere.

659 Neque porrò hæc ſubterfugiet, qui uni adſcribat Imperatori Supremum animorum Imperium. Tot ille diſtringitur ſolicitudinibus ad humanam populorum fortunam tutandam, ut incumbere ſedulò nequeat ipſi etiam Divinæ, ex præſcripto ſibi, ac perpetim obeundo munere, aſſerendæ. Bellicam illa plerumque requirit, hæc pacatam inductionem animi.

660 Nec ipſa exigitur a Cæſare Philoſophia, ſplendidoque, & irriſo a prudentibus, mendacio dictum fuit: tunc optimè conſtitutam eſſe Rempublicam, cum imperant Philoſophi, aut Reges philoſophantur. Cur ergo cogantur Cæſares, doctrinâ Divinitatis ſubjectos ſibi populos informare?

661 Potuerint præeſſe Sacris Principes, atque Reges anguſtæ Ditionis: quod de Melchiſedecho traditur a Divinis Literis. At vaſta nequeunt Imperia contineri ab illo, cui munus utrumque delatum fuerit, neutrum videlicet pro dignitate obituro. Hinc Pontifices, & Sacrificuli Reges, diverſi erant ab illis, qui Profano Romam Regimi-

gimine moderabantur. Hinc, licet Ethnici Imperatores appellarentur Pontifices Maximi, tamen aut Nomen ſolummodo uſurpabant, relicta re, ſcilicet curâ Sacrorum, Minoribus Pontificibus: aut nullo verius, niſi umbratili, & humanis tantùm opportunitatibus ſerviente, Religionis conſeruandæ ſtudio capiebantur.

662 Quid, quod cum contigerit nunquam, ut Unus, idemque humano Principatu mortalibus omnibus imperaret: nec unquam hoc ipſum ſit eventurum: neque porrò expediat(ut communis eſt perſuaſio Sapientum) tam latè protendi caduca unius hominis Iura: hinc enimverò conſequitur, neque proinde opportunum fuiſſe, ut ſaltem Profanus Princeps omnium vaſtiſſimè imperans conſtitueretur Supremus Præſes Religionis.

663 Ut vera ſit Religio, unam, eandemque eſſe, neceſſe eſt, cum Una tantùm ſit Veritas. Hanc autem per omnes poſſe terras facili negotio diffundi ab ipſo Religionis Præfecto, jus, & ratio poſtulat. At ſi Sacris præſideret Profanus Cæſar, alii Principes, ipſius plerumque Hoſtes, aut Æmuli, nollent, ab illius Legatis edoceri cultum Divinitatis; ideoque hic difficillimè hominum animis infunderetur.

VIII. *Neceſſitas Supremi Sacri Antiſtitis multipliciter demonſtratur.*

664 CUm Suprema igitur Adminiſtratio Sacrorum, neque in Pluribus ex æquo Præſidibus Sacris, neque in Uno tantùm Profano Regnatore, potuerit aptè conſtitui: illud ſupereſt, ut Uni tantùm Sacro Principi fuerit demandanda, qui ſuſpectus nulli ob

exiguos Temporarii Dominatus fines, amicus omnibus ob Paternam in omnes populos, & populorum Rectores charitatem, facilè omnibus veram Religionem inſinuaret: 665 Qui omnes ad Sempiternam dirigeret Felicitatatem: qui Regalis Sacerdos ſacra Populo, & Sacerdotibus aliis Iura tribueret: 666 Qui Leges quaſdam, quas non rarò præſtat pro omnibus generatim ſanciri, poſſet identidem, juxta opportunitatem Locorum, ac Temporum aliquibus relaxare: 667 Qui minores Præſules aut eligeret ipſe: aut, ex veteri conſuetudine, permiſſos ab aliis eligi confirmaret: 668 Immerentes reiiceret, aut etiam, ſi neceſſitas exigeret, è ſacro Solio deturbaret: 669 Qui occultari prohiberet Lupos ſub Paſtorum paludamento: Ad quem provocare, pronum, & expeditum omnibus eſſet: 670 A quo ſtatim condemnarentur, ne ſerpere impunè poſſent, erumpentes contra veram Religionem Errores: 671 Aut, ſi ad eos efficacius profligandos, utilia cenſeret Generalia Comitia Minorum Præſulum, eadem cogeret: 672 Et coacta, vel coram, vel per ſuos Nuncios moderaretur: 673 Iiſque ſuæ Confirmationis robur adiiceret: 674 Qui demum Unus Unum, eundemque ſervaret in omnibus illum adeptis, & ceteris conaretur inſerere, Veri Numinis cultum.

IX. *Refelluntur Oſores Sacræ Monarchiæ.*

675 AN lapſurum proclivius in errata Unum, quàm Plures, affirmabis? At ego (non confugiens interea ad Divinam tutelam, ſemper adfuturam Vicario Muneris ſui) ex Profano ſolùm Regimine conjecturam haurio eorum, quæ contingunt in Sacro. Licet Mo-

Monarcha tantùm Decreta condat, ac Leges: Prætores urbibus imponat, Exercitibus Duces: Pacem amplectatur, aut Bellum;non tamen Unius tantùm mens conſilia expendit populis profutura. Qui certè librant Regnantium facta, frequentius, quàm a Regibus, in decernendis graviſſimis rebus, ac præſertim ſuſcipiendis bellicis Expeditionibus, peccatum norunt a Rebuſpublicis.

676 Eædem pariter plerumque multò citius,quàm geſta per Unum tantùm hominem Imperia, interierunt. Senatum demum, perpetuò habendum a Præſulibus æquali jure nitentibus, conjunctum eſſe cum pernicie Sacræ Reipublicæ a ſuis Cuſtodibus deſerendæ, ſupra oſtendimus; ut proinde nunc inſipienter ab illo nonnulla venemur emolumenta, cum aliunde manifeſtè pariat exitium publici boni.

677 Si quis tandem muſſitaret, per plura Secula felici curſu progreſſum fuiſſe Religionis cultum, cum ſinguli Antiſtites creditis ſuæ fidei populis præſiderent, abſque eo quod Supremus ille, cujus neceſſitatem aſſerimus, ſeſe Præſul communi omnium Regimini plurimùm immiſceret: nimium quantum Sacris hic in Hiſtoriis peregrinaretur. Hæ ſiquidem ab ipſis Eccleſiæ incunabulis ferè quot annis exhibent datas a Supremo illo, ſcilicet Romano, Antiſtite ad remotiſſimos etiam Præſules Literas: præſcriptas iiſdem Leges: excepta ad ſe laceſſentium Confugia: cognitas graviſſimas Epiſcoporum Cauſas: ſoluta Dubia circa Divinorum Interpretationem Oraculorum, aut ſervandos Ritus,& Mores: ac Hæreſes demum perpetuò ab eodem condemnatas.

678 Quod ſi exiguus tunc, lectiſſimorum plerum-

que,

que, Præſulum numerus, nec adeo prolatata in mortalium plurimorum animis vera Religio, ſed altiſſimas in paucis radices agens, vigilem Supremi Præſidis ſolicitudinem non adeo requirebat: nec Temporum iniquitas, ac Tyrannorum Eccleſiam inſectantium furor, ſuo ſemper Iure fungi Magiſtrum Religionis, patiebatur: non ideo cenſendum eſt, nequaquam expedire, ut eodem ipſe fungatur ampliſſimè.

679 Cum deinde liberius flectere clavum cœperit, ex hoſtium etiam confeſſione, Navarchus Eccleſiæ: neque hoc Vi, aut Impetu conſequi potuerit: enimverò manifeſtiſſimum eſt, aut a mortalibus cognitum fuiſſe, hoc ad illum ſpectare Iure Divino: aut (quod in præſens urgemus) ipſo Naturæ ductu perſuaſum fuiſſe omnibus, expedire Sacræ Rei, ut Unus ceteros omnes Antiſtites moderaretur.

680 Qui contra illum erigere paulatim cornua ſunt auſi quarumdam Orientis Urbium Epiſcopi, in Schiſmata, & infortunia maxima devoluti, documento fuere, quanti rectæ Sacrorum Adminiſtrationi interſit, Unum omnibus Religionis Cuſtodibus præſidere.

681 Hæc quidem omnia (quæ ineluctabilia Sapientibus, ſaltem non captis miſero ſtudio partium, videnda confidimus) non inanem ſolùm Supremo Antiſtiti Primatum Ordinis, & honorificentiorem in Sacris Cætibus vindicant Sedem: a qua ſcilicet nullum ex recenſitis in populos commodum redundaret; ſed etiam Veram in omnes Præfecturam, certumque Magiſterium Religionis.

SI-

Digitized by Google

SIGNUM XXXVI.

Teſtes, quorum Auctoritatem eludere, niſi ſibi ipſis contradicant, nequeunt Græci, præſertim Pontifices, quos inter Sanctos venerantur.

I. *Idem dilucidè conteſtantur Latini pariter omnes, & Græci Patres, profeſſi, Plenam tributam Petro Poteſtatem ſuperfuturam ſemper in Romanis Pontificibus.*

POſt innumeros teſtes, quos nobis conciliat ipſum humanæ ratiocinationis lumen, quo, niſi fallor, Superiori Signo undecumque pervaſimus latebras, ex quibus cæcis ictibus decertant Impugnatores Monarchiæ Sacroſanctæ, lectiſſimorum Suffragia Teſtium requiramus. Ea verò ſuppeditantur ab eximia Patrum Sanctiſſimorum Sapientia, qui utrâque Doctorum virorum Linguâ, Græcâ videlicet, ac Latinâ, ſcripſere.

Neque verò noſtrum conſilium eſt, ſingulas, quæ ſunt innumeræ, in hoc Compendio Patrum ſententias referendi. In immenſam molem creſceret Opus, quod eſſe breviſſimum volumus, parcentes curis, ac ſtomacho faſtidienti mortalium. Ne ipſa quidem Suffragatorum nomina omnia recenſemus. Illud ſolùm generatim decernimus, quod abunde ſufficit ad roborandum argumentum, petitum a Patrum Auctoritate: nullum ſcilicet ex iis eſſe, qui (dummodo aliquid ſcripſerit in Divina Oracula de Petro loquuta) perennem vigere in Romano Pontifice, traditam eidem Petro Poteſtatem, nequaquam affirmet.

682 My-

682 Myriades Præſulum huic veritati dedere plauſum in Generalibus Synodis, ex quibus plurimi editis in lucem Operibus adepti ſunt Famam ſapientiſſimi Nominis immortalem: ut, qui Primum Concilium animavit, Athanaſius: qui Secundum, Gregorii, Theologus, ac Nyſſenus: qui Tertium, Cyrillus Alexandrinus: qui Quartum, Leo Magnus, cujus Literas a Cælo demiſſas Epiſcopi propemodum adoraverunt: &, a Leone redonatus Eccleſiæ, Theodoretus.

683 Quotcumque ſupra retulimus Supremam, Petro concreditam, Sacri Prærogativam Imperii profitentes, iidem omnes non ipſi tantùm eandem fuiſſe traditam, ſed Univerſis etiam eidem Petro in Romano Epiſcopatu ſucceſſuris, diſertè affirmant. Et plurimi quidem animadvertunt, multò magis neceſſariam fuiſſe poſt obitum Apoſtolorum, quàm dum ipſi degerent inter mortales, Supremam hanc in omnes unius Antiſtitis Præfecturam.

684 Eandem apertiſſimè Romano adſcribentes audivimus plurimos, dum *Epiſcopi Eccleſiæ Univerſalis* Nomen Romano tantùm convenire, demonſtraremus.

685 Præterea cum, Unam tantùm cognitam perpetuò fuiſſe ab Orthodoxis Patribus Eccleſiam (licet Latinæ, ac Græcæ Nomina, ob permiſſam diverſitatem Rituum, invaluerint) Priori Libro ſtatueremus, quædam delibavimus ex Maximis Quatuor Eccleſiæ Græcæ Doctoribus, Athanaſio, Baſilio, Gregorio Nazianzeno, & Chryſoſtomo, quæ huc etiam pertinent; neque enim ſolùm Loca illa Patrum oſtendunt Præſulum omnium Conſortium in Una Fide, & Eccleſia (de quo tunc agebatur)

batur) ſed Veram etiam Romani, Petro ſuccedentis, in omnes Poteſtatem.

686 Atque hanc non Verbis tantummodò, ſed Facto etiam ipſo aſſerunt omnes iidem Sanctiſſimi Patres, ad Iulium, Damaſum, & Innocentium, ut Supremos Eccleſiæ Iudices, ab ipſis etiam ampliſſimis, & quæ Ariani appellabant Univerſalia, Conciliis provocantes.

687 Ex Latinis verò, ut Quatuor pariter ſolummodo ex omnibus eligam, & Gregorio Pontifici ſufficiam: interea Cyprianum, frequentiſſimè hic docet: *Schiſmata, & Hæreſes omnes non aliunde promanaſſe, niſi ex eo, quod ſuperba quorumdam mens venerari detrectaverit Unicum in Eccleſia Sacerdotem, Vicarium Chriſti, omnibus imperantem.* Hunc autem eſſe Romanum Epiſcopum Succeſſorem Petri, ſæpe, ac apertiſſimè affirmat: præſertim lib. de Unit. Eccleſiæ. Ad Cornel. lib. 2. ep. 10. & lib. 1. ep. 8. ad plebem univerſam, & epiſt. 35. ad Rogat. ep. 65. ad Flor. Pupien. Epiſt. 69. & lib. 4. ep. 8.

688 Licet Ambroſius, ut Occidentis Oraculum, ab omnibus, etiam Orientis, Epiſcopis conſuleretur: & a Cæſaribus, tunc Mediolani frequenter eligentibus Imperii Sedem, ob eximiam Sapientiam, & Sanctitatem ſummo cultus obſequio, ſacro illos metu perfunderet; Damaſum tamen, ac Siricium, incredibili veneratione proſequebatur: eoſque paſſim nuncupabat *Rectores Domus Dei*: ut in 1. Timoth. 3. *& Paſtores Ovilis Dominici*: ut epiſt. 82. ad Siricium.

689 Quid, Maximus Divinarum Literarum Interpres, ac Mundi Magiſter Hieronymus? An non Damaſum orat, epiſt. 1. ad eundem, ut certior ab illo fiat, liceat

ne ſibi uſurpare nomen *Hypoſtaſis*? Et frequenter inclamat, præſertim epiſt. 57. ad ipſum Damaſum: eos, qui conjuncti non ſunt Petri Cathedræ, aperienti falli neſcio Magiſterio veritatem Apoſtolicæ Doctrinæ, *extra Chriſti Regnum eſſe, cumque ipſo Antichriſto addictos exitio ſempiterno.*

690 Auguſtinus denique, Divinum Ingenii, Sapientiæque Prodigium, quo uno in arenam producto inſultare Eccleſia Chriſti poteſt acumini, atque Doctrinæ Philoſophorum omnium, thus adolentium inanibus Diis: Auguſtinus, inquam, ſæpenumero fatetur, Hæredem Supremæ conceſſæ Petro Poteſtatis eſſe Romanum Antiſtitem: præſertim verò Tract. 50. & 124. in Io: & Epiſt. 92. 157. & 162. Ab omnibus, incenſis amore nunquam interituræ Felicitatis; hærendum docet in Eccleſia Romana, quæ *fruſtra circumlatrantibus Hæreticis Summæ ſemper culmen Auctoritatis obtinuit.*

II. *Eadem eſt Pontificum omnium Maximorum Sententia, ex quibus plurimos Sanctitate inclytos, nec paucos origine Græcos, ipſimet Schiſmatici venerantur.*

691 NOn ſemper contemnendum eſt, quod de ſe ipſo aliquis Teſtimonium tulerit. Maximo tunc eſt habendum in pretio, cum conſtat, id ipſum confirmari Divinitus; tunc enim affirmationi unius hominis accedit univerſæ Cæleſtis Curiæ ſuffragium. Ita illi, quod de ſe ipſo ferebat Aſſertor noſtræ Salutis, aſſentiri homines tenebantur, cum, illud a Patre Divino comprobari Miraculis, intuerentur. Ita, quæ de ſua ipſorum

Au-

Auctoritate Romani Pontifices aſſeverant, tunc ſaltem vera eſſe cenſenda ſunt, cum, loquutos vera ipſos fuiſſe liquet ex Conteſtatione Divina. Hoc autem ſæpiſſime contigit, cum ſcilicet, affirmantibus ipſis a ſe vices Chriſti Domini repræſentari, Chriſtus ipſe manifeſtis Prodigiis adfuit, hujuſce Affirmationis Veritatem ipſis mortalium oculis ingerens.

692 Quot Romani Pontifices Vitæ Sanctitate, ac Miraculis coruſcarunt! Quot illuſtres fuerunt profuſo pro Religione magnanimo ſanguine! Hi porrò præ ceteris vel in editis Decretis Morum, vel in Declaratione Fidei, vel in Hæreſum Condemnatione, vel in datis quacumque tandem de cauſa ad alios Præſules Literis, diſertiſſimè profeſſi ſunt, ſe Petro ſucceſſiſſe in Adminiſtratione Univerſalis Eccleſiæ.

693 Videri poſſunt in ſpecimen ceterorum ea, quæ ſcripſit Clemens I. Anacletus, Evariſtus, Alexander, Pius, Anicetus, Victor, Zephirinus, Calixtus, Lucius, Marcellus, Euſebius, Melchiades, Marcus: quorum Epiſtolas licet effrontiſſimi Magdeburgenſes dicant ſuppoſititias, atque recentes, neque relatas ab ullo Auctore, qui floruerit ante Carolum Magnum; earum tamen integerrima fides aſſerta egregiè fuit ab Eruditiſſimis viris: eædemque certè referuntur ab Iſidoro, qui ducentis annis anteceſſit Caroli ætatem: & a Concilio Vaſenſi, celebrato annis omnino Trecentis quinquaginta ante Imperium Caroli: præter Origeniſtam Ruffinum, qui hac etiam Synodo fuit anterior.

694 Quàm illuſtres verò ſunt illæ, quas dedere Pontifices, inter annum Chriſti Trecenteſimum, ac Sexcenteſi-

mum imperantes, quaſque ne ipſi quidem Lutheri aſſeclæ audent Falſitatis inſimulare: perinde ac earum Scriptores fuiſſe fatentur Veros Eccleſiæ Præſides: nempe, Iulium, Damaſum, Syricium, Innocentium, Zoſimum, Leonem, Gelaſium, Anaſtaſium Secundum, Ioannem Secundum, Felicem Quartum, Pelagium Secundum, Gregorium Magnum?

695 Quamvis autem ceteros, qui deinde Eccleſiæ præfuere, Pontifices, Lutherani, & Calviniani per ſummam inſaniam dicant, fuiſſe Antichriſtos; non tamen Sapientes viri contemnent ampliſſima Teſtimonia Adriani Primi, ac Secundi, S. Nicolai Primi, S. Leonis Noni, Paſchalis, Innocentii Tertii, aliorumque omnium, niſi execrandâ blaſphemiâ dicere velint, mentitam eſſe Divinam Chriſti Domini Sapientiam, quæ ſpopondit, ſuam nunquam Eccleſiam defecturam. Defeciſſet autem ante annos ferè Centum ſupra mille, a Luthero poſt Undecim ferè Secula ab interitu revocanda, ſi hoſtes Chriſti fuiſſent Pontifices illi, quibus Univerſam Eccleſiam adhæſiſſe, conſtat ex omnibus Hiſtoriarum, Conciliorum, Sanctorumque virorum, imo & Schiſmaticorum, monumentis.

696 Ac notatu quidem dignum videtur, quod, cum omnes, Apoſtolorum Principis Auctoritate ſe præditos fuiſſe Pontifices dicant; ii tamen luculentioribus loquendi formis uſi ſunt, qui omnium maximè eximiâ ſanctimoniâ inclaruerunt.

697 Nullus autem Sanctorum Patrum, aut Hiſtoricorum, imo ne ipſorum quidem veterum Hæreticorum (quod mirum profectò videtur) eos unquam ob id carpere auſus fuit, ac jactantiæ inanis inſimulare.

698 An

698 An ipſis Antiquis Hæreſum Inventoribus Schiſmatici, & Recentes Eterodoxi, audaciæ palmam præripient? Illi profectò in aliquem ſolummodo, a quo prohibiti fuiſſent Communione Sacrorum, peculiarem Pontificem invehebantur; Romanæ autem Apoſtolicæ Sedis Amplitudinem non invadebant.

699 Græci ſaltem, ſuis in hominibus Veracitatis laudem ſarctam, tectam, ſervare ſtudioſiſſimi, ne in præſentia dicant, fuiſſe Impoſtores tot Romanos Pontifices exortu Græcos, qui ſibi, manantem a Petro, prærogativam regendi Univerſam Eccleſiam tribuerunt: Anacletus videlicet, Hyginus, & Syxtus Secundus Athenienſes: Anachoreta Teleſphorus, aliique ex ipſo Græciæ ſinu, Eleutherius, Antherus, Dionyſius, Euſebius, Ioannes Sextus, ac Septimus, Zacharias, & Alexander Quintus: præter Cappadocem Zoſimum, Cononem Thracem: &, quos nunc tantùm è Syris, & Palæſtinis indicamus, eos ſcilicet, qui nequaquam Hebræi origine, ut Petrus, & Evariſtus; ſed, qui in illis Provinciis nati, cum ibidem Græcæ in Sacris Linguæ, ac Ritus uſus invaluerat: Theodorus Hieroſolymitanus, Anicetus, Ioannes Quintus, Conſtantinus, Gregorius Tertius Syri, atque ex his Sergius, & Siſinnius Antiocheni.

700 Exiginius a Græcis, ne Impoſturæ calumniam inferant Romanis Pontificibus Conterraneis ſuis? Ulterius progreſſi ab iis nunc flagitamus, ne ſibi ipſis Sacrilegæ, ac ſtolidæ Superſtitionis notam inurant: perinde ac ſi eos colerent, ut adſcriptos numero Beatorum, quos mortalium Superbiſſimos, & Eccleſiæ Deceptores fuiſſe, opinentur. Multos certè è ſupra recenſitis Græcis Pontifici-

ci-

Digitized by Google

cibus, & plurimos ex Latinis, ipſi Schiſmatici ad Sacras Aras venerantur, eorumque Nomina in Triodio, ac Menologio, inſerunt nominibus Athanaſii, Baſilii, ceterorumque Sanctiſſimorum Antiſtitum Orientis. At illi profeſſi fuerant, eâdem ſe poteſtate præeſſe Chriſti Eccleſiæ, qua illam moderatus fuerat Petrus: inque hac, uſque ad obitum a ſe confirmata, ſententia deceſſerunt. Niſi autem hoc Apoſtolorum Principis Ius perpetuò in Romana Cathedra perennaret, ejuſdm Iuris Iactatores maximo ſe crimine obſtrinxiſſent, quo impliciti, nec reſipiſcentes, compulſi fuiſſent in Tartarum. Qui ergo illos Divis accenſent, aut fateantur, vera eoſdem fuiſſe loquutos, ideoque nullius culpæ reos extitiſſe: aut ſe impios, ac dementes, qui ſceleſtiſſimos, & in nequitia obduratos homines regnare putant inter Cæleſtes, quamque ſibi profuturam ſperant, eorum Opem implorant.

SIGNUM XXXVII.

Experimenta innumera Pontificiæ Poteſtatis in Occidente.

Hujus ad Univerſæ Præfecturam Eccleſię Iuris in Occidente multiplex Facto ipſo Experimentum a primis Eccleſię temporibus præſtitum a Romanæ Urbis Epiſcopo.

701 POſt auditas Conciliorum, Sapientum omnium, Patrum, Pontificum, Conteſtationes, explorare libet ſententiam Univerſorum, qui Chriſti nomine gloriantur. Exercitium Pontificii Iuris, non detrectatum a Chriſtiana Republica, manifeſtè arguit, cognitum

tum ab eadem fuiſſe, Iuris illius originem eſſe Divinam. Ab hac Exercitatione perpetua Supremi Iuris præcipuè conſurgit comperta Eccleſiæ Romanæ Auctoritas; & oculis propemodum ipſis incurrens illius Fulgor, qui manifeſtas inter Veræ Fidei Notas meritò enumeratur.

702 Ut autem, facturi gradũ ad Orientem, de Occidente generatim aliquid ſtatuamus, adeo apertum omnibus eſt, Pontificiæ Iuriſdictionis Exercitio moram hic nullam objectam fuiſſe, ut nemo ante Lutheri, & Centuriatorum ſomnia hoc in controverſiam revocaverit. Improbaverat quidem illam ſub finem Quartidecimi Seculi Ioannes Vviclefus, ſeque ab illius Regimine ſejunxerant Vvaldenſes anno 1170. & inſana deinde furioſorum hominum Secta, qui ſe Fraticellos appellabant; ſed exercitam, nemine contradicente, fuiſſe, minimè pernegaverant.

703 Adeo autem, Reipſa perfunctos Auctoritate ſua Romanos Epiſcopos, non diffitentur Schiſmatici, ut ipſorum etiam plerique affirment: iiſdem etiam nunc, ut Occidentis Patriarchis, ſupereſſe Ius ad Adminiſtrationem totius Chriſtiani Orbis vergentis ad Occiduum Solem; licet, ob permiſſam inſeri Symbolo particulam *Filioque*, a legitimà Poteſtate regendi Univerſam, videlicet etiam Orientalem, Eccleſiam fuerint devoluti.

704 Novati quidem Schiſma Tertio Seculo exarſit, ac deinde coorta ſunt alia certamina de Iure huic, vel illi homini favente ad Supremam Cathedram occupandam. Superbi etiam aliquando Cæſares contra veros, a quibus Sacro Excommunicationis fulmine icti fuerant, Pontifices inſurrexerunt: iiſque alios ſufficere per vim, & nefas

ag-

aggreſſi ſunt; ſed Ampliſſimum ipſius Romanæ Sedis Sacrum Imperium nequaquam ſpreverunt.

705 Vel ipſi Hæretici antequam diris devoverentur, eam obſequio proſequuti,& poſt ipſas in ſe jactas diras de ſuis, ut rebantur, hoſtibus, qui per Calumnias in ſe ferri Sententiam ſtuduiſſent,conqueſti,non tamen adoriebantur vim ipſam Pontificiæ Auctoritatis; ſed eludere Sententiam conabantur,aliam eſſe ſuam Fidem ſimulantes ab illa, quam Petri Cathedra Anathemate perculiſſet.

Iamverò, poſthabitis Deſertoribus Religionis, qui, licet apertè rebellaſſent, nihil officerent Iuri Sacroſancto: ad hujus Exercitium promiſcuè, & curſim innuendum, Suprema tantùm Capita, quaſi rerum, quæ innumeræ ſunt,& uberrimè poſſent explicari,Indicem texens, attingam.

706. Aliis Urbibus dati Præſules ab unius Urbis Epiſcopo, hujus ſupra reliquos Auctoritatem demonſtrant,ſive *Extraordinaria* hæc fuerit,ut in ceteris Apoſtolis, ſive *Ordinaria*, ut in Petro, inque aliis, qui deinde Sacram Petri Cathedram inſederunt. Nam qui deinde fuerunt impoſiti Hieroſolymitanæ Iacobi, aut Epheſinæ Ioannis, non proinde Palæſtinos,ac præſertim imminentem ipſi Hieroſolymitano Cæſaræenſem, aut Aſianos Antiſtites, elegerunt.

707. Quod ſi Ius aliquod in hujuſmodi Delectu Patriarchis fuit, illud ab Indulto Petri fluxiſſe, alibi oſtendimus. Ceterùm vel a Provinciali Synodo, vel a Clero, & Populo, ex veteri Conſuetudine, probataque a Romanis Pontificibus, Epiſcopi legebantur, quos

Digitized by Google

ipſi per ſe, vel per Metropolitas, aut Patriarchas, in Sacro Solio confirmabant.

708 Quot verò abſque Synodi, Cleri, aut Populi ſuffragio, Præſules, per omnes, ac præſertim Occiduas Regiones, diſperſit Linus, primus Petri Succeſſor, ac poſt illum Cletus, aliique omnes Romani Pontifices?

709 Quot Urbibus, antea carentibus Animorum Paſtore, illos primò præbuerunt? 710 Vel unam alteri Eccleſiam conjungentes, cum ſinguli antea ſingulis Urbibus præfuiſſent, ab uno deinde temperari plures voluere? 711 Vel a minus conſpicuo Solio ad illuſtrius eniti?

712 Quot permiſſos ab aliis renunciari, vel, quia impares Muneri, rejecerunt? Vel, cum aliquamdiu populos moderati fuiſſent, lapſos deinde in crimen ceſſare interim ab Adminiſtratione, vel Sacris etiam perpetuò abſtinere, imperarunt?

713 Quot auctos dignitate ceteris Præſulibus impoſuerunt, Archiepiſcopi, Primatis, aut etiam Patriarchæ, Acridani, Aquilejenſis, Gradenſis, aut Veneti, Æthiopiæ, aut Indiarum, titulo inſignitos?

714 Quid verò de Sacris dicam Excommunicationis telis, quibus non ſolùm è plebe mortales, ſed nobiliſſimos etiam viros, ipſoſque Principes, Reges, Cæſares, ac Præſules plurimos impetiverunt: Urbes etiam, atque Provincias integras Sacris interdicentes?

715 Quid præſcriptas, vel temperatas leges enumerem: diremptas Controverſias: cognitas graviſſimas Cauſas: 716 Auditas ad ſuum Tribunal confugientium Appellationes: 717 Exorta circa Fidem Dubia diſſoluta: declaratos veros Articulos: 718 Damnatas Hæreſes: 719

Indicta, rejecta, gubernata, confirmata Concilia?

Enimverò ſi, hanc qualemcumque recenſere aliquando, ac prolatare in longum Epitomen, conſilium fuerit: his, quæ innuimus, veſtigiis inſiſtendo, magnam in Molem, exile nunc, Opus aſſurget; neque enim unum tantùm Caput ſingulis indicatæ Partitionis membris tribuendum erit, ſed omnino multiplex, eandem diſtribuendo rurſus per Tempora, & Regiones omnes.

Interim incredibili me profiteor admiratione correptum, dum a Recenti Scriptore, quædam in dubium revocante, & alia nonnulla omnino negante Pontificiæ Poteſtatis Experimenta, triumphum cani animadverterim: perinde ac ſi alia innumera non ſuppeterent, quæ nullus livor inficiari poſſit.

720. Quid verò infertur ex eo, quod aliquando mortalium Vecordia, Furor, aut Inſcitia, ſeſe a legitima Sacerdotii Regalis Auctoritate ſubtraxerit? Num proinde Auctoritas eadem deteritur, aſſerta per Infinita propemodum illi obtemperantis Chriſtiani Orbis obſequia? An Profanorum Principum interit Ius, ſi, cum ſui ferè ſemper Populi eidem pareant, unus illi, aut alter per vim, & nefas rebellet?

SIGNUM XXXVIII.

Non pauciora per omnes ætates Pontificiæ Auctoritatis experimenta in Oriente.

HOrrorem incutit Oſoribus Apoſtolicæ Sedis exercita in Occidente a Romanis Pontificibus Iuriſdictio? At major ejuſdem fuit Uſus in Oriente. Miratur ne

ne quiſpiam, aut noſtrum etiam, ut audax, & falſum, Pronunciatum irridet. Sed veritatis compertiſſimi certè illis ſumus, qui ſaltem Euſebii, Socratis, Sozomeni, Photii, aliorumque Hæreticorum, aut Schiſmaticorum, lectioni aſſueverunt.

721 Ut autem lux veri omnes perfundat, aliqua generatim ſtatuimus, quæ omnibus, vel leviſſimâ notitiâ Vetuſtatis aſperſis, primo ſe ſtatim intuitu comprobabunt. Principiò neminem latet, in re nulla fulgere magis Supremum Romani Antiſtitis Magiſterium, ac Præfecturam, quàm in informando Chriſti Grege de Arcanis Divinitatis, ac præſcribendis Legibus Eccleſiæ Univerſæ in Generalibus Epiſcoporum Conciliis congregatæ. In Oriente autem magis, quàm in Occidente, neceſſe fuit, geminas has a Romano Pontifice Supremę Poteſtatis partes impleri; cum ibi ſæpius olim coortæ ſint Hæreſes, quàm in terris, a Sole Religionis propius illuſtratis: cumque experimento conſtiterit, nullum ſatis efficax ad peſtem illam extinguendam remedium fuiſſe, præter Pontificiam Auctoritatem, vel non expectato Synodorũ ſuffragio eradicantem Errorum Zizania: vel ineluctabile pondus addentem Provincialibus Comitiis, illo ceteroqui carituris: vel ipſa Generalia roborantem, quæ pariter degenerare ſine illa poterant in Cœtus Latrocinales, atque Satanicos.

722 De ipſa verò Poteſtate Romanorum Pontificum ſupra Synodos, etiam Univerſales, eas cogendo: per ſuos Legatos gubernando: & cum vera definiverant, confirmando: liquere olim ſolummodo potuit in Oriente, quia ibidem celebratæ ſunt omnes, quæ ab Eccleſia, eiuſ-

que Præſide Romano Antiſtite, ut Generales recipi promeruerunt.

723 Quod autem ſufficiens ad profligandos Errores vis ipſisConciliis nequaquam ineſſet,in ipſo pariter Oriēte præcipuè patuit, quia pleræque etiam ex Erraticis Synodis ibi coaluerunt. Mediolani quidem ſub Conſtantio damnata obliquè fuit Catholica Fides, & ab Arianorum Signiferis decepti ſunt Ariminenſes Patres. Sed quæ dedecora damnantium Athanaſium, & Nicænam Veritatem evertere cupientium, Trecentorum quadraginta quinque Præſulum vidit Antiochia? Quæ Quadringentorum quadraginta novem Eutycheti ſuffragantium deteſtata eſt Epheſus, paulò ante ab alio Sancto Concilio conſecrata? Quæ Sacrilegorum Portenta Conventuum abolentium Chriſti, & Sanctorum Imagines, cohorruit Conſtantinopolis ſub Leone primùm Iſaurò, ac deinde ſub Copronymo Conſtantino? Ut miſſos faciam Sex, ac Septuaginta Epiſcopos Arianam, contra Trecentos Sardicenſes Catholicæ veritatis Propugnatores,Fidem ſcribentes: Syrmienſes Ario addictos, contra veram adhærentium Marco Arethuſio Confeſſionem: Trullanæ Pſeudoſynodi Patres audaciſſimè jactantes Quintæ, ac Sextæ Synodi Auctoritatem, dum Canones conderent, quorum plurimi ab univerſa, cum Sergio, ceteriſque Pontificibus, Eccleſia rejecti meritò ſunt.

724 Quod ſi tam frequenter ampliſſimæ, & Sexcentorum etiam Antiſtitum numerum prætergreſſæ, Synodi turpiter exerrarunt, & patrocinium Hæreſum ſuſceperunt: quis non videt, neceſſariam fuiſſe Pontificiam Confirmationem ad Vera,& Legitima,a Falſis,atque Spuriis Conciliis ſecernenda? At

Digitized by Google

725 At quod ipſa tantùm Auctoritas Pontificum Maximorum definire poſſet Veros Articulos, non expectato ſuffragio Synodorum, quas aliquando conflare, arduum eſſet, aut identidem non expediens, Chriſtianus etiam Oriens frequentiſſimè oſtendit.

726 Thomas certè Morus, Magnus Angliæ Cancellarius, & illuſtre Sapientiæ, ac vindicatæ profuſo magnanimo ſanguine Religionis, Sidus affirmare conſuevit: Ancipitem ſe aliquamdiu fuiſſe, an Erroris damnandi eſſent, qui negarent, indubitatam ſtatim præſtandã eſſe Fidem Pontificiæ Definitioni, ante Conciliorum, aut ſaltem aliquem, eandem recipientis, Eccleſiæ Conſenſum. Sed cum Vetuſta, eorum præſertim, quæ in Oriente contigerant, Monumenta, ſtudio impugnandi Recentes Occidentis Hæreſes, attentè, ac ſedulò pervolutaſſet, apertè ſe comperiſſe: omnium fuiſſe Catholicorum Sententiam, Errori edocendo non eſſe obnoxiam Cathedram Petri, ejuſque unius Magiſterium ſufficere ad Neceſſarium Aſſenſum a Chriſtianis populis extorquendum. Neque porrò aliter conſtitui opportunè potuiſse Sacram Rempublicam, ne, dum expectantur confluentium ad Synodos, aut latiſſimè per Orbem terræ diffuſorum Epiſcoporum ſuffragia, peſtes interim Hæreſum propagarentur: quarum ſingulæ Locum aliquem Sacrarum Literarum in ſui confirmationem audaciſſimè allegant. Quamvis identidem expediret, haberi Sacra Comitia ad Errores facilius, collatis in unum conſiliis, ac ſententiis, extirpandos: cognoſcenda ſingularum Incommoda Eccleſiarum: Moreſque ſuavius corrigendos. Hæc vir Sapientiſſimus, qui omnes adulandi Romanis Præſulibus cauſas procul habebat.

SI-

SIGNUM XXXIX.

Hæreſum, & Schiſmatis Auctorum ad Romanam Cathedram Confugia.

Appellant ad Romanos Pontifices Hæreſiarchæ Semiariani, Macedonius, Pelagius, Cæleſtius, Neſtorius, Eutyches, & Photius Schiſmaticorum Dux.

QUid verò integerrimæ Fidei Teſtium venamur Oracula, ſi Hoſtes ipſi Veritati Manifeſtiſſimæ ſuffragantur? Adeo perſpicuum Orientalibus fuit, ab Urbe Roma petendam eſſe Divinorum Explicationem Arcanorum, ut ad eam ipſimet Auctores Hæreſum provocaverint.

727 Id primò Semiariani ex Antiocheno Conventu, quem Generalem eſſe gloriabantur, ſimul cum Athanaſio, appellantes Iulium Pontificem Maximum, præſtiterunt.

728 Eidem iterum Apoſtolicæ Sedis Iudicio acquieturos ſeſe Macedoniani profeſſi ſunt; ideoque aliquamdiu viguit ſpes illos in Veritatis tramitem revocandi.

729 De Pelagii, qui licet Britannus origine, in Oriente tamen ſuum præcipuè virus latè diffudit, Confugio ad Cathedram Petri dubitat nemo: deque Cæleſtii, quo præſertim Emiſſario uſus Pelagius fuit.

730 Neque minor evidentia eſt de Neſtorio, tueri ſe contra S. Cyrillum Alexandrinum fruſtra laborante, miſſis Literis, ac Voluminibus ſuis ad S. Cæleſtinum Romanum Pontificem. Per-

731 Pervulgatiſſima eſt Appellatio Eutychetis ad S. Leonem Magnum a Sententia contra ſe lata a S. Flaviano, ac Synodo ſub illo Conſtantinopoli celebrata.

732. At miſerrimi Schiſmatis Auctor Photius, tam frequenter, ac per ſolennes ſuas, ac Cæſarum Legationes a Romanis Præſulibus, ante, ac poſt Octavam Synodum flagitavit Decus, ipſumque Nomen Patriarchæ, ut a nullo magis vindicata videri poſſit Suprema Poteſtas Pontificis Maximi, quàm ab hoc infenſiſſimo ejuſdem hoſte.

SIGNUM XL.

Patriarcharum omnium Obſequia erga Romanum Pontificem.

I. *Generatim conglobata Signa Obedientiæ, a Patriarchis Conſtantinopolis præſtitę Romanis Pontificibus, oſtendunt cognitionem Pontificij Iuris ad Regimen Univerſalis Eccleſię.*

733. Pictores imitabimur, qui ut Exercitum tabulæ inſerant, præcipuos tantùm Duces admovent ſpectantium oculis, vivis coloribus expreſſos: in prima verò fronte paucis extantibus militibus, aliorum ſeſe comprimentium phalanges procul adumbrant. Minores videlicet Præſules non recenſebimus, quos in Oriente Romani Antiſtites elegerunt: confirmarunt: lapſos in Hæreſim, aut alia Crimina, è ſolio depulerunt: Inſontes, aut perperam a Patriarchis, & Synodis condemnatos, aut certè reſipiſcentes, Eccleſiæ ſuæ Regimini reſtituerunt.

Omnia nòbis hujuſmodi Experimenta Pontificiæ Poteſtatis cōgerere adortis in immenſum creſceret Opus, cui

cui leves, ideoque fortaſſe velociores, alas aptare conamur ad curſum per omnes, Erroribus laborantes, terrarum partes inſtituendum. Idcirco in Orientis Patriarchis conquieſcimus, quos cum obtemperantes Romano intuiti fuerimus, de illius in reliquos Præſules Iure, nemo, non inſipiens, dubitabit. Et a Conſtantinopolitanis auſpicamur, qui licet inclytam Principis Patrum Appellationem omnium poſtremi fuerint adepti, ſupra ceteros tamen caput paulatim extulerunt.

734 Paucos quidem ex his, neque tamen nullum, Romani Pontifices Inſulis decorarunt, cum vetuſta Conſuetudo inoleverit, ut a Provinciæ Antiſtitibus, Clero, & Populo eligerentur. Paulus Conſtantinopolitanus ab Euſebianis Hæreticis pulſus, a Iulio Romano fuit reſtitutus. 735 Ut S. Proclus Epiſcopus Cyzicenus, contra Nicænos Canones de priori Sponſa non deſerenda, transferretur ad Sedem Conſtantinopolis, hoc poſcente neceſſitate temporum, ac eximia viri virtute, Cæleſtinus indulſit. 736 Abſque Leonis aſſenſu admittere Anatolium non eſt auſus Theodoſius Iunior. 737 Anthimum faventem Eutychianæ blaſphemiæ, Iuſtiniani Imperatoris, ac Theodoræ Auguſtæ gratiâ pollentem, pluriumque Epiſcoporum ſuffragiis confirmatum, Agapetus Pontifex propria Auctoritate, nulloque coacto Concilio, damnavit: Victori gentium Cæſari Leges præſcripſit: perperam ab illo facta reſcidit: & Mennam Conſtantinopolis Antiſtitem conſecravit.

783 Ad Romanos Pontifices, ut Veritatis Magiſtros, ac Iudices, Profeſſionem Fidei Conſtantinopolitani ex Antiquiſſimo Inſtituto Præſules mittere conſueverunt.

738 Ad

Digitized by Google

738 Ad Romanos Pontifices, ut Veritatis Magiſtros, ac Iudices, Profeſſionem Fidei Conſtantinopolitani ex Antiquiſſimo Inſtituto Præſules mittere conſueverũt.

739 Neque ſolùm Sanctitate, ac Sapientia celeberrimi Gregorius Theologus, & Ioannes Chryſoſtomus, qui de nunquam defectura Petri, eiuſque Succeſſorum Fide illuſtre teſtimonium tulerunt: aliique Catholici Sacrorum Præſides, ut S. Eutychius ad Vigilium; verùm etiam Hæretici, vel nondum erroribus inquinati, vel eos interim diſſimulantes, vel inſana ſpe lactati, Romano illos Anathemate minimè percellendos. A Macedonii Conſtãtinopolitani Præſulis Sectatoribus,& ab ipſo Neſtorio, palmaria ſuperius exempla in arenam produximus.

740 Omnibus certè adeo perſuaſum erat, veriſſimè pronunciatum a S. Irenæo fuiſſe lib.3. cap.3. *Neceſſe eſt, ad Romanam, propter potentiorem Principalitatem, omnem convenire Eccleſiam*; ut & ipſi Patriarchæ ſuam ab illa Fidem probari curarent: &,ſi forte ab illa Patriarcharum Religio minimè comprobaretur, eos Catholici populi, ut Paſtorum veſte perſonatos Lupos, deteſtarentur.

741 Adeo autem mos hic mittendæ Romam a Patriarchis Fidei ſuæ Profeſſionis invalvit, ut cum Epiphanius eum ſervare differret, ita fuerit admonitus a S. Hormiſda. *Diu nos non nunciata tuę Dignitatis Primordia tenuere ſuſpenſos, & in ipſa communi lętitiæ gratulatione mirati ſumus, Morem priſtinum fuiſſe neglectum* Et infra. *Legationem tuam, eâ, qua dudum, gratiâ ſuſtinemus: & fulti Veteribus Inſtitutis exigimus.* Paruit autem Epiphanius anno 520. aliique poſt ipſum omnes per plurima Secula.

742 Eo præcipuè conſilio ſuæ Profeſſio Fidei Romam a Patriarchis Cæſareæ Urbis, per nobiles plerumque Legationes, aut per ſupplices ſaltem Literas dirigebatur, ut ab Eccleſiæ Univerſæ Moderatore Confirmationem in demandato ſibi munere conſequerentur.

743 Adeo verò ab omnibus religiosè ſervabatur, ut & ipſe mortalium ſuperbiſſimus Photius: annis ferè Ducentis quinquaginta poſt inſertam particulam *Filioque*: poſt ſomniatum, videlicet, lapſum Romanorum Pontificum a Sacro Univerſi Chriſtiani Orbis Regimine: hunc neceſſariò Morem a ſe retinendum eſſe, crediderit, ſi haberi vellet Conſtantinopolitanus Antiſtes.

744 Quid verò ſibi vult Pallium, ferè per Centum etiam poſt Photium annos, Conſtantinopolim ab Urbe Roma ſubmiſſum, cumque ſumma obſequii ſignificatione a Patriarchis acceptum? Quem latet, Sacræ id eſſe in Minores Præſules Iuriſdictionis Inſigne: quod cum a Romanis Pontificibus peterent, & exciperent, ab illis fluxiſſe Patriarchalem Amplitudinem, apertiſſimè profitebantur?

745 Quid, quod Tyrannica ipſa vis Ioanni Pontifici, carceri tradito, illata, ut Primo Libro narravimus, ad eximendos in poſterum Conſtantinopolis Præſules ab onere petendi a Veteri Roma Pallii, manifeſtum Argumentum eſt vigentis etiam nunc in Romanis Pontificibus ſupra illos Antiſtites legitimæ Præfecturæ.

746 Hujus conſcii veritatis Patriarchæ, qui noſtrorum Proavorum ætate, atque hoc etiam ipſo, quod nunc agitamus, Seculo, Catholicam Religionem, vel ante ſuſceptas Infulas colebant, vel illâ deinde ſunt illuſtrati,

Gen-

Digitized by Google

Gennadius, Beſſarion, Gregorius Protoſyncellus, Dionyſius, Nyphon, Raphael, Timotheus, & Cyrillus Berræenſis, ex antiquiſſima Conſtantinopolitanæ Cathedræ Conſuetudine, ſuos ad Urbem Nuncios cum ſuæ Teſſera Fidei, & flagitantibus in Sacro Solio Confirmationem precibus, legarunt obſequentiſſimè.

747 Si verò quiſpiam in dubium revocaret obedientiam ad Milleſimum uſque Chriſti Annum præſtitam Epiſcopo Veteris a Sacro Novæ Romæ Paſtore, dubitaret idem de hujus Inſania; cur enim non pareret illi, cui ſe ſubjectum excipiendo ab illo Pallium, Sacræ ſcilicet Poteſtatis Argumentum, coram Cæſaribus, totoque Orbe proteſtabatur?

Romanæ Sedi obtemperantium Conſtantinopolis Præſulum ſpecimen vidimus, dum alia expenderemus, in Anatolio, & Ioanne, quos præ ceteris incendit Ambitus OEcumenici Nominis.

748 Pontificii præterea Apocriſarii Cæſarea in Urbe moram trahebant ad Patriarchas in officio continendos: & Vicarii ejuſdem Romani Pontificis ad illos audiendos, qui ab ipſorum Patriarcharum ſententiis ad ſe provocaſſent, plerumque Theſſalonicæ, aut Philadelphiæ, degentes, Orienti præerant. Uno verbo: perinde ac Romana Suburbia Ordinario ſimul, ac Supremo Iure: ita hoc ipſo Supremo Regimine, quotieſcumque opus foret, Novam Romam Romani Antiſtites moderabantur.

749 Atque hoc iis etiam Seculis præſtiterunt, quibus Pontifices graviſſima barbararum gentium, ac deinde Exarcharum ſervitute premebantur.

750 Ut innumera diſſimulem, quæ afferri poſſent

Experimenta, prævaricatio eſſet, aliquid non innuerè de Acatio, qui Arrogantiæ palmam præripere geſtivit Anatolio; & Simplicii tamen, ac Felicis Imperiis frequenter ſtetit: ac miris lætitiis inceſſit, cum conſtitutus eſt Pontificius Legatus ad Zenonem Imperatorem, ut eum contra Hæreticos inflammaret. Mox ipſemet Acatius Hæreticis favens, ideoque Anathemate ictus, plurimùm, licet invitus, contulit Romanæ gloriæ. Illius certè nomen è Diptichis delere abnuentes Præſules obtulere ſplendidam Romanis Pontificibus cauſam exercendæ Supremæ in omnes Antiſtites Poteſtatis.

751 Flavitas primò, fraude nactus Epiſcopatum, illuſtres ad Felicem miſit Legatos, ut ſe confirmare in Solio dignaretur; ſed Româ cum dedecore pulſi ſunt.

752 Euphemius deinde Patriarcha per ſupplicem Legationem adivit Apoſtolicam Sedem, ſed ea ſolùm conditione fuit exceptus, ſi Acatii Conſtantinopolitani nomen aboleret, ut Petri Mogi Alexandrini fuerat deteſtatus. Felici ſuccedentis Gelaſii opem Euphemius flagitavit, miſſa Catholica ſuæ Fidei Profeſſione. Sed rejectus iterum fuit, niſi è Præſulum faſtis Acatium expungeret. Ut huic ſe Legi, Pontifice connivente, ſubtraheret, illuſtriorem ad illum Legationem ornavit. Sed hæc etiam irrita fuit: ac tunc celeberrimam illam ad Epiſcopos Dardaniæ Gelaſius Epiſtolam ſcripſit, ut ſe ab Euphemii conſortio in Sacris abalienarent: quod illi facturos ſe polliciti ſunt, ipſique Gelaſio, ut Patri Patrum, debitum obſequium præſtituros.

753 Quid tum? Iniquiſſimi propoſiti tenax Euphemius dejectus fuit a Solio, eique ſucceſſit Macedonius,

qui

qui libenter Pontifici morem geſſiſſet; ſed prohibitus eſt ab Hæretico Cæſare Anaſtaſio, qui Diris devotus a Symmaco, ac ſpretor Legatorum Hormiſdæ, quia ſacra deriſerat Fulmina, fuit ab alio delapſo cælitus appetitus.

754 Abraſum tandem eſt Sacris è tabulis infame nomen Acatii, cum idem S. Hormiſda Anno 519. Legatos Conſtantinopolim miſit, ut illius urbis Antiſtes Fidei Formam a ſe præſcriptam, coram Populo, aut ſaltem Clericis, & Archimandritis, profiteretur: datiſque ad omnes ſibi ſubjectos Epiſcopos Literis palam ediceret, expuncta a ſe, Romani Pontificis juſſu, fuiſſe nomina Acatii, Flavitæ, Euphemii, ac Macedonii: & Zenonis præterea, ac Anaſtaſii Imperatorum. Triumphavit profectò Veritas, cum Ioannes Patriarcha, aliique plurimi Epiſcopi, & Archimandritæ Pontificiis nutibus obſecundarunt, aſſentiente Iuſtino Imperatore, Græciſque, ac Syris, cum univerſo populo, Patribus, mirè plaudentibus: qui ultro Libello Fidei ſubſcripſerunt, hæc etiam verba præferenti: *Non poteſt Domini noſtri dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c. prætermitti ſententia &c. Hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apoſtolica inviolabilis ſemper Catholica cuſtoditur Religio.*

755 At quàm frequenter ceteræ ab illa Sedes defecerunt? Hoc autem ideo hìc etiam innuimus, quia novum hinc exurgit, ad oſtendendum Romanæ Auctoritatem in Conſtantinopolis Cathedram, Argumentum. Quoties enim ob Hæreſis Magiſterium, aut ſaltem Profeſſionem, Anathemate perculſi ſunt Præſules Cæſareæ urbis! Inventores Errorum Macedonius, Neſtorius, ac Ser-

gius

gius: deerrantium veſtigia proſequuti Antimus, Acatius, &, præter illos, quos ſupra recenſuimus, alioſque plurimos, qui enumerari poſſent, Paulus, Petrus, Pyrchus, Monothelitæ, & Iconomachi plures.

756 Quàm præclarè in hac inflicta Pœna ſceleſtiſſimis viris effulſit vis Pontificiæ Poteſtatis! Quæ Conſtantia Apoſtolici pectoris Felicem armavit, tres eodem tempore Patriarchas prohibentem Communione Sacrorum, Petrum Mogum Alexandrinum, Petrum Fullonem Antiochenum, & Acatium Conſtantinopolitanum?

757 Neque verò blateret quiſpiam, deriſos fuiſſe laqueos animis injectos a Succeſſore Petri, cui Divina *ligandi, atque ſolvendi* facultas tradita fuit; nam vidimus, qua precum contentione conati fuerint Præſules, atque Cæſares, hæc Sacra vincula excutere.

Quod ſi unus, aut alter Hæreſi obduratus illa ſprevifſet, eorumdem horrore ceteri contremiſcebant, & illis implicitos execrabantur. Mirifica in hoc genere ſunt Sanctorum Archimandritarum, & Martyrum, Maximi, Stephani, ac Theodori Studitæ teſtimonia, qui, flagrantibus Iconomachorum Erroribus, partis, & lactatis a Conſtantinopolis Patriarchis, ab illis recedentes Romanæ Fidei veritatem extulerunt.

758 Ut ab hoc tantùm ultimo quædam delibem; nullus certè Occidentalium illuſtrius de Romanæ Sedis, etiam ſupra Generales Synodos, Auctoritate fuit loquutus: de illius Fide nunquam defectura: ac de infallibili Eccleſiæ Magiſterio: eoſque compertos Hæreſis, & a Corpore Chriſti diviſos eſſe, affirmavit, qui ſe ab Apoſtolica Sede abjungunt. Hiſce verbis Epiſt. 8. lib. 2. Conſtantino-

nopolitanæ Eccleſiæ Apoſtolicam Romanam opponit. *Nos Eccleſiæ Apoſtolicę conſentientes, & Catholicæ; quia Conſtantinopolitana Eccleſia eſt Seminarium Hæreticorum, cui ſolenne eſt, ab alijs deficere.* Dedit hanc Literam ad omnes, qui pro cultu Sacrarum Imaginum patiebantur.

759 Idem verò in Epiſt. ad Naucratium, quæ eſt 63. lib. 2. *Conſtantinopolitani,* inquit, *ſe a Corpore Chriſti ſepararunt, & a ſupremo verticali Throno, in quo Chriſtus Claves Fidei depoſuit, cui non prę valebunt Portæ Inferi: prout is promiſit, qui non mentitur.*

760 Crimen eſſet, prætermittere Titulos, quibus Abbas Sanctiſſimus compellat Summum Pontificem Epiſt. 33. lib. 1. ita inſcripta: *Sanctiſſimo, & Supremo Patri Patrum, Leoni Papæ Apoſtolico, &c.* In qua cum primò id retuliſſet, quod a Conciliabulo Iconomachorum decretum fuerat, ejus opem implorans, ſubdit. *Cum Deus magno Apoſtolo Petro, poſt traditas Regni Cæleſtis Claves, Paſtoralis etiam Primatus contulerit dignitatem, ad Petrum, ejuſque Succeſſorem referri convenit, quidquid in Eccleſia Catholica innovatur ab eis, qui a veritate aberrant.* Et paulò infra: *Sanctiſſime, ſupreme Patrum Pater, æquande Angelis, Sanctiſſime Apoſtolice Papa, Divinum ſuper omnia Capita Caput conſtitute, Paſtor ovium Chriſti, Claviger Cęleſtis Regni, Vertex benedictionis, lampas Orbis univerſi, Fons Orthodoxę doctrinę, Purum, & immaculatum Apoſtolicum Caput, Dux Sacerdotum prime, Petra Fidei, ſupra quam ædificata eſt Eccleſia Catholica: Conſerva nos Pœmenarcha Eccleſiæ, quę ſub Cęlo eſt. Perimus. Imitare*

Ma-

Digitized by Google

Magiſtrum tuum Chriſtum, & manum auxiliatricem Eccleſię noſtrę porrige. Imitare tuum Anteceſſorem ejuſdem nominis Papam, qui contra Hęreticum Eutychen rugijt: & tu contra hanc recentem Hęreſim irrugias.

Idem ita inſcribit Epiſtolam ad Paſchalem Pontificem lib. 2. *Lumini magno, Primo Sacerdotum Principi, Domino Noſtro, Apoſtolico Papę Paſchali &c.* Hæc verò habentur in ipſa Epiſtola: 761 *Audi Caput Apoſtolorum, a Deo prępoſite Ovibus Chriſti, Paſtor, Ianitor Cæleſtis, Petra Fidei, ſuper quam ędificata eſt Eccleſia Catholica: quia tu es Petrus, qui Petri Cathedram gubernans ornas.* Et infra. *Tibi dixit Chriſtus Deus noſter: Confirma fratres tuos. En tempus, en locus: adiuva nos. Ad hoc a Deo ordinatus es. Habes poteſtatem a Deo, quia omnibus es prępoſitus &c.*

762 Et Epiſt. 35. ad eundem. *Vos eſtis illimis fons Orthodoxæ doctrinę: nunquam a ſui initio cęnoſus, ſemper purus. Vos ab omni Hęreticorum procella longè poſiti: ſecurus totius Eccleſię portus. Vos a Deo electa Civitas ad ſalutis refugium &c.*

Cum igitur obdurato in nequitiam animo Patriarchæ prævaricabantur, illos execrati Sancti Conſtantinopolitani Hieromonachi, & Clerus, ac Populus Orthodoxus, peculiari Paſtore deſtitutus, ad Univerſalem omnium confugiebat.

763 Ceterùm Præſules ipſi non tantùm in ingreſſu Sacri Regiminis ſupplices Romanam Sedem, per Literas, & Legatos, adibant; ſed frequenter etiam deinde vel illam conſulebant, cum dubia ingruerent: vel illam appellabant, cum ab aliis opprimebantur; vel abſolvi ab illa, ſi ſa-

ſi ſacris eſſent nodis irretiti, obſequentiſſimè flagitabant.

Illuſtria prioris generis exempla innuimus, Libro Primo, in S. Gregorio Theologo: 764 Nunc verò aliud proferimus in S. Flaviano ad Leonem Magnum, confugiente, ut blaſphemias Eutychis condemnaret.

765 Appellantium Romam Antiſtitum Conſtantinopolis Coryphæus ſit Magnus Chriſoſtomus, qui præſidium S. Innocentii Pontificis quæſivit contra Theophilum Alexandrinum, eique adhærentem Epiſcoporum Conventum.

766 At ejuſdem Chryſoſtomi cauſâ damnatus Atticus, abſolutus deinde ab ipſo Innocentio fuit, poſtquam juſſu Pontificis Sacris Faſtis reſtituit Ioannis nomen, & abolevit Arſacii.

767 Præclarum Romanæ Cathedræ decus eſt, quod ad illam etiam a Synodis Conſtantinopolitani Antiſtites provocaverint. Quid, ipſæ Synodi Conſtantinopoli habitæ ab eadem opem implorantes? De Generalibus opportunius agemus ſingillatim. Interim de Provincialibus aliquid indicamus, ea præſertim tempeſtate celebratis, qua Vetus Roma, *Princeps* illa *Provinciarum facta eſt ſub tributo* barbararum Gentium: perque Romanos tamen Pontifices rexit Orientis Patriarchas, ipſumque Conſtantinopolitanum; licet Urbs illa utriuſque Imperii Sedes eſſet; ut proinde Sacram Monarchiam non ab Imperatrice Roma pependiſſe, ſed ab Inſtitutione Divina, manifeſtiſſimum ſit.

768 Extant ſupplices Græcorum Præſulum ad Simmachum Pontificem Literæ, quibus petunt obſequentiſſimè, ne ob unum Acatium omnes orbentur participa-

Digitized by Google

tione Sacrorum. Fatentur, eum *ſuper omnes Oves Chriſti, per omnem habitabilem Orbem, Univerſalem habere Pręfecturam*: & addunt. *Si poſſemus, libenter tuis advolveremur pedibus ad referendam noſtrę pręvaricationi medicinam*.

769. Concilium ſub Iuſtino coactum a Pontifice petit, ſuos ut Legatos ad Eccleſiæ res componendas Conſtantinopolim mittat. 770 Aliud ſub eodem Iuſtino, & Epiphanio Patriarcha, ſeſe ita commendat Romano Antiſtiti. *Domino Noſtro Sancto, & Beatiſſimo Patri Patrum Hormiſdæ. Apoſtolatui veſtro debitum perſolventes officium ſperamus, ut amplius Paternum affectum circa nos veſtra Charitas cuſtodire dignetur: & ſapienti gubernatione, & manſuetudine, quę ad rationabilis traditi vobis Ovilis ſalutem pertinent, peragatis*.

771. Synodus ſub Menna Patriarcha, & Iuſtiniano Cæſare, ſupplicat Agapeto *OEcumenico Patriarchę*, ut Poteſtatem ſibi datam in Anthymi aſſeclas moveat.

772. Alia coacta fuit a Succeſſore Eutychii Sanctiſſimi Antiſtitis Ioanne Patriarcha, qui ſe inſcribere cœpit *EOcumenicum*; Sed illius Acta Pelagius reſcidit, & evanidum eum Titulum abrogavit; licet Longobardi tunc Italiam vaſtarent, ipſamque Romam obſidione cingerent: atque Imperatores, uſurpatum Tyrannicè ab Arianis Regibus morem ſequuti, certam pecuniam exigerent, ne Romani Conſecrationẽ Pontificis prohiberent: quod nefas uberrimis lacrymis in Explicatione Septem Pſalmorũ, quos Pœnitentiales dicimus, deflet Gregorius Magnus.

773. Si adeo perſpecta fuit Conſtantinopolitanis Præſulibus, totique Orienti Pontificia Poteſtas, mirabimur,

mur, tanto cum honore Cæſarea in Urbe exceptos fuiſſe Pontifices ipſos, eam aliquando adeuntes ? Sive Ioannem, cui obviam urbs univerſa proceſſit ad Duodecimum uſque Lapidem cum Cereis facibus, & Crucibus elatis: & ad illius pedes Iuſtinus procubuit Imperator. 774 Sive Vigilium a Iuſtiniano, totaque Conſtātinopoli exceptum, & ad Eccleſiam S. Sophiæ deductum, Clero, & Populo concinente: *Ecce advenit Dominator Dominus.* 775 Sive Conſtantinum, cui, miſſus a Iuſtiniano Secundo, ejus filius Tiberius occurrit cum omni Senatu, & Cyro Patriarcha. Ipſe autem Imperator ſe Nicomediæ Pontificis ad pedes abjecit, eoſque piè oſculatus eſt. 776 Sed Agapeti Pontificis Conſtantinopoli decedentis funus eâ pompâ, & confluentis populi, ac Præſulum, frequentiâ celebratum eſt, ut nullus omnino Imperator tam ſolenni ritu fuerit elatus.

777 Habitos Pontificibus ipſis honores expendimus, ſi Hormiſdæ Nunciis tota ſuis emota ſedibus Macedoniæ urbs cum Epiſcopo Troilo in occurſum proceſſit: eoſque, antequam ex Italia egrederentur, exceperant clariſſimi viri ab Imperatore ſubmiſſi: præter Imperii Principes, Vitalianum, Iuſtinianum, Pompejum, alioſque Senatores ampliſſimos, ad Decimum uſque lapidem iiſdem obviam prodeuntes? 778 Si domum, Photio Vexillum Schiſmatis erigente, Baſilius Macedo Imperator Legatis Adriani Pontificis Theſſalonicam uſque juſſit occurrere viros illuſtres: eoſque Cæſareis equis invectos deducere ad Urbem Regiam, in qua ipſe illos Baſilius cum Aula univerſa, Clero Eccleſiaſticas veſtes induto, ac populo faces præferente, honorifica ſalutatione excepit?

Digitized by Google

779 Quis Græcorum Patriarcharum Nuncius hoc unquam cultu donatus fuit? Quis tot precibus petitus, tanto ſumptu deductus? Quæ verò alia Pontificios petendi Legatos afferri cauſa poteſt, quàm quod cognitum eſſet Orbi Chriſtiano: ineſſe Romanæ Sedi facultatem ſolvendi omnes circa Fidem Quæſtiones, omneſque contentionum motus ineluctabili Definitione ſedandi?

II. *Idem patet ex obſequio Romanis Epiſcopis exhibito ab Alexandrinis.*

PRæſcripto innumeris Argumentis Conſtantinopolitanæ Cathedræ cultu erga Romanam, de Alexandrina eundem, ſed breviſsimè, ſtatuamus. Illius incrementa Conciliis primùm referuntur accepta, quamvis iiſdem frui tutò, ac ſine pugna, & aliorum querelis nequiverit, niſi poſtquam Romanorum Pontificum Conſenſus acceſsit: Alexandrina verò quidquid habet amplitudinis, id totum eidem contulit Petrus.

780 Iure igitur ſtatim atque renunciati erant, Patriarchæ Alexandrini ad Romanam, omnium quidem Eccleſiarum Matrem, ſed præcipuo nomine ſuam, Nuncios legabant cum ſuæ Profeſsione Fidei, ut, illâ comprobatâ, confirmarentur in Sacro Ægypti, Lybiæ, ac Pentapolis Regimine.

781 Hoc autem non Catholici tantùm Præſules perpetuò præſtitere: quorum illuſtria exempla ſunt in Legationibus Proterii ad S. Leonem Magnum, Ioannis Talais ad S. Simplicium, Zoili, & Apollinaris ad Vigilium, S. Eulogii ad S. Gregorium Magnum; ſed etiam qui deinde in Hæreſim lapſi ſunt, ac ſuperbiſsimi: ut Dioſco-

rus,

rus, ad eundem Leonem per Legatum Poſsidonium, per quem reducem Leo multis Dioſcorum documentis inſtruxit, eidemque multa præſcripſit.

782 Nec minori Iure Romani eligere potuiſſent Patriarchas Alexandrinos, quàm quo Marcum elegit Petrus: reſtitui Sedem Athanaſio decrevit Iulius; Damaſus Petro, Solifaciolo Simplicius. Idcirco ſi ab aliis eligi permiſerunt, nihil hinc Apoſtolicæ Cathedræ Auctoritas imminuitur.

783 Nihil pariter deteritur ex eo, quod inſanè aliqui eidem rebellaverint, ut deinde Dioſcorus, ab Eutyche dementatus: vel ſpreverint Sacra Fulmina a Vaticano intorta, ut Hæretici Timotheus Elurus, ac Petrus Mogus. Sed iidem, Pontificio juſſu, ab illius Eccleſiæ adminiſtratione depulſi, ſenſere vim Romanæ Poteſtatis.

784 Ac Leonis quidem in Dioſcorum ſententiam adeo reverita eſt Synodus Chalcedonenſis, ut etiam, cum cauſæ plurimæ adeſſent iniquiſſimum hominem è Sacro Solio deturbandi, præcipuam eam crediderit, quod in *Petri Cathedrâ* (Synodi verbis utimur) *erexiſſet inſaniam, Concilium vocare auſus ſine facultate Apoſtolicæ Sedis: quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.*

785 Timotheus autem Elurus, eodem Leone inſtante, in Cherſoneſum relegatus: & juſſu Felicis exulare coactus Mogus: experti ſuo malo ſunt, non eſſe irrita tela, quæ ab Urbe Roma intorquentur.

786 Teophili cauſam libentiſſimè diſſimularem, cum egregius ille Origenis inſectator præclarè aliquando de Eccleſia meritus fuerit. Idem tamen ob iniquiſſimum, quod S. Ioanni Chryſoſtomo conflavit, Exilium prohibitus

Digitized by Google

bitus fuit a S. Innocentio Pontifice Commercio piorum. Sed regreſſus exinde ad ſaniora Conſilia in Eccleſiæ ſinu religiosè deceſſit.

787 Celeberrima ſunt Præſulum Alexandrinorum ad Romanos Confugia, vel pro referenda Fidei Declaratione: vel pro venia criminum impetranda: vel pro compeſcenda ſuorum hoſtium audacia. Ex his autem ſingulis non ſolùm evincitur Primatus Apoſtolicæ Sedis, ſed etiam Suprema ejuſdem Poteſtas in alias omnes, & falli neſcium Eccleſiæ Univerſæ Magiſterium.

788 Ut quædam, ſervata ſerie temporum, delibemus, quid illuſtrius Controverſiâ de doctrina Origenis, delatâ ad Tribunal Romani Pontificis a Dionyſio Antiſtite Alexandrino: ipſoque Origene venire Romam compulſo, ut ſe apud S. Fabianum purgaret, quem decipere quidem potuit fictâ reſipiſcentiâ; non tamen ullius ex Erroribus ſuis Comprobationem extorquere: perinde ac rejecta primùm fuerat ad Urbem miſſa ejus Fidei Confeſſio?

789 Mox Hæreſiarcham Sabellium ad S. Sixtum detulit Dionyſius, cum paulò ante Cornelio contra Novatianos adhæſiſſet, & Fabium Antiochenum, aliquantulum Novato faventem, in veritatis tramitem revocaſſet.

790 Sed idem Dionyſius a Pentapolitanis Epiſcopis apud S. Dionyſium Pontificem accuſatus, quaſi, propugnans contra Sabellium S. Spiritus Divinitatem, Divinam ipſam Naturam in partes divideret, ſubmiſsâ Romam ſuæ Fidei Apologiâ, Orthodoxus Epiſcopus habitus fuit.

Licet innumera nobis ultro ſe ingerant argumenta, & ex-

Digitized by Google

& exhorreamus creare Lectori quorumdam repetitione faſtidium; nefas tamen videtur, ulterius progredi, non inculcatis prius, quas alibi attigimus, Magni Athanaſii ad Romanos Pontifices Appellationibus. Quædam nunc primò expendemus, quæ illas circumſtant, ac veluti fulgentiſſimi Radii coronant Solem, huc uſque a nobis quaſi ſub nube ſpectatum.

791 Chriſti primùm anno 336. Romam laceſſitus ab Euſebianis Magnus Athanaſius, ſuos Nuncios legavit ad Iulium, qui refellerent Hæreticorum Calumnias. Has autem iniquiſſimè congeſtas cum probare nequirent, fugam ab Urbe, veriti Pontificis indignationem, Athanaſii hoſtes arripuerunt. Catholici ergo pariter, & Ariani Epiſcopi, Certum Fidei Controverſiarum Iudicem eſſe Romanum Pontificem, profeſſi ſunt.

792. Illuſtrior fuit ex Antiocheno Conventu, quem Ariani dicebant Univerſalem, ab iiſdem cum Athanaſio Arianis ad Iulium Pontificem, Generalibus videlicet Conciliis imminentem, vulgatiſſima Provocatio.

Et Romam quidem præſens venit ſemel, & iterum Athanaſius, ſuoſque per Seſquiannum Accuſatores incaſſum præſtolatus, integritate ſuæ Fidei in celeberrimo Symbolo reſerata, inſons, & Veritatis Magiſter declaratus fuit, & ad ſuam Sedem honorificentiſſimè remiſſus a Iulio: nihil morato contraria Orientalium Synodorum Decreta; *cum*, teſte ipſo Novatiano Sozomeno lib. 3. cap. 7. *propter Sedis dignitatem cura omnium ad eum pertineret.*

793 Cognita deinde ſeditione contra S. Athanaſium excitata a Gregorio Ariano Alexandrinæ Sedis Invaſore,

gra-

graviſſimè per Literas Euſebianos Iulius objurgavit, eoſque Divini Iuris ab Inſtitutione Chriſti, & receptiſſimæ in Eccleſia Conſuetudinis, commonefecit, nullum damnandi Epiſcopum, aut deponendi, inconſulta Apoſtolica Sede.

794 Concilium demum anno 350. Hieroſolymis cogi curavit Iulius in gratiam, & honorem Athanaſii.

795 His adiicere, conſulentes brevitati, ſuperſedemus ampliſſimas Literas, ter ab Athanaſio Alexandrinæ Synodi nomine datas ad Marcum, Liberium, & Felicem, Romanos Pontifices; licet enim in iis Sanctiſſimus, & Sapientiſſimus Patriarcha diſertè dicat: *Univerſalem Eccleſiam a Chriſto Romanis Pontificibus eſſe commiſſam: ad eos ſolicitudinem omnium pertinere: in Arcis ſummitate conſtitutos illos a Deo fuiſſe, omniumque juſſos Eccleſiarum curam ſuſcipere: Supremam eſſe Romanam Eccleſiam, ad quam, ut ad Matrem, ſit ab oppreſſis omnibus confugiendum*; tamen validiora videntur illa, quæ ab ipſo Facto deprompſimus, ſcilicet ex appellante Romam cum Synodis Athanaſio.

796 Quamvis hic, par omnibus unus, pro innumeris Heros ſufficiat, ſua tamen laude non deſtituatur Petrus, qui ab Arianis pulſus anno 370. Romam confugit ad Damaſum, cujus Literæ Alexandrinam illi Sedem reſtituerunt.

797 Timotheus Soliſaciolus Chriſti anno 478. Sacro Alexandriæ Solio reſtitutus, ſupplex a Simplicio veniam flagitavit, quòd, Eluri violentiâ preſſus, non fuiſſet execratus Dioſcori nomen: & eidem recenſuit reſipiſcentes ab Hæreſi, ut illos Abſolutione Pontificia dignatur.

798 Ex-

798 Exceptus Romæ fuit humaniſſimè Ioannes Talais, Alexandrino Epiſcopatu Tyrannicè ſpoliatus à Zenone, impellente Acatio Conſtantinopolitano: nec obtemperante Pontificiis de Talai reſtituendo Decretis Hæretico Cæſare, in Nolana, ad quam translatus fuit, Eccleſia piè deceſſit.

S. Eulogii obtemperare S. Gregorio Magno ambientis exempla vidimus, dum adminiſtratam Univerſalem omnium Eccleſiarum ab eodem Gregorio Cuſtodiam expenderemus.

799 Cum per Orientem latè graſſaretur Iconomachorum furor, lectæ ſunt in Concilio Romano Literæ obſequentiſſimæ Coſmæ Patriarchæ Alexandrini ad Paulum Pontificem, profeſſi, ſe in Sacrarum Imaginum cultu Sectatorem eſſe Apoſtolicæ Cathedræ, & Conſtantinopolitanum Hæreticorum Conciliabulum deteſtari.

800 Qui veræ ab Urbe Roma doctrinæ Explicationem flagitabant, ſuum eidem obſequium exhibebant, quoties vel Alexandriam mittere dignabatur, qui Conciliis præeſſent: vel de Controverſis Articulis per Pontificias Literas ferre Sententiam. Coacto, ante Nicænum Generale, Alexandrino Concilio Silveſtri Pontificis nomine ab Oſio, Arii primùm, & Sabellii Errores damnati ſunt, & cautum, ne Sacrorum eſſent participes Meletiani.

801 Habita eſt hæc Synodus anno Salutis 319. Sed ſuperiori Sæculo data ad Maximum Patriarcham Alexandrinum Litera Felicis eo fuit in pretio, vt Sabellii, ac Samoſateni hæreſes in Provinciis ſubjectis Maximo, tunc certè, profligaverit.

Digitized by Google

802 Cum interfuit Oſius ab Urbe Legatus, Sacris idem Cœtibus præfuit, in Oriente, ipſaque Alexandria celebratis: neque illi primas concedere Præſul Alexandrinus erubuit. At cum ſemel hic præclaræ in Ægypto Urbis Antiſtes juſſus eſt Pontificio nomine Synodos moderari, adeo ſpretus hic honor a Græcis non fuit, ut illum inſeruerint Præconio S. Cyrilli in Menologio per hæc verba: *Natalis S. Cyrilli Alexandrini Epiſcopi, ſublimis doctrinâ, & Fidei Catholicę Propugnatoris, quem Summus Epiſcoporum Cęleſtinus judicavit dignum, qui ejus loco Synodo Epheſinæ præſideret.*

803 Iam verò, prætermiſſis innumeris, in Cyrillo conquieſcat oratio; qui frequenter in Actis ejuſdem Epheſini Concilii, & in Concione contra Neſtorium, appellat Cæleſtinum, *Sanctiſſimum totius Orbis Archiepiſcopum, Patrem, & Patriarcham.*

804 Idem, non auſus ante Synodum ſe a Neſtorii conſortio abalienare, Cæleſtinum conſuluit, ejuſque nutibus obtemperavit, ac juxta *pręſcriptas* a Pontifice Maximo *formas, ac Regulas* Synodum temperavit.

Si, poſt Decem ferè ab Orbe recreato Secula, occupantibus plerumque Alexandrinam Sedem, non modò Schiſmaticis, ſed & Eutychianis Hæreticis, & ingemiſcente Ægypto ſub Saracenorum Tyrannide, raro illius urbis Patriarchæ ſuum Romæ obſequium detulerunt; nihil hoc officit prærogativæ Pontificum Maximorum:

805 Quorum memoriam recoli per annos ferè Mille audivit Alexandrinus populus in D. Marci Liturgia, ante omnes commendante Divino Numini: *Sanctiſſimum, & Beatiſſimum Papam N. quem præſciviſti fore, ut ſibi*

San-

Sancta tua Catholica, & Apoſtolica Eccleſia eligeret &c. Extat hæc Liturgia in Tomo 6. Bibliot. SS. Patrum.

III. *Liquet idem ex eo, quod Romanis obtemperaverint Præſules Antiocheni.*

CUm Antiochiæ aliquamdiu ſederit Petrus, qui Cathedram deinde Romæ uſque ad triumphalem ſuum interitum ſtabilivit, ſingulari quodam non cultu ſolùm, ſed & amore hanc illa Sedem fuit proſequuta; Superbæ nullus invidiæ livor infecit animos, quia *quod illa in tranſitu meruit*, ut inquit S. Innocentius I. *ſuſceptum iſta, conſummatumque ſervaverit*; imo Divinis æquiſſimè conſiliis acquieverunt Antiocheni Præſules, decernentibus, ea in Urbe Sacri Solium Imperii perennare, ex qua Vera Religio per omnes facilius terras ampliſſimè funderetur.

806 De obſequio per annos Quadringentos præſtito Romanis Pontificibus, inſigne teſtimonium tulit in Epheſino Concilio Iuvenalis Hieroſolymitanus, affirmans, *Ioannem Antiochenum Patriarcham, venire ad Concilium recuſantem, ſaltem ob honorem Legatorum Romani Pontificis venire debuiſſe, eò quod Sedes Antiochena ſemper fuerit ſubjecta Romanæ.*

807 Innumera ſuppetunt, ante illam, ac Sex præcipuè poſt eandem Synodum Seculis, Experimenta Iuris à Romano Epiſcopo exerciti in Antiochenum, inque alios Præſules, ac Præſulum Cœtus Antiocheno ſubjectos. Inſtituti, confirmati, inſtructi, damnati, depoſiti, reſtituti ſunt, Pontificio juſſu, illius Urbis Antiſtites. Iidem præ-

Digitized by Google

miſſa Romam Confeſſione Fidei, confirmari in Patriarchali munere petiverunt. Romanum frequentiſſimè Tribunal appellaverunt, vel injuſtè criminis inſimulati, vel Fidei, Morumque Leges quærentes.

808 Quia infinitum eſſet ire per ſingulos, quoſdam ſolùm doctrina, aut ſanctitate inclytos teſtes adducam; aut quibus ipſa Hæreſis pondus addit. Quæ, niſi commiſſa a Chriſto in Petro Romanis Pontificibus, Romanæ in alias Eccleſias Præfectura inerat, ut ita Ignatius Martyr Antiochenus Patriarcha inſcriberet Epiſtolam ad Romanos: *Ignatius Eccleſiæ ſanctificatæ, quæ præſidet in regione Romanorum?*

809 Cur non Antiochiam adivit, cujus Præſuli ſubjectus erat, Smyrnæ Epiſcopus Polycarpus, ſed Romam venit ad Pontificem Anicetum, ut componeretur diſſidium de Paſchate celebrando, niſi quia Supremum hunc eſſe noverat Eccleſiæ Præſidem?

810 Cur Magnus Baſilius, auditis contentionibus, & infortuniis Antiochenorum, ſæpius Magnum Athanaſium per Literas compellavit, ut Romanum hic Pontificem ſuis precibus flecteret ad ſuppetias ferendas laborantibus Orientis Eccleſiis: diſertè ſuggerens Epiſt. 12. *mittendos Romam ab Athanaſio Nuncios, qui Pontificios Legatos impetrarent, ut hi, Marcelli hæreſim Antiochiæ condemnantes, Controverſias omnes de medio tollerent?*

811 Antiochiæ ſcribebat, tunc illius Eccleſiæ Preſbyter Ioannes Chryſoſtomus, cùm dixit lib. 2. de Sacerdotio: *Quanam de cauſa Chriſtus Sanguinem effudit ſuum? Certè, ut pecudes eas acquireret; quarum curam*

tum

tum Petro, tum Petri Succeſſoribus committebat.

Quis fuerit S. Anaſtaſii Sinaitæ Patriarchæ Antiocheni cultus in S. Gregorium Magnum Pontificem, ſuperius indicavimus: & quibus hic Iuniorem Anaſtaſium monitis inſtruxerit, videre eſt Libro 7. & 48. inter Epiſtolas Gregorii.

812 Poſt egregia ſanctitate conſpicuos intueri libet Catholicis immixtos Schiſmaticos, aut Hæreticos; Ioannem primò Patriarcham Antiochenum, eique ſubjectum Cyri Epiſcopum Theodoretum, adeoque Ioanni addictum, ut cum illo aliquamdiu favens Neſtorio ſpreverit Epheſinæ Synodi auctoritatem, & audaciſſimè in S. Cyrillum Alexandrinum inſurrexerit. Ioannis Cauſa ab eadem Generali Synodo tranſmiſſa fuit Cæleſtino: ex quo patuit, quanti fieret hic a Sanctiſſimis Patribus, ab eo præſtolatis ſententiam, quam ipſi ferre nequaquam auſi fuiſſent.

813 Ioannes idem deinde a Xiſto Tertio Pontifice admiſſus iterum fuit in Eccleſiæ ſinum, poſtquam Neſtorium execratus Romam direxit, cum ſupplici Legatione, Formam Catholicæ Fidei, quam ipſe cum adhærentibus ſibi ante in perfidia, nunc verò in reſipiſcentia, Epiſcopis profitebatur.

814 Illuſtrior fortaſſe videri potuit Theodoreti Palinodia ob Sapientiæ, niſi ob Sedis, præſtantiam. Ipſe quidem, licet Antiocheno Antiſtiti mordicus, etiam in ſcelere, adhæſiſſet; non tamen ab illo, ſed a Romano præſidium quæſivit, cum damnatus fuit a Secundo, eodemque Latrocinali, ſub Dioſcoro, Epheſino Concilio. Ad Leonem Magnum vir Sapientiſſimus provocavit, cujus Ca-

the-

thedram, *illuſtrantem ſuis radiis Orbem univerſum*; miris præconiis attollit. In Epiſtola verò ad Renatum, inquit. *Rogo, ut Sanctiſſimo Leoni perſuadeas, ut Apoſtolica utatur Auctoritate, jubeatque ad veſtrum Concilium adire. Tenet enim iſta Sancta Sedes gubernacula regendarum cuncti Orbis Eccleſiarum; ea maximè de causa, quod nunquam Hæretici contagii maculam contraxit: nec ullus in ea ſedit, qui de veritate malè ſentiret*. Hoc autem oriri ex eo, quod eſſet Apoſtolica Petri, cui Fides nunquam defectura fuerat deſponſa Divinitus, apertè dixerat in Literis ad ipſum Leonem.

815 Plurimùm veritati commodavit Theodoreti cauſa ex eo etiam, quod in Generali Synodo Chalcedonenſi Actione 1. exclamantibus contra illum Ægyptiis Epiſcopis, vocatus tamen ſit ad Subſellia, & ſuæ Regimini Eccleſiæ cum plauſu reſtitutus, ſtatim atque conſtitit de venia illi primùm a Xiſto indulta, deque reſciſſis a Leone Decretis contra illum Epheſini Conciliabuli ſub Dioſcoro.

816 Neque alia de cauſa eadem Synodus Chalcedonenſis Actione 7. recepit Maximum Patriarcham Antiochenum, quàm quia confirmatus in Sede fuerat a Leone: ad quem deinde iterum Maximus illuſtrem Legationem ornavit, ut Supremus Pontifex ſe contra Anatolium Conſtantinopolitanum tueretur.

817 Achatii quoque ſuperbi Antiſtitis Urbis Cæſareæ, ac Hæreticorum fautoris, indignationem incurrit, ſibi perhonorificam, Kalendion Antiochenus, confugiens per Anaſtaſium Epiſcopum ad Simplicium Pontificem, a quo fuit in Sede confirmatus; pulſus autem ab Eccleſia

Pe-

Digitized by Google

Petrus Fullo, in eandem ab Achatio, & Hæretico Cæſare intruſus.

818. Quamvis proteſtatus fuiſſet Ephrem Antiochenus, conſulendam prius eſſe Romanam Eccleſiam, & Sententiam Vigilii Pontificis expectandam; quia tamen Edicto Iuſtiniani de Tribus Capitulis invitus ſubſcripſerat, ad eundem Vigilium in Siciliam miſit Legatum, per quem ſeſe purgaret.

819. Magnanimæ Theodori Antiocheni lectæ ſunt Literæ in Concilio Romano Anno 769. profeſſi, perpetuò adhæſurum ſe in colendis Imaginibus Romanæ Eccleſiæ; licet univerſus illas Oriens demoliretur.

820. Neque minori conſtantia Elias Tyri Epiſcopus, Antiocheni Patriarchæ nomine, in Octavo Concilio Anno 869. ſubſcripſit Libellum Pontificis Adriani, & Anathema jecit in Photium.

821. Flavianum recenſeam Catholicum Præſulem, ſedere Antiochiæ permiſſum a Damaſo, connivente precibus Magni Chryſoſtomi? 822. Vel ipſi Hæretici Armeniæ, ac Syriæ Præſules, Euſtatio Duce, non ad Antiochenam, ſub qua erant, Eccleſiam, damnati a Lampſacena Synodo, appellaverunt, ſed ad Romanam: & fictâ reſipiſcentiâ, quaſi, Semiarianorum Erroribus eliminatis, Nicænam fidem penitus amplecterentur, ſuæ rurſus Eccleſiæ ſunt redonati.

823. At fraudes nullæ profuerunt Vitali Antiocheno Pſeudopatriarchæ, ne procul a Cœtu piorum abiiceretur a Damaſo, ſimul cum Apollinari dementium Hæreſum Inventore, quem Orientis Eccleſia, damnare non auſa, ex Veteri Conſuetudine detulit ad Romanum Tribunal.

824. Iuſti-

Digitized by Google

824 Iuſtinum commemorem religioſiſſimum Imperatorem, qui, licet optaret initiari Conſtantinopoli Paulum electum Antiſtitem Antiochenum, cum audivit ex Pontificiis Legatis, hoc Hormiſdæ non arridere, ſtatim deſtitit a conſilio?

825 Zeno ipſe, nequiſſimus, & Hæreticus Cæſar, ad ſedandos motus Antiochenorum ſupplex flagitavit a Simplicio Pontifice, ut illius urbis Antiſtes a Clero Conſtantinopolis eligeretur: quod illi pro ea tantùm vice Simplicius indulſit.

826 Plurimi cum Machario Antiocheno Epiſcopi Monothelitæ, Sextæ Synodo ſubſcribere abnuentes, ad Romanam Sedem ab ipſo Generali Concilio appellaverunt, nihil ceteris Patribus reclamantibus. Sed cùm fruſtra in Macario ad meliorem frugem revocando Benedictus Pontifex laboraſſet, depulſo eidem ſuffectus fuit Ioannes Syrus, qui antea Pontificius conſederat Legatus in Synodo.

827 Hæreticos ipſos Antiochia nobis exhibuit Romanæ amplitudini ſuffragantes? Quid, ſi eadem ipſis Ethnicis anſam dederit conteſtandæ Supremæ in omnem Chriſti Gregem Romanorum Pontificum Auctoritatis? Cum Paulum Samoſatenum Patriarcham Antiochenum, Hæreſis iniquiſſimæ compertum, habita in eadem urbe Synodus condemnaſſet: &, impetrato aſſenſu Dionyſii Pontificis, eundem abigere fruſtra conaretur ab Epiſcopali Aula: rem detulit ad Aurelianum Imperatorem obtinendi cauſâ Secularis auxilii. Idolis autem addictus Cæſar illi Ædes Antiocheni Præſulis adjudicavit, cui eas addixiſſet Romanus Pontifex.

VI. In

IV. *In confeſſo eſt idem Ius Romanorum Pontificum ex eo, quod ſummo illos cultu proſequuti fuerint Antiſtites Hieroſolymitani.*

828 Quamvis Sancta olim Civitas dicta hæc fuerit, Cæleſtis Patriæ Symbolum, Divinoque Funere conſecrata; nullo tamen Sacro Iure prælata ceteris fuit per Quinque omnino Secula. Hoc autem ineluctabile argumentum eſt, unius ſuper alias Eccleſiæ Præfecturam ab Arbitrio Petri penitus pependiſſe.

829 Honoris quidem, ac Tituli decus ipſi Hieroſolymæ, tunc Heliæ nomine appellatæ ab Adriano Cæſare, fuit adjectum a Nicæna Synodo, non tamen Poteſtatis; cum relicta potius fuerit ſub Cæſaræ Metropolita.

830 Extorſit deinde a Concilio Chalcedonenſi Iuvenalis Hieroſolymitanus Antiſtes utriuſque Palæſtinæ Primatum, ſed abſentibus Pontificiis Legatis; ideoque abrogatum fuit illud Decretum a Leone Magno, graviſſimis illum verbis arguente: ac Maximum Antiochenum, ut illi obſiſteret, adhortante: 831 Perinde ac antea S. Cyrillus Alexandrinus, a Leone compeſci temeritatem hominis, exoraverat.

832 Certò conſtat, anno primùm 559. in Quinta Synodo ſub Vigilio conceſſam fuiſſe Patriarchalem Auctoritatem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ſubtrahendo quarumdam Provinciarum Epiſcopos, & Metropolitas Alexandrino, & Antiocheno Præſulibus: ac tunc primùm ſubiici deſijſſe Cæſaræenſi Hieroſolymitanum, & Conſtantinopolitanum Heraclæenſi.

Quàm verò ſubjecta Romanæ Sedes illa fuerit, etiam

poſt hoc incrementum honoris, innumeris documentis pronum eſſet oſtendere. Ferè omnia ſilentio involvimus, pauciſſima ſeligentes in ſpecimen ceterorum. 833 Solennis illis etiam Præſulibus Conſuetudo fuit mittendi Romam Legatos cum Profeſſione Fidei: quod ipſe præſtitit Iuvenalis, utcumque prætumidi ingenii. 834 Inſignis autem fuit, qua Sophronius Patriarcha Honorium Pontificem admonuit anno 633. de recenti Hæreſi Monothelitarum, a Cyro Patriarcha Alexandrino excogitata.

835 Ut ſynceræ Fidei Aſſertores Epiſcopos in Sacro Iacobi Solio Succeſſores Petri firmabant: ita ab illo devolvebant lapſos in Hæreſim, intruſos, aut invaſores.

836 Ad Romanos appellabant Palæſtini Epiſcopi: ad ipſos iidem Hieroſolymitani: ad eoſdem habitæ Hieroſolymis Synodi. Ita vexati a Severianis ad S. Hormiſdam, quem *Patrem, verumque ſuum Paſtorem* appellabant. 837 Ita Aſclepius Gazæ, multique ex Cæleſyria, Phœnicia, & Palæſtina Epiſcopi, ab Euſebianis ejecti, præſidium S. Iulii Pontificis quæſivere, a quo ſuis fuerunt Eccleſiis reſtituti. 838 Ita Georgius Monachus, Hieroſolymitani Patriarchæ Legatus, Cócilio Sexto ſubſcripſit, & Literis S. Pontificis Agathonis. 839 Ita Theodorus Sanctæ Urbis Præſul, datis anno 789. ad Romanũ Pontificem Literis, Anathema dixit Iconoclaſtis, & Satanico illorum Conſtantinopolitano Conventui. 840 Ita celebrata Hieroſolymis anno 536. celeberrima Synodus S. Agapeto ſupplicat obſequentiſſimè contra Antimum, inſcribens Literas: *Domino noſtro per omnia Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Patri Patrum Archiepiſcopo Romanorum, & Pa-*

& Patriarchę Agapeto. 841 Et alias, quæ lectæ ſunt in Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna: *Domino Noſtro Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Archiepiſcopo Antiquę Romę, & OEcumenico Patriarchę.* 842 Diſertiſſimè autem affirmat, Infallibilē eſſe prodeuntem a Petri Cathedra Explicationem Fidei, atque inter cetera hæc addit: *Deus ſicut Petrum, Magnum Apoſtolorum Principem, his, qui Romę erant in depoſitione Simonis Magi miſit: ſic & vos miſit in depoſitione, & expulſione Severi.* Deinde, poſtulans animadverti in alios Pontificia Auctoritate, inquit: *Poteſtatem vobis a Deo datam in ipſos moventes purgate Dei Eccleſiam, & a Lupis liberate.*

843 Per ſuos demum Vicarios præſentes aliquando intererant Romani Pontifices Eccleſię Hieroſolymitanæ. Cum Cypri Epiſcopi dediſſent Literas ad Theodorum, quem *Patrem Patrum* nuncupabant, profeſſi odium ſuum in Hæreſim Monothelitarum, quæ tunc Orientem latè depopulabatur: idemque præſtitiſſent Catholici Hieroſolymitani per Dorenſem Antiſtitem, conqueſti de intruſo Patriarcha, deque Templo ſibi ab Hæreticis erepto: ab hoc ipſo Dorenſi Antiſtite ſuas vices obiri, decrevit Pontifex, & ab eodem è gradu deiici Patriarcham, alioſque ab illo Sacris perperam Ordinibus inauguratos.

844 Nec abſimili Religionis ardore S. Martinus Pontifex, & Martyr, ſuas partes demandavit Ioanni Philadelphiæ Antiſtiti ad Hæreticos in Patriarchatu Hieroſolymitano deponendos, & accuranda cetera, quæ, inundantibus tunc Regionibus illis furore Saracenorum Supremi ope Paſtoris indigerent.

Digitized by Google

ANACEPHALEOSIS,

Qua, dubio procul, ſtatuitur, Catholicæ Nomen Uni Romanæ Eccleſiæ convenire: & maxima ejuſdem Auctoritas demonſtratur, quę validiſſimum eſt, & quaſi Senſibus expoſitum, Signum Veritatis. Regulę plurimę ſtatuuntur ad omnes, huc uſque exortas, & exorituras Hęreſes labefactandas.

SPondere plura videmur, cum tamen unum, idemque ſit, quod oſtendere aggredimur. Eadem certè multiplex Cauſa, ob quam Romana tantùm Eccleſia cenſeri poteſt Catholica, maximam illi Auctoritatem conciliat: & Cauſis iiſdem inſunt Regulæ ad Veram Eccleſiam a Sathanæ Synagogis, adeoque ab omnibus, quæ vel eruperunt, vel erumpere a Tartaro poſſunt, Hæreſibus ſecernendam.

Idem eſt, eſſe Chriſtianum, & non Catholicum, ac eſſe Hæreticum, vel Schiſmaticum.

Catholica, ideoque Vera, illa ſolùm Eccleſia eſt habenda, quæ hoc Nomine compellatur non ſolùm a Sapientibus, & a Vulgo, ſed etiam ab ipſa Adverſariorum nequitia. Hoc autem nulli unquam contigit, niſi Romanæ, quam Hoſtes ipſi Catholicam frequenter dicunt, vel Inconſultò, vel causâ Urbanitatis, aut Neceſſitatis, ut ſcilicet ab Auditoribus eorum ſententia percipiatur.

Liquet, nequaquam nos poſse depelli a poſſeſſione Catholici Nominis, cum vel ipſi Hæretici, qui auſu inſano illud uſurpant, nobis tamen illud interim non invideant:

deant: ſeque Catholicos Hollandos, verbi gratiâ, nos Catholicos Romanos dicant.

Pugnæ ipſorum Hoſtium inter ſe, & adſcitum ab ipſis Cognomentum a Sectarum Auctoribus, nulla ex his concedente alteri Catholicam Appellationem, nobis illam multipliciter adjudicat.

Rem ipſam expendendo poſt Nomen, conſtat, eſſe Catholicam, ſcilicet Univerſalem, Romanam Eccleſiam quoad Fidei ſuæ Objectum, cum conſtantiſſimè amplectatur omnes definitas Veritates, nullam reiiciendo, a Conciliis, aut Summo Pontifice declaratam: & certa vigeat apud nos credendi lex: Mira Fidei tuendæ ſolicitudo.

Catholici, & Prudentiſſimi exiſtimandi ſunt illi, qui ſe potius Eccleſiæ, quàm ſibi ipſis Eccleſiam ſubiiciunt: Hæretici verò, & inſani, qui quaſdam Eccleſiæ Definitiones habent in pretio, & alias contemnunt.

Erroris arguuntur Sectæ omnes ex eo, quod cum ipſarum Magiſtri ſubiici detrectent Eccleſiæ Magiſterio, neceſſariò inter ſe pugnant in proponendis populo Arcanis Divinitatis.

Perinde uſurpare nequeunt Catholicæ Nomen Superſtitiones illæ, quarum Singuli Sectatores profitentur, ſe eſſe Interpretes Sacrarum Literarum: & ex ſuo ſenſu eligunt, aut reiiciunt credendos Articulos.

Peculiaris hæc Singulorum Eccleſia dicenda eſt, non Univerſalis illa, quam Chriſtus inſtituit.

Origo Hæreſum omnium fuit inſana temeritas non recipientium omnes Sacros Libros ab Eccleſia propoſitos,

ſitos, ſed quoſdam ex iis, aut aliqua ſaltem illorum Capita, reiicientium.

Pullulant etiam pleræqne Hæreſes ex abſurda Interpretatione, ad quam detorquentur Oracula Divina ab auſis illa explicare non inhærendo Sententiæ Communi Conciliorum, & Patrum: ut illi inſiſtit Eccleſia Romana.

Manifeſtæ Dementiæ coarguuntur, qui, Schiſmatum, aut Hæreſum Anteſignanos ſectari ſe profitentur: contemptis Pontificibus, Conciliis, Sanctis Patribus, & Universâ Eccleſiâ: perinde ac ſi major uni Photio, Epheſio, Luthero, aut Calvino, ineſſet Auctoritas.

Fieri nequit, ut, qui Univerſam Eccleſiam poſthabent hujuſmodi Magiſtris, ipſis etiam ſuis Ducibus identidem non rebellent, ideoque ſe ipſos conſtituant Iudices credendarum rerum: & ad ſe tantùm, vel paucos aſſeclas ſuos, coarctent Eccleſiam Peculiarem, oppoſitam Univerſali.

Illuſtratio Suaſiva Spiritus Sancti Communiter adeſt Catholicis Omnibus pro aſſenſu præſtando Divinæ Revelationi, Univerſis Exterius propoſitæ ab Eccleſia. Hæreticorum autem eſt, jactare ſomniatum quoddam Lumen Peculiare Singulorum, & non Commune Omnium, pro diſcernendis Veris Scripturis, & Vera illarum Interpretatione; licet hæc Exterius ab Eccleſia non proponatur: imo etiam contra illam, quæ Generatim proponitur Omnibus ab eadem Eccleſia.

Repugnantia Peculiaris hujus Interni Luminis patet ex eo, quod Prodigioſum id eſſet magis, quàm Conſpiratio

tio Septuaginta Interpretum in eadem Græca Verſione Sacrorum Voluminum.

Mutuis ictibus interimuntur jactantes Peculiare hoc Lumen Internum, cum Una tantùm ſit Veritas, & Diverſiſſimæ de illa Opiniones arrogantium ſibi hoc Lumen, Eodem Iure, ſcilicet Nullo.

Stolidiſſimæ Dementiæ eſt, recedere ab Univerſali Eccleſia, eò quòd ipſi, ejuſque Moderatori Romano Pontifici denegetur Internum hoc Lumen, quod Singuli Sectarii vindicant ſibi.

Poſt Univerſalitatem quoad Objectum creditum, Catholica, & Vera cenſenda eſt Eccleſia illa, quæ ſortitur Univerſalitatem Diffuſionis quoad Loca.

De Sectis omnibus Eccleſiæ Romanæ contrariis hucuſque exortis, aut exorituris, decerni poteſt, nunquam diffundendas eſſe per Univerſum Terræ ambitum, quia nunquam per tot Secula diffuſæ ſunt.

Oſtendimus, Romanam Eccleſiam per omnes nunc Terras propagatam eſſe; ideoque hanc etiam illi convenire Univerſalitatis Notam.

Illuſtratur hæc Teſſera Veritatis ex Multiplicitate Gentium, Romanæ fidem Eccleſiæ profitentium: quod Hæreſi, aut Schiſmati contigit nunquam; imo ne Mahometicæ quidem, aut Ethnicæ Impietati.

Varietas Nationum, etiam Mollium, & Barbararum, captivantium intellectum in obſequium Fidei ſummopere arduæ, manifeſtum eſt Indicium Divinæ Virtutis.

Eruitur etiam Signum Veritatis, & Gloriæ, qua Romana ſolùm Eccleſia inclareſcit, ex Nobilitate, Sapien-

pien-

Digitized by Google

pientia, & Felicitate Populorum, & Principum, illam colentium.

Romanam tantùm Eccleſiam eſſe Univerſalem, & Veram, fulget etiam ex manifeſto Patrocinio Divinitatis, eam propagantis in Orientis Indiis, Novoque ad Occidentem, ac Septentriones Orbe, dum in Pœnam Scelerum Provinciæ aliquot Europæ ab illa abalienatæ fuerunt.

Quamvis Secta aliqua, præter Romanam Eccleſiam, per Univerſum Terræ ambitum nunc propagaretur, aut propaganda eſſet in poſterum; tamen certo certius eſſet, nullam ex iis eſſe Catholicam, quia tam Schiſma, quàm Hæreſes nunc vigentes, aut aliquando excitandæ, fuerunt per tot Secula Nullæ, & Nuſquam. Ex hoc evincitur manifeſtiſſimè, Veram illas Eccleſiam non eſſe, quam, a ſe nunquam deſtituendam, promiſit Chriſtus.

Cujuſcumque Novæ Sectæ Falſitas promicat ex ipſa Novitate; noxius enim fuiſſet mortalibus Adventus in terras Reparatoris Noſtri, ſi Verâ, quæ ante aderat Hebræis, Divinitatis notitiâ per tot Secula caruiſſent.

Univerſalitas Diffuſionis ſita non eſt in eo, quod in aliquibus Provinciis, aut Regnis plurimi aliquam Sectam profiteantur; ſed in eo, quod omnes Populi ad Veram Eccleſiam invitentur a Præconibus Fidei: & ex omnibus Populis aliqui Veram Eccleſiam ingrediantur. Hoc autem nulli contigit, præter quàm Romanæ.

Deſperanda eſt Schiſmaticis, & Hæreticis Univerſalitas Diffuſionis per omnes Terras Unius, Ejuſdemque ſuæ Superſtitionis, cum pugnent inter ſe Magiſtri Schiſmatum

rum, & Hæreſum, & neceſſariò pugnaturi ſint, eò quod careant Certa credendi Lege.

Præterea ſpargi nequeunt, quæ non habent Univerſalem Paſtorem, a quo mittantur Nuncii Veritatis.

Univerſalis, & Vera cenſenda eſt Eccleſia illa, in qua ſperari poſſe Immortalem Felicitatem, ipſi Hoſtes fatentur: & quam, ſaltem poſt ſuam, omnibus præferunt. Hoc autem de Romana ſolùm omne genus Hoſtium atteſtatur.

Cum unicum ſtudium conſequendæ Salutis quotidie alliciat cordatos, & ſapientes, ex quavis Secta viros ad Romanam Eccleſiam, patet, hanc ab illis haberi Catholicam, adeoque Veram.

Sectarum Falſitas ex eo etiam liquet, quod nullus, ejurata Romana Fide, ad eas proruat, quem oblitum Cæli non alliciat Superba indoles, aut Opum, Libertatis, Licentiæ cupiditas.

Illa ſolùm Eccleſia eſt Univerſalis, quæ celebrare poteſt Univerſalia Concilia: quod ſemper præſtitit, ac præſtare poteſt Romana. Schiſmata verò, & Hæreſes, non ſine inſania eandem ſibi facultatem vindicabunt.

Oſtendimus, optimo Iure Romanum Pontificem appellari Epiſcopum Eccleſiæ Univerſalis: ex quo manifeſta conſequutione oritur, nullam eſſe Catholicam, præter adminiſtratam ab illo Eccleſiam.

Nulli unquam Schiſmati, aut Hæreſi, aderunt Signa, ipſi vindicantia Eccleſiæ Catholicæ prærogativam, quæ adſunt Romanæ: videlicet inconcuſſa Traditio: Hiſtoriæ omnes, etiam ſcriptæ ab hoſtibus: Legum Tabulæ: Electio, & Inauguratio Cæſarum, atque Regum:

Equitum Ordines: Res omnes: omne genus Teſtium: Cælum, Terræ, Inferi: Schiſmata ipſa.

Præter Univerſalitatem quoad Objectum, & Loca, cenſenda etiam eſt Catholica Eccleſia illa, quæ per Tempora omnia diffuſa fuit. Ex eo autem, quod Romana ſolùm per omnia nunc Loca ſpargatur, efficitur, eandem ſolùm ſparſam fuiſſe per omnia Tempora, cum Eccleſia nequeat immutari.

Si Auctores innumeri ſuis nunc in Operibus ſuperſtites, ac præſertim Latini, Græcique Patres, & Acta Conciliorum, præcipuè Generalium, explorentur, compertiſſimum erit, Catholicam ſemper fuiſſe Romanam ſolùm Eccleſiam.

Ex iiſdem Fontibus patet Ius a Romano Pontifice perpetuò exercitum in Occidente.

Non minor evidentia eſt exercitæ ſemper Pontificiæ Iuriſdictionis in Univerſo Oriente.

Catholica illa ſemper fuit Eccleſia, cujus Epiſcopo ceteri, etiam Patriarchæ, obtemperarunt. Qui autem dubitat de Obedientia, per Decem ſaltem Secula, innumeris Experimentis præſtita Romano ab omnibus Patriarchis Orientis, ne primoribus quidem, ut dicitur, labiis delibavit Hiſtoricos, præſertim Græcos, ipſoque Schiſmate, aut Hæreſi infectos.

Iamque, multis diſſimulatis, aut in unam, eandemque congeſtis, Regulas indicavimus plurimas, quibus prudentes viri, Sempiternæ ſtudio Salutis incenſi, diſcernere nullo negotio valeant a Superſtitione Schiſmatum, & Hæreſum, Veram Religionem, florentem in ſola Catholica Chriſti Eccleſia, ideſt Romana. His

verò

Digitized by Google

verò ſi adiiciantur, quas Primo Libro ſtatuimus, Leges comperiendæ Veritatis ex Præſcriptione, aliiſque multiplicibus Signis, quibus, *Unam* Chriſti Sponſam eſſe Romanam eandem Eccleſiam, apertiſſimè demonſtravimus: quaſque Secundo ex illius, tot Argumentis aſſerta, *Sanctitate*: profectò eo Sole Auctoritatis eadem illuſtrabitur, vt Cæcos omnino eſſe neceſſe ſit, quorum in oculos meridianus idem, nulliſque nubibus obſitus Sol, nequaquam incurrat.

Digitized by Google

LIBER QUARTUS

De Signis, ex quibus patet, Eccleſiam ſolùm Romanam eſſe Veram, quia Apoſtolicam: inter quæ Propagatio, & Modus, quo propagata eſt Apoſtolica Romana Fides, non ſolùm Schiſmata, & Hæreſes, ſed omnes etiam omnino Sectas labefactat.

SIGNUM PRIMUM.

Ipſum Apoſtolicæ Cognomentum.

I. *Apoſtolicæ Cognomentum Romanę perpetuò Eccleſię a Concilijs, & Patribus fuit attributum.*

NON eadem requiritur ab Operum Scriptore, quæ ab Arcium Conditore Partitio: ut videlicet, quòd ſicuti, ſi ex Quatuor Arcis Propugnaculis quædam in magnam amplitudinem protenduntur, exiguis reliqua finibus circumſcribi, nequaquam expediat: ita, ſi plurima in Signa diſtribuatur productus in longum unius Operis Liber, contrahi alterum, & paucis definiri, non deceat. Præter innumera illuſtrium Auctorum exempla, plurima uni, duo verò, vel tria, Libro alteri Capita tribuentium, diverſus finis præfixus Voluminum, & Ar-

cium

cium molitoribus, libertate donat Scriptores. Quid, quod, licet ipſa in æquato ſolo ſtatuta Munimenta conſueverint æqualem frontem hoſtibus objectarè; tamen, ſi pars Arcis una immineat prærupto Monti, ad quem difficillimus ſit futurus acceſſus aggreſſoribus, Propugnaculum ceteris anguſtius in ea ſtatui opportunè poteſt.

Brevitatem ergo, quam ferebat Scriptionis argumentum, huc etiam uſque conſectati, eam ſtudioſius inquirimus, Apoſtolicæ Teſſeram, quæ apertiſſimè Romanæ tantùm Eccleſiæ congruit, expendentes. In eandem verò Brevitatem peccaſſe hac ipſa, quæ prætermitti fortaſſe poterat, Proluſione, nos piget; cum huc uſque nulla nobis, favente Numine, religio fuerit, ullius periodi exaratæ, quam, conducere propugnandæ Divinæ cauſæ, perſuaſum nobis non fuerit. Cum certè nullam nobis laudem vindicemus, conati ſaltem ſumus, inſtituti Operis curſum ſemper urgere, ad prata nunquam, aut fontes flectendo iter: ſupervacaneis, videlicet, Similitudinibus, Deſcriptionibus, aut ulli demum ornamento artis nunquam indulgendo, quod non arbitraremur eſſe operoſum, & pugnax.

845. Apoſtolica igitur dicta perpetuò fuit Eccleſia Romana a Conciliis, & Patribus, quorum verba recenſere, infiniti Operis eſſet. Unius tantùm, ejuſque Generalium omnium numeroſiſſimæ Synodi, videlicet Chalcedonenſis, quæ ſupra Sexcentos Patres nobis exhibet, auctoritate nitamur. Hæc de Dioſcoro ſermonem inſtituens in Literis ad Leonem Magnum, quæ habentur poſt Actionem Tertiam: *Et poſt hæc*, inquit, *omnia*, *inſuper & con-*

& contra ipſum, cui Vineę cuſtodia a Domino commiſſa eſt, extendit inſaniam, ideſt contra Tuam quoque Apoſtolicam Sanctitatem.

II. *In quo ſenſu Apoſtolica præcipuo nomine dicatur Romana Eccleſia.*

VNiverſa quidem Chriſti Eccleſia, conjuncta Romanæ, appellatur Apoſtolica, quia ab Apoſtolis initium habuit: quia propagata fuit ab iiſdem per Orbem terræ: quia ſequitur traditam ſibi ab Apoſtolis doctrinam Fidei, aliamque ſequi prohibetur a Paulo ad Gal. 1. 18. *Licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, præterquamquod evangelizavimus vobis, Anathema ſit*: ac demum quia ſunt in Eccleſia Succeſſores Apoſtolorum Epiſcopi.

Singulari præterea nomine nuncupatæ ſunt Apoſtolicæ Eccleſiæ quædam, in quibus Apoſtolos conſediſſe, compertum eſt: ut Antiochena Petri, Epheſina Ioannis, Hieroſolymitana Iacobi.

846 Sed, ceterarum omnium Mater, & Caput, Romana illud obtinuit, ut quando de Apoſtolica ſermo eſt, niſi certum alterius nomen addatur, ipſa ſemper Antonomaſticè intelligatur. *Miſſi ſunt*, inquit Auguſtinus Epiſ. 106. *de hac re ex duobus Concilijs Carthaginienſi, et Milevitano, Legati ad Apoſtolicam Sedem*. Romam certè ad Innocentium, non Antiochiam, aut Epheſum, miſſi fuerant, ut conſtat ex Epiſt. ejuſdem 90. & 92. Et ſimiles loquendi formæ paſſim in Conciliis occurrunt, & Patribus.

847 Præterea ſolùm in Romana dicitur eſſe Cathedræ

dræ

Digitized by Google

dræ Apoſtolicæ Principatus: ut diſertè affirmat Auguſtinus idem Epiſt. 162. *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus.*

848 Quia demum ad Romanum ſolummodo Pontificem ſpectat Orbis Univerſi Cuſtodia, quæ *Ordinario Paſtoris munere* demandata fuerat Petro, & *Extraordinario Divini Nuncij* ceteris etiam cum illo Apoſtolis credita fuerat: idcirco Romani ſolùm Epiſcopi Præfectura dicitur *Apoſtolatus*. Ita, probante Concilio Chalcedonenſi, loquuti ſunt Act. 1. Leonis Vicarii: *Pręcipere dignatus eſt ejus Apoſtolatus, ut Dioſcorus non ſedeat in Concilio*. Quem loquendi modum uſurpavit etiam Honorius Imperator in Epiſtola ad Bonifacium, Epiſcopi Galliæ ad Leonem, Bernardus Epiſt. 190. ad Innocentium.

849 Hæc ergo præ ceteris, imo verius hæc Una (neque enim Eccleſiæ Chriſti ſunt, ſed Sathanæ Synagogæ, quæ non adhærent Romanæ, ut Matri Filiæ, ut Capiti reliquæ corporis Partes) eſt Vera Sponſa Divini Regis, qui eam alloquutus Oſeæ 2. 19. *Sponſabo*, inquit, *te mihi in Sempiternum.* Sponſa illa Fœcundiſſima ſimul, ſemperque Virgo, & ex Latere Sponſi progenita, qui lactari eandem juſſit, perque univerſum terrarum orbem ab Apoſtolis propagari, ac Romæ præſertim ab illorum Principe ſtabiliri.

850 *Columna* hæc eſt, & *Firmamentum Veritatis*, quia nequit a Veritate deflectere, ſuaque firmitate, ne a vero labantur, Filios fulcit. *Sancta hæc Civitas eſt, Fructifera Vinea, Mons Excelſus, directa Via, Columba Unica, Regnum Cęli: cui promiſſus Divinus Spiritus per-*

pe-

Digitized by Google

petuò adeſt: cui prævalere nequeunt Tartari Portæ: cui quicumque repugnet, habendus ſit Ethnicus, aut Publicanus, quamvis Chriſti nomine glorietur: ut centies inculcant Oracula Divina Apoc. 2. Pſalm. 7. Iſai. 2. & 35. Cant. 6. Matth. 13. Epheſ. 5. Cor. 1. 12. Tim. 1. 3. Io: 14. Matth. 16. & 18.

III. *Quo pacto Signum veritatis ab Apoſtolicę Appellatione petitum, Senſibus quodammodo ſubjici poſſit; ubi ſtatuitur iterum, Eccleſiam eſſe Adſpectabilem.*

At enim has, inquies, Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ dotes, Fide Divina credimus, non oculis uſurpamus; ideoque fruſtra jactantur, dum Manifeſta Veræ Eccleſiæ Signa indagamus.

Parcius iſta; neque enim ex animo excidiſſe oportuit id, quod non ſemel ratiocinando confecimus, videlicet, unum, eundemque ſimul eſſe poſſe Articulum Fidei, ſi aſſenſus illi præſtetur ob Auctoritatem revelantis Dei: ſimulque *Præambulum* ad ipſam Fidem, & Notam Veritatis quodammodo Senſibus objectam, ſi oſtendatur Argumentis, quibus humanæ rationis Lumen neceſſariò acquieſcat. Hujuſmodi autem eſſe hanc ipſam Apoſtolicæ Teſſeram, Romanæ Eccleſiæ mirificè, & apertiſſimè congruentem, evincam, poſtquam, rem altius repetens iterum occurrerim Recentioribus Hæreticis Calvino, ac Luthero, Adſpectabilem eſſe Chriſti Eccleſiam inficiantibus.

Hæ belluæ, Superiori Seculo Cæleſtem Vineam depopulari adortæ, cum toties de Eccleſia loquentes Sacras

cras Literas intuerentur, auſę non ſunt negare ipſam exiſtere. Sed quia ipſi obedire detrectabāt, & præterea urgeri nolebant ab interrogantibus, cur Sacros ab Eccleſia receptos Libros omnes nō reciperent? Cur ejus Ritus, & Sacra refingerent? Cui nam in Eccleſiæ, quam Tyrannicè invadebant, Adminiſtratione ſuccederent? Ut hos, inquā, nodos omnes abrūperent, Nomen Eccleſiæ retinuerūt, Rem verò ipſam funditus ſuſtulerunt, affirmantes: Eccleſiam ſpectari nullatenus poſſe, cum conſtet è Solis, uni Deo cognitis, Prædeſtinatis. Illis demum Proprietatibus, quaſi coloribus, Eccleſiam delinearunt, quæ penitus ipſam occulant, & dimotam a Senſibus, tamquam Ideam Platonis, ſubiiciant ſolummodo ſecretis obtutibus hominum perpaucorum, qui afflati Divinitus ſint.

851 Itane verò? At petitæ a Divinis Eloquiis Similitudines, illa præſertim *Montis* in omnium oculos incurrentis, eam eſſe docent Eccleſiam, quæ ſpectari ab omnibus poſſit. 852 At videtur ab omnibus credentium Cœtus. 853 At datæ ſunt ad omnes, neque enim ad ſolos Electos, ab ipſo Chriſto in Apoc. 1. 2. 3. a Petro, Paulo, Ioanne, aliiſque Apoſtolis Epiſtolæ. 854 At frequenter in Actis Apoſtolorum inchoatæ, ac propagatæ Eccleſiæ commemorantur cap. 8. 10. 11. & ſeq. 855 At manifeſta omnibus erat introductio plurimorum in Eccleſiam, & ab eadem expulſio ſceleſtorum. Manifeſta demum eſt Succeſſio Præſulum in Eccleſiæ Regimine.

Horum præcipuè Antiſtitum Virgam deteſtati effrontiſſimi Nebulones Somnium hoc Eccleſiæ, quæ videri nequeat, ſopito Infernis tenebris animo conceperunt. Leve proinde illis negotium eſt, quodvis Eccleſiæ jugum

excutere; dummodo enim apud ſe ſtatuant, incidiſſe in crimen Animorum Paſtorem, ideoque ab Eccleſia, ut adunt protinus exicidiſſe, ſolutos ſeſe eſſe ab illius Legibus ſanctiſſimè pejerant.

856 Aureis demum vinculis illos irretimus, quæ iiſdem ſibi reſpondentibus iniicit Sapientiſſimus, idemque fortiſſimus Fidei Teſtis Edmundus Campianus, ex quo etiam quædam paulò ante ſcripta mutuati ſumus: *Dic mihi: ſubſcribis Eccleſiæ, quæ Seculis anteactis viguit? Omnino. Obeamus ergo terras, ac tempora. Cui? Cœtui fidelium. Quorum? Nomina neſciuntur, ſed conſtat plurimos extitiſſe:* (Unum ſaltem videlicet, aut alterum, ut Calvinus obgannit, qui quovis tempore per Annos Mille Romano Pontificatui obſtiterit) *Conſtat? Quibus conſtat? Deo. Quis dicit? Nos, qui Divinitus edocti ſumus. Fabulæ. Quì credam?*

857 Tum Divinarum eos, quibus unicè niti ſe dicunt, urgens teſtimonio Literarum, ſumma illorum veſaniæ admiratione corripitur: *Iuberi, Chriſtianos omnes jungere ſe Eccleſiæ: cavere, ne ſpirituali gladio trucidentur: in Domo Dei pacem colere: huic animos credere Columini veritatis: hìc querelas omnes deponere: hinc ejectos habere pro Ethnicis: Neſcire tamen ex tot Centenis tot homines, ubinam illa ſit, quive huc pertineant? Unum illud crepare in tenebris: Ubi, ubi ſit Eccleſia, tantummodo Sanctos, & in æthera deſtinatos eâ contineri?*

Oſtendimus, opinor, dementiam negantium, propagatam ab Apoſtolis Eccleſiam ſpectari poſſe: Adhuc tamen, licet Sodalitium hoc, Chriſto, ejuſque Vicario, fidem adhibentium, oculis intueamur (*in quo Zizania cum Tri-*

Tritico, boni cum malis Piſcibus permixti ſunt) Fide Divina credimus ob Auctoritatem revelantis Dei, Sodalitium idem non decipi in cultu præſtito Divinitati. Quo ergo pacto Signum Veritatis ab Apoſtolica Appellatione tributum Eccleſiæ Romanæ Senſibus quodammodo, ut *Fidei Divinæ Præambulum*, ſubiicitur?

Ab Apoſtolica potius Paupertate, ac Sanctimonia defeciſſe Romanos Pontifices, compertum ſibi eſſe, hoſtes audaciſſimi blaſphemabunt; ideoque prudenter nobis ſubticendam fuiſſe hanc Teſſeram Veræ Eccleſiæ, utcumque alias in aciem direxerimus. Calumniæ huic occurrentes Signo Sexto latrantium Adverſariorum fauces elidemus.

Interim affirmamus, adeo manifeſta hæc etiam fore, quæ ab Apoſtolicæ Nomine Signa Veritatis Eccleſiæ Romanæ tribuemus, ut Oculis illa a ſe uſurpari credituri ſint, quicumque in Sacris, etiam ſcriptis ab Hæreticis, Hiſtoriis, in Vetuſtis Patribus, in Conciliis, non penitus peregrinantur: qui Doctrinam, quam ſequitur Eccleſia Romana, comparant cum Apoſtolica: qui Romanæ Curiæ Mores, aut Sanctos, aut improbatos ab iis ipſis, qui a Sanctitate deficiunt: qui Modum, quo nunc etiam propagatur Romana Fides, ipſis etiam oculis intuentur.

SIGNUM II.

Re ipſa demonſtratur Apoſtolica Petri Cathedra.

Re ipſa eſt Apoſtolica Romana Eccleſia, quia ab Apoſtolorum Principibus fundata: quo nomine gloriari nequit Conſtantinopolitana. Aliarum Apoſtolicarum lapſus ab avita gloria, quæ olim etiam Romanæ deceſſit. Apoſtolicæ Petri Cathedræ conſecrati ſolennes dies.

SUpervacaneum videri poteſt, Rem ipſam expendere, ſcilicet Cauſas, ob quas Romana Eccleſia dicitur Apoſtolica, cum conſtet, hoc ipſam perpetuò Nomine fuiſſe a Conciliis, & Patribus, & quidem Antonomaſticè, deſignatam. Maxima vis ineſt Nominibus, a communi Generis humani, & præcipuè Sapientium, conſenſu receptis.

859. Rem præterea ipſam, ſcilicet adventum Petri ad urbem Romam Chriſti Religione imbuendam; diſſeminatam ab illo, ac deinde a Paulo, Romanorum in animis Divinam Fidem, quam Paulus idem, *annunciari* dixit, *in Univerſo Mundo*, cum inſigni Quiritum laude; ſuſceptum a Petro, nec unquam dimiſſum Romanum Epiſcopatum: triumphalem denique pro Chriſto mortem ab utroque obitam Romæ: manifeſtè ſtatuimus Superioris Libri Signo Trigeſimotertio.

860 Quid hìc ergo ad oſtendendum, jure optimo dici Apoſtolicam, quia fundatam a Petro, Romanam Eccleſiam, referam verba Leonis Magni Serm. 1. de Natali Apoſtolorum? *Cum Apoſtoli imbuendum Evangelio mun-*

mundum diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent, Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici Ordinis ad Arcem Romani deſtinatur Imperii. 861 Hieronymum afferam, Marcellæ Romanæ ſcribentem? *Eſt quidem ibi Sancta Eccleſia: ſunt Trophæa Apoſtolorum, & Martyrum: eſt Chriſti vera Confeſſio: eſt ab Apoſtolo prædicata Fides, & Gentilitate calcata in ſublime quotidie ſe erigens nomen Chriſtianum.* 862 Arnobium recolam, lib. 2. contra Gentes aſſirmantem? *Romam ideo converſam ad Chriſtum, quia viderat igneas Simonis Magi quadrigas Petri ore difflatas, Chriſti nomine invocato, continuò evanuiſſe.* 863 Theodoſium conſulam, C. de Summ. Trinit. & Fide Catholica, l. cunctos populos, præcipientem? *Cunctos populos, quos Clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus Religione verſari, quam, B. Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, Religio uſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat.*

864 Fruſtra, inquam, Pontificiis, Conſularibus, ac Cæſareis Atteſtationibus utimur, aliiſque, quas Maximi Quatuor Eccleſiæ Græcæ Doctores, quas reliqui Sanctiſſimi Patres, quas Patrum Concilia, quas ipſi nobis Hæretici abunde ſuppeditant, cum, ut inquit Euſebius Cæſaræenſis Arianorum Vexillifer lib. 2. hiſtor. cap. 25. ipſa Apoſtolorum Sepulchra mortem ipſis illatam in odium Eccleſiæ, quam Romæ fundaverant, noſtris nunc etiam oculis ſubiiciant: *Igitur Nero &c. Paulum quidem Capite in ipſa Urbe, Petrum verò Crucis patibulo condemnat. Horum teſtimonium quærere extrinſecus, ſuperfluum puto, cum rem geſtam inſignia uſque in hodiernum diem, & ſplendidiſſima eorum monumenta teſtentur.* An.

An huc delata eorum Corpora Sacroſancta, cum alibi paſſi fuiſſent, quiſpiam poſt Septemdecim ferè Secula, mortalium omnium primus, idemque erudìtiſſimus, affirmabit? Nulla certè hujuſce rei ſuſpicio cuiquam incidit. Quod ſi Udalricus Velenus inſultat confluentibus Romam ad Sacros Apoſtolorum cineres, tum quia eorum cultum homo Lutheranus condemnat: tum quia negat, Romæ ſepultos Apoſtolos eſſe: 855 Pluris uno Veleno apud ſapientes erit Conſenſus Generis humani. Tot mortalium Millia Romam quotidie ad Tumulum Apoſtolorum Nono etiam Seculo properabant, *ut ſola ipſa Romana Civitas* (prout ſcribit Michaeli Imperatori Nicolaus Primus) *ſatis oſtenderet, Eccleſiam Chriſti eſſe Catholicam, ſive* Univerſalem: quia videlicet exortis ſub quavis Cęli parte hominibus inundabat.

Qui ergo, Apoſtolicam eſſe, quia fundatam ab Apoſtolis, Romanam Eccleſiam, inficiari velit, audeat idem pugnare cum Fide Seculorum omnium, atque Orbe Chriſtiano Univerſo.

866 At ullum ex Apoſtolis fuiſſe Bizantii Epiſcopum, ne ipſi quidem qualicumque notitia vetuſtatis aſperſi Schiſmatici comminiſcuntur: neque hoc decus invadere poſſunt, utcumque Andreæ Acta conſulant, a Manichæis corrupta. Vel ergo Petrus illi tradiderit Antiſtitem, ut quorumdam opinio eſt: vel Serius ea nobilis Urbs nacta ſit Animorum Paſtorem; compertiſſimum certè eſt, ab Apoſtolis in ea conſidentibus Apoſtolicam dici non poſſe Conſtantinopolitanam Eccleſiam; ſed ſolùm quatenus, & quamdiu, Romanæ, ut Filia Matri, & Pars aliqua Corporis Capiti, adhæſerit.

867 Mi-

Digitized by Google

867 Miſeret me Alexandrinæ, Antiochenæ, Epheſinæ, Hieroſolymitanæ, quas Petrus, Ioannes, & Frater Domini Iacobus conſecrarunt. Quod in illis ſupereſt veſtigium antiquæ laudis! Illas moderantur Schiſmatici Præſules, Oſores Romæ, ac Divino Filio gloriam produĉti etiam a ſe Sanĉti Spiritus invidentes. Hos autem a Capite divulſos Hieronymus appellat *Antichriſtos*: *Præſtigiatores* Athanaſius; *licet cum Petro ſiccis pedibus calcarent maria, & igneo cum Elia curru in Cęlum eniterentur*. Illuſtrium earum Urbium incolæ, vel nefaria Mahometis impietate delyrant, vel omnino ex ipſis pauci erroribus non dedecorant Chriſtianum nomen. Apoſtolicæ ergo fulgorem Appellationis Eccleſiæ illæ penitus amiſerunt: neque ullatenus hæc ipſis Teſſera aptari poteſt, cum ab Una, Sanĉta, & Catholica, infeliciſſimè divellantur.

868 Sed neque olim certamen gloriæ ſuſcipere poterant cum Romana; Alexandrina enim, & Antiochena, Patriarchales a Petro inſtitutæ, per alios ab ipſo Petro regebantur. Patriarchalis habita nunquam fuit Epheſina Ioannis: & Hieroſolymitana Titulum hujuſmodi ſolùm adepta poſt Tria Secula, Rem ipſam poſt Quintam Synodum fuit conſequuta.

869 Unius certè Petri Cathedræ, quia hæc ſingulari nomine, ut Apoſtolorum Principis, Apoſtolica cenſebatur, a primis Eccleſiæ temporibus conſecrati fuerunt Solennes dies: ut liquet ex vetuſto Bedæ Martyrologio, & ex ea Oratione, quam habuit Auguſtinus in Cathedræ Feſto, videlicet Serm. 15. de Sanĉtis.

SI-

SIGNUM III.

Ex Natura ipſa Apoſtolicæ Romanæ Doctrinæ patet evidentiſſimè Divinum Prodigium in ejus Propagatione contra omnes illius Hoſtes.

Veritas Doctrinę, ubique ab Apoſtolis, & Romæ pręcipuè, diſſeminatæ demonſtratur ex ejuſdem Doctrinę Natura, & Arduitate.

CUm alia Signa vel intueamur, vel perinde ſit, ac ſi eadem oculis uſurparemus, id certè, de quo agere aggredimur, adeo experimur, ut idem manibus quodammodo contingamus. Qui ejus vi percelli ſe non ſentit, de ipſa ſua Vita, & Exiſtentia, poterit dubitare, ex Magni Chryſoſtomi ſententia, quem Unicum ferè, cum Paulo, & Auguſtino, Ducem conſectabimur, hujuſmodi Signum expendentes.

Cum Hebræis autem nunc, cum Theiſtis, Mahometanis, Ethnicis, Atheis, congredimur, cum hoſtibus videlicet omnibus Chriſtianæ Fidei: iiſdem deinde telis Signo Quinto impetituri Schiſmaticos, & Hæreticos. Porrò cum Veritatem Doctrinæ, a Chriſto mortalibus traditæ, comprobaverimus Libro Secundo ex ipſius Doctrinæ *Sanctimonia*, nunc ab ejuſdem *Arduitate* illam evincimus. Hæc autem Arduitas quia præcipuè promicat ex eo, quod ab Apoſtolis propagata fuerit, idcirco pertinet ad Apoſtolicæ Teſſeram.

470 Utcumque verò mirabile fuerit, Doctrinam hujuſ-

cemodi ab Apoſtolis omnibus in quavis terrarum parte mortalium animis inſeri potuiſſe: multò mirabilius eſt, illam ab Apoſtolorum Principibus inſinuatam fuiſſe cordibus Romanorum: ſcilicet in Urbe, in qua non minus, quàm Arma, & Literæ, regnabat Impietas: nullumque erat fabuloſum aliarum Gentium Numen, quod in Pantheo, & Capitolio Roma non adoraret. Eccleſiæ igitur Romanæ, omnium videlicet Matris, Fundatio ſuarum Erectionem Filiarum multò potiori ſuperat Admirabilitate.

871 Ipſi ejuſdem Fundationi nequaquam interfuimus. Sed eandem experimur in Fide, quam ſummopere arduis Myſteriis nos ipſi præſtamus. Experimur Miracula ſubjecta ſenſibus, & impleta Prophetica dicta, quibus impulſi fuerunt ad illa credenda Quirites: vel ſaltem experimur Arcanum illud, & omnibus aliis præſtantius Prodigium Divinæ virtutis, urgentis homines, abſque Portentis adſpectabilium rerum, ad admittendas in animum res, omnem humanum captum ſuperantes.

In uno igitur hoc Signo Romæ acquieſcentis Apoſtolorum Doctrinæ reliquas omnes Veræ Eccleſiæ Notas, ac præcipuè Miracula, in confirmationem Veritatis Divinitus perpetrata, manifeſtâ experientiâ contrectamus.

872 Idcirco ſupervacaneum eſt, aliis nunc Miraculis nos ad credendum impelli, ut lib. 1. contra Gentes cap. 6. docet D. Thomas Aquinas: a quo mirabili Sapientiæ fonte nihil ceteroqui haurimus, ex præſcripta nobis lege vix ullum ferè ex Latinis Auctoribus afferendi, præter Vetuſtos, quos ipſi Schiſmatici, & Hæreticorum plerique, habent in pretio. *Hæc tam mirabilis*, inquit An-

Digitized by Google

gelicus, *Mundi Converſio ad Fidem Chriſtianam indicium certiſſimum eſt præteritorum Signorum, ut, ea ulterius iterari, neceſſe non ſit, cum in ſuo Effectu appareant evidenter. Eſſet autem omnibus Signis admirabilius, ſi ad credendum tam ardua, ad ſperandum tam alta, & ad operandum tam difficilia, Mundus abſque Mirabilibus Signis inductus fuiſſet a Simplicibus, & Ignobilibus viris.*

873. Age igitur. In Theatrum prodeant tres Divinæ Virtutes, & Opus manifeſtæ Divinitatis nobis oſtendant. Prima Fides credere jubet Unum, ac Trinum Deum: Conjunctam humanæ Divinam Naturam: perpeſſum ærumnas innumeras, ipſamque in Cruce mortem Æternum Regem. Hæc quidem, præter alia plurima Naturæ captum ſupergreſſa, licet cum illa nequaquam pugnantia, credere nequivit Orbis terrarum, niſi adactus fuiſſet ab ineluctabili Divina virtute. *Prædicamus*, inquit Apoſtolus, *Chriſtum Crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*; cum adeo abſonum mortalibus videretur, in humana carne mori, & quidem Cruci ſuffixum, Deum, ut in hunc Hebræi lapidem offenderent: & Nuncii patibulati Numinis viderentur Idololatris inſanire. Hæc tamen tam ardua credere Mundus incæpit: &, quod Apoſtolorum Delyrium primò habitum fuit, deinde ut Sapientiſſimum Optimi, & Æquiſſimi Patris conſilium, Inſontis Filii morte Sceleſtos redimi Servos geſtientis, fuit adoratum. An non in hac animorum permutatione, rebus tam arduis, & prius deriſis, certiſſimum aſſenſum præſtantium, manifeſta Divinitas fulget?

874 No-

874 Novum argumentum ſuggerit Spes, quæ, humi defixos animos in Cælum erigens, ipſis etiam corporibus redivivis Sempiternam ſpondet Felicitatem. Hoc autem ſuaviſſimæ Fiduciæ ſolatium illabi non poſſe in pectus hominum videbatur illis, quos alloquitur Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 5. agens de Anaſtaſi Extinctorum. *Sed hoc incredibile fuerit aliquando. Ecce jam credidit Mundus, ſublatum terrenum Corpus Chriſti in Cęlum, Reſurrectionem Carnis, & Aſcenſionem in ſupernas Sedes. Pauciſſimis remanentibus, atque ſtupentibus, vel doctis, vel indoctis, jam crediderunt & docti, & indocti. Si rem credibilem crediderunt, videant, quàm ſint ſtolidi, qui non credunt. Si autem res incredibilis credita eſt, etiam hoc utique incredibile eſt, ſic creditum eſſe, quod incredibile eſt.*

Quoniam igitur, & credit Mundus, & ſperat illa, quæ incredibilia, & omninò deſperanda, putabantur, hoc ipſum Prodigium ita Divinitus elati mortalium animi certam adſtruit Veritatem illis ipſis, quæ credimus, atque ſperamus.

875 Qui verò ipſi Spei opponitur Timor Sempiternæ Miſeriæ, tanto quatiens horrore pectus omnium non omnino inſanientium, inſigne pariter Argumentum eſt ipſius Æterni Exitii, quod certiſſimè ſceleſtos præſtolatur. Cum olim pleriſque mortalibus expediret, Animos cum Corporibus hominum, ſicuti ceterorum animantium, interire; cum *comparati erant Iumentis inſipientibus, & ſimiles illis facti; omnis quippe caro corruperat viam ſuam*: id vulgò credebant homines, quod ipſis opportunum fuiſſet. Ac ſi quoſdam fabuloſi Iudices

exhibebat: *An ego, inquit, homuncio id non faciam, quod fecit Deus, qui Templa Cæli ſonitu concutit?*

878 Agmina pariter inſanorum innumera confluxiſſe ad Mahometis vexillum, prodigioſum cenſeri nequit, cum aptam brutis, & quidem cæno aſſuetis, præbuerit Legem; atque ita comparatos invenerit animos Auditorum, ut jucundiſſimum illis acciderit, eximi horrore criminis in iis perpetrandis, quibus etiam antea involvebantur.

879 Idem affirmare de Luthero poſſumus, & Calvino, quos, omnia Furori, Voluptati, aliiſque corruptæ Naturæ arridentibus, ut omnino Neceſſaria, indulgentes, jure Mahometes Occidentis Vir Sapientiſſimus appellavit.

Prodigium eſt, quod Beatarum Mentium indolem ſuis homines moribus repræſentent: non verò quod cum belluis immanitate decertent, aut ſtudioſius illis voluptatem, & commoda conſectentur.

880 Iam verò aut hæc *ad credendum tam ardua, ad ſperandum tam alta, ad operandum tam difficilia,* ſemper homines amplexi fuerunt: aut, cum involuti tenebris per plurima Secula jacuiſſent, tandem *orta lux eſt ambulantibus in regione umbræ mortis.* Si primum dicant, cur ea nunc etiam non credant, quæ ceteri omnes poſt conditam hanc rerum Univerſitatem ſemper in animum admiſerunt? Si alterum eligant (ut certè præſtandum eſt, cum de cultu Idolorum, totum ferè olim terrarum Orbem miſerrimè faſcinante, Hiſtoriæ omnes loquantur) nullus adeo deſipere poteſt, qui non videat vim Divinam, fulgentem in eo, quod adeo immutati extemplò

plò fuerint hominum animi, nil niſi caducum, & inane antea ſpirantes, ac deinde mirabiliter ſupra ſe ipſos erecti.

SIGNUM IV.

Miraculum idem contra omnes Sectas augetur ex Modo Propagationis Apoſtolicæ Romanæ Doctrinæ.

I. *Confirmatur eadem Veritas ex Modo, quo Eccleſia Romana ab Apoſtolis fundata fuit: cujus Modi Admirabilitas, ideoque Divinitas, multipliciter oſtenditur.*

881 EXpensâ naturâ rerum, quas credere, ſpe præcipere, & amore complecti, Mundus incæpit, Modum ipſum intueamur, quo Mirabilis hæc contigit animorum Mutatio. Cum autem innumera ſint, quæ in eo admirabilitate redundant, prodigioſiſſimum eſt, quod per Apoſtolos, homines videlicet pauperrimos, ignobiles, nullaque eloquentia præditos, id fuerit Divinitas conſequuta. *Ignobilia*, inquit Paulus 1. ad Corinth. 1. *& contemptibilia mundi elegit Deus, ut ea, quæ ſunt, deſtrueret*. Efficaciſſimum hoc argumentum Apoſtolo viſum fuit ad Corinthios in Fide confirmandos, omneſque exinde ad illam rapiendos. *Videte*, ait, *Fratres Vocationem Veſtram*: hoc eſt, in illa intuemini manifeſtiſſimum operantis Miraculum Divinitatis: *quia non per multos Potentes*, Armis, & Impetu: *non per multos Sapientes*, Eloquentiæ, aut fucatæ argumentationis præſtigiis: *non per multos Nobiles*, quorum Exemplo præclarum eſſet inſi-

inſiſtere; ſed per nos, Piſcatui,aut expoliendis pellibus aſſuetos, abjecto loco natos, viribus deſtitutos; non adultos in Academia, Peripato, aut Porticu Stoicorum: per nos demum, qui uſque adeo nullo, ſi humana perpendantur, apud vos eramus in pretio, ut, omnino nihil eſſe videremur: *per ea*, inquam, *quæ non ſunt*, *deſtruere* potuit Maximus, & Optimus Deus *ea, quæ ſunt*: videlicet Potentiam, Doctrinam, & jactatam ab Ethnicis generis Nobilitatem, ſimulque regnantia in eorum animis Numina omnia diruere, & labefactare.

Nihil adiiciendum eſſet iis, quæ Divinus Apoſtolus ſatis eſſe credidit ad ſtatuendum Veritati Triumphum. Eidem tamen profectò arridebit, ſi àliqua ex amantiſſimo, ſapientiſſimoque illius Interprete Chriſoſtomo mutuemur. Ille ferè innumera in Oratione, quod Chriſtus ſit Deus, animadvertit, quæ hoc Prodigium immutati ab Apoſtolis Mundi circumſtant, & ſingula mirificè illud exaggerant.

882 Promiſſionem primò certiſſimam intuetur ædificandæ ſupra Petrum Eccleſiæ, quæ mortalibus certè viribus impleri non poterat. *Orbe ferè toto in impietate detento prædixit*: *Super Petram hanc ędificabo Eccleſiam meam, & Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.*

883 Cum enimverò Mirabilis futura eſſet Erectio ipſa Eccleſiæ, augendum erat Portentum ab ejuſdem firmitate, cedere neſcia omnibus Inferorum arietibus in illam impactis. *Non ſolùm mirum eſt, quia ædificavit eam per totum Mundum; ſed quia invictam fecit: & invictam, licet tot bella inſurgant.*

848 Spon-

Digitized by Google

884 Sponſio hæc, ſi Armis fortaſſe fuiſſet implenda, Magnum Univerſi terrarum Orbis Regem decuiſſet. Sed quia certiſſima fuit, itaut rem ipſam jam confectam verba præſeferrent: & conficienda erat ſine ullo impetu armorum, iiſque viribus, quibus cogi homines conſueverunt: idcirco patuit prorſus Divina. *Vidiſti verba in operibus relucentia, & virtutem abſque Armis omnia conficientem.*

885 Tum expendit, quàm magnum, & arduum Opus eſſet, nec niſi Divinitus conficiendum, Orbem terrarum Eccleſiis conſecrare: ac præſertim Romam, Impietatis Regiam, ipſoſque etiam barbaros Indos. *Cogita, quid ſit, tam brevi tempore omnem ſub Sole terram tantis Eccleſiis impleri: in regione Romanorum, Perſarum, Scytharum, Maurorum, Indorum &c.*

886 Singula, quæ ſequuntur, verba pluribus fulgentibus in uno, Miraculis affluunt. *Magna res foret, & excellenter magna, Divineque virtutis, etiam ſi nemo imperturbaret, eſſetque pax ſumma, & multis ſimul adnitentibus, & reluctante nullo.*

887 Monſtrum fuiſſet, refingere hominum corda, & alium inducere vivendi morem, licet non magis arduum, ſed certè diverſum ab eo, cui jucundiſſimè conſueverant. *Quid verò cum Mundus non ſolùm in aliam inductus ſit Conſuetudinem, ſed in multò difficiliorem: & reliquerit eam, quę erat Voluptate firmata?*

888 Adeo latè Licentia, & Impietas graſſabantur, ut, cum Sceleſtorum Exempla raperent omnes in præceps, futurum eſſet Prodigio ſimillimum, excolere ad probitatem Pueros ipſos, quorum animis Vitia nondum inolita eſſent.

Quid porrò cum *Neque alios homines extra Conſuetudinem hujus Mundi viventes aſſumpſerit, ſed illos ipſos, qui in talibus vitijs computruerant, & luto molliores erant*? Ex his Adamantinas, quæque Cæleſti materie conflatæ videri poſſent, Columnas effinxit, luxuriâ nullâ ſolvendas, aut ſuppliciis, ipsâque morte frangendas.

889 Omnino paucos in conſitum dumis, arctum, & in quem eniti difficillimum eſſet, Cæli callem inducere, molimen erat Divinæ virtutis. *Quot autem perſuaſit? Non duobus, vel Decem, vel Centum, ſed Omnibus ferme ſub Sole habitantibus*.

890 Iam verò ſupremum admirabilitatis apicem attingit Aurea facundia Ioannis, manifeſtæ Divinitatis vires deprehendens in Apoſtolis, quorum miniſterio flexit iter ad Sidera, ruens olim in Tartara, cænoſus Torrens humanæ Conſuetudinis. *Et per quos perſuaſit? Per viros duodecim Illiteratos, Privatos, Ineloquentes, Obſcuros, Pauperes: Patriâ, Robore corporis, præcellentiâ Gloriæ, vehementiâ Rhetorices, eminentiâ Scientiæ carentes: per Piſcatores, per Pelliones, per Barbaros, & alterius etiam Linguæ*.

891 Perinde hoc ſcilicet fuit, ac ſi per Duodecim elingues Ruſticos Oratorum omnium Eloquentiam ſuperaſſet: per Duodecim imbelles Pueros fudiſſet Exercitum fortiſſimorum, & innumerabilium Virorum: per Duodecim Oves, aut Agnos, in ſilvam immiſſos innumera eam depopulantium Luporum, ac Leonum agmina deleviſſet. Et hac quidem ultima Similitudine uſus fuit Auctor ipſe mirabilis hujuſce Operis Chriſtus Dominus Matth. 10. *Ecce ego mitto vos, ſicut Oves in medio*

Luporum. Et Lucæ 10. *Ecce ego mitto vos, ſicut Agnos inter Lupos.*

892 Profectò ſicuti, cum nihil unquam ſimile Natura præſtiterit, uni Deo ſupra Naturæ vires operanti tribuenda eſſet victoria de Oratoribus relata ab Elinguibus, de ſtrenuiſſimis Viris a Pueris, de Lupis ab Agnis: ita cum contigerit nunquam, ut carentes opportunis dotibus ad perſuadendum, perſuaſerint tamen res maximopere arduas, quarum Fidem, Spem, & Amorem Apoſtoli in hominum animis excitarunt, hujus etiam Mirabilis Operis Auctor Deus manifeſtiſſimè patet.

893 Quid, quod non modò eo pectoris robore armati non erant Apoſtoli, quod ad Cæleſtem hanc provinciam ſubeundam requirebatur; ſed etiam, ut ſapienter Chriſoſtomus notat, miſeram inductionem enervis animi præſeferebant: *Prius, & a ſe ipſis, tales erant, & adeo timidi, ut vel ad unam Ancillę interrogationem Petrus defecerit, omnes fugerint.* Congreſſus tamen eſt Petrus cum Roma Regina terrarum: quique turpem antea fugam arripuerant, in aperta deinde ſæviſſimæ mortis diſcrimina hilares inſiluerunt.

894 Ne verò præeuntis, & coram pugnantis Ducis fiduciâ Milites, ceteroqui ſegnes, animatos fuiſſe, quiſpiam opinaretur, Ioannes animadvertit: *præſtantiora per Apoſtolos a Chriſto geſta fuiſſe poſt Mortem, quàm dum viveret: ut oſtenderet, ſe non humana, ſed Divina virtute agere.*

895 Neque verò Statim, & Fatali quodammodo Impetu novam animorum faciem induit Genus humanum; ſed aliquibus illico ſuccumbentibus veritati, alii diu,

diu, multumque ſunt reluctati: & Evangelii causâ Fratres ipſi in Fratres, Patres in Filios inſurrexerunt. *Neque hoc ſolùm mirabile; ſed quod non hoc in pace fecerunt, ſed infinitis bellis hinc inde excitatis: quæ non ſolùm in ſingulis urbibus, ſed etiam domibus gerebantur; neque enim omnes ſimul crediderunt.*

II. *Evidentia Divinę Virtutis, aut in Miraculis, quę Exterius viderint, aut quę Interius experti ſint Auditores Apoſtolicę Prædicationis, Veritatem Chriſtianę Fidei cuilibet non inſano demonſtrat.*

896 POſt alia innumera expenſa acutiſſimè, & eloquentiſſimè, quibus Chriſoſtomus evincit: nihil ineptius Apoſtolis inveniri potuiſſe (ſi humanæ vires inſpiciantur) ad refingendam hominum Univerſitatem, ſubdit interrogando, ac veriſſimè ſubjiciendo. *Quo pacto, & qua ratione? Virtute eius, qui juſſit; ille enim prævius omnia faciebat. Niſi enim Divina quędam Virtus effeciſſet, nequaquam hęc vel principium, vel præludium accepiſſent. Quo enim modo ille dixit: Fiat Cęlum, & monſtravit opus: Eodem modo & idem Eccleſias illas fundavit: & verbum hoc: Ædificabo Eccleſiam meam: hęc omnia operatum eſt:*

Ut ergo procreatum omnipotenti Divinæ vocis Imperio ex nulla prævia materie Cælum, atque omnis hæc Univerſitas rerum Deum ipſum Auctorem Operis ſubiicit mortalium oculis: ita Eccleſiæ Structura, teſte Chriſoſtomo, non minus diſertè Chriſti Divinitatem eloquitur.

897 Imo illuſtrius quid, & prodigioſius nitet in Eccleſiæ, quàm in Mundi ædificio; huic enim niſi Materies apta ſe ſuggerebat, at ſaltem Divino molimini non repugnabat, quia Nulla erat. Sed Innumera jam expendimus, a quibus mora excitandæ Eccleſiæ nimium quantum objiciebatur.

898 Ratiocinationes hujuſmodi, quibus efficitur, Deum eſſe Chriſtum, qui per Apoſtolos Eccleſiam fundavit, adeo manifeſtæ Ioanni videntur, ut ſermonem claudat exclamando. *His nullus contradixerit, niſi quis valde Inſanus, ac totus Stupidus ſit, Naturęque ſenſu privatus.* Ex homine igitur in brutum animal, niſi etiam in ſtipitem, aut lapidem, degeneravit, qui Chriſtianæ Fidei Veritatem non experitur, & manibus quodammodo non contrectat.

899 *Virtus* autem illa *jubentis Eccleſiam conſurgere*, quam manifeſtiſſimè deprehendi Chriſoſtomus docet, aut fuit ſolùm Arcana per lucem infuſam animis, pioſque motus voluntatem ſuaviter impellentes: aut etiam oculis ipſis impreſſa per Externa Miracula. Quodcumque affirmare malis, perinde evincitur, eſſe Mirabilem, adeoque Divinam, ex celeberrimo illo, ac verè Divino Auguſtini Dilemmate, quod alibi curſim attigimus, dum de Miraculis ageremus. Sed crimen in præſentia eſſet, aurea illius verba non afferre, quibus nihil illuſtrius, aut grandius excogitari poteſt.

900 Expenderat prius acutiſſimus Doctor lib. 22. de Civit. Dei cap. 5. geminum illud Prodigium, videlicet Rerum, quas, prius viſas incredibiles, tamen credidit Mundus: & Modi, quo *ineruditos liberalibus Diſciplinis,*

nis, & omnino, quantum ad iſtorum, ſcilicet Gentilium, Doctrinas attinet, impolitos, non peritos Grammaticę, non armatos Dialecticâ, non Rhetoricâ inflatos, Piſcatores Chriſtus cum retibus Fidei ad mare hujus Seculi pauciſſimos miſit: atque ita ex omni genere tam multos Piſces, & tantò mirabiliores, quantò rariores, etiam ipſos Philoſophos, cępit.

Mox verò urget ingenioſiſſimè. *Quæ ſi, ut leguntur, geſta eſſe concedunt, ecce tot incredibilia tribus illis incredibilibus addimus: &, ut credatur unum incredibile de Carnis Reſurrectione, multorum incredibilium teſtimonia tanta congerimus.*

Ac demum, cum certò credenda hæc fuerint, ſi per ſubjecta oculis Miracula eorum Veritas aſſerta fuit: evincit, multò magis credenda fuiſſe, ſi Chriſtianæ propoſitionem Fidei nulla Exterius viſa Miracula comprobaſſent: quia Prodigium fuiſſet, omnibus aliis illuſtrius, id ipſum, quod in Divinitus immutatis, abſque Exterioribus Signis, hominum animis contigiſſet. *Si verò per Apoſtolos Chriſti, ut eis crederetur, Reſurrectionem, atque Aſcenſionem prædicantibus Chriſti, etiam iſta Miracula facta eſſe non credunt, hoc nobis Unum grande Miraculum ſufficit, quod eam terrarum Orbis ſine Ullis Miraculis credidit.*

901 Eandem, imo præſtantiorem vim in Interno Miraculo, Fidem Apoſtolis præbentium hominum, quàm in Externo, adimadvertit aliis in locis idem Auguſtinus, Damaſcenus lib. 4. Fidei Orthodoxæ cap. 4. Iuſtinus Martyr Apol. 2. pro Chriſtianis, Chriſoſtomus, Lactantius, aliique plurimi.

902 Su-

Digitized by Google

902 Supervacanea certè nunc eſſe alia Portenta; cum ea, quæ olim contigerunt, in hoc ipſo, quod nunc Interius experimur, *appareant evidenter*, ſapientiſſimè dixit Angelicus.

Evidenter, inquit eximius Magiſter, *apparent præterita Signa* in Fide, quam præſtari experimur Apoſtolorum Doctrinæ. Evidens igitur eſt, impletam fuiſſe Sponſionem Chriſti, qui Legatos ſuos alloquutus Marci 16. *Euntes*, ait, *in Mundum univerſum prędicate Euangelium omni creaturę &c. Signa autem eos, qui crediderint, hęc ſequentur. In nomine meo Dæmonia eiicient: linguis loquentur novis &c.* Et manifeſtæ veritatis compertiſſimus eſt Divinus Hiſtoricus, qui ſubdit: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & Sermonem confirmante ſequentibus Signis.*

Si quis a perverſa inductione animi (peccare volentis, ideoque exhorrentis Chriſtianam Religionem, quæ Tartari metu ſceleſtos concutit) dementatus, ideoque *Naturæ ſenſu privatus*, ut Chriſoſtomus dicit: ſi quis, inquam, hiſce apertiſſimis rationum momentis nequaquam percellitur, fruſtra illum ulterius urgemus. Fruſtra congerimus Teſtes, affirmantes, fulgere Solem, quem qui ſuis ipſe oculis videt, fulgere tamen mordicus negat. At licet *quis valde Inſanus, ac totus Stupidus ſit, Naturęque ſenſu privatus*, ac proinde non aſſequatur animo vim Divini Prodigii, allicientis homines ad fidem Apoſtolis adhibendam; is tamen fortaſſe aſſentietur Generi humano, conteſtanti Externa Miracula, quibus inductus fuit Orbis terrarum ad Piſcatoribus aſſentiendum.

903 *Sed*

903 *Sed non creditis geſta hæc?* inquit Arnobius lib. I. contra Gentes. *Sed qui ea conſpicati ſunt fieri, & ſub oculis ſuis viderunt agi, teſtes optimi, certiſſimique Auctores & crediderunt ipſi, & credenda poſteris nobis, haud exilibus probationibus, tradiderunt. Qui nam iſti ſint, fortaſſe quæritis? Gentes, Populi, Nationes, & incredulum illud Genus humanum: quod, niſi aperta res eſſet, & Luce ipſa, ut dicitur, clarior, nunquam rebus hujuſmodi credulitatis ſuæ præſtaret aſſenſum.*

SIGNUM V.

Diffuſio Schiſmatis, & Hæreſum, & Modus, quo ſparſæ ſunt, evidenter oſtendunt, ipſas nequaquam eſſe Apoſtolicam Eccleſiam.

I. *Argumentum D. Pauli probans Veritatem Chriſtianæ Religionis contra illius Hoſtes, infert etiam Veritatem Romanæ Fidei contra Hæreticos, quorum Doctrina, & Modus eam ſpargendi, nihil redolet Divinum, imo Humana omnia, & Tartarea: Inita ab ipſis Via penitus contraria Apoſtolicæ, ac ſimillima Semitæ Ethnicorum, ac Mahometis.*

HEbręos, Theiſtas, Mahometanos, Ethnicos, Atheos, omnes demum Chriſti hoſtes, manifeſti Erroris coarguunt, quæ Superioribus Signis ſtatuimus. Iam verò cum Hæreticis, & Schiſmaticis congrediamur, qui Chriſti nomine incaſſum gloriantur, cum relictum ab il-

lo Re-

lo Religionis Præſidem, eiuſque Uicarium, minimè venerentur.

904 Niſi Pauli auctoritatem contemnunt, robur ineſſe fatentur illius Argumentationi: *Videte, Fratres, vocationem veſtram, quia non multi Sapientes, non multi Potentes &c.* Meritò inſultant Ethnicis, quos inanis Philoſophorũ Sapientia adegit ad cultum Iovis, & Martis: quos Potentia Regum, referentium inter Deos Parentes ſuos, aut Amicos, aut ſeipſos, aut bruta etiam Animantia, & Arbores, impulit ad victimas marmoreis Simulachris immolandas. 905 Divinæ nullum veritatis Indicium eſſe confirmant in Modo, quo ſtolida Superſtitio propagata eſt, videlicet Exemplo Nobilium, ac Potentium delyrantium, & Auctoritate fabuloſæ Scientiæ. 906 Nihil præterea Divinum ſpirari profitentur a Rebus ipſis, quas Ethnici crediderunt, blandientibus ſcilicet brutæ, & ad humum pronæ Imaginationi, omnia indulgentibus effræni Voluptati, imo ipſa Crimina conſecrantibus, præeunte Mortalibus ad Adulteria Iove, ac Venere, ad Furorem Marte, ad Furta Mercurio.

907 De Mahometis idem Impietate Anteſignani Hæreſum, & Schiſmatis aſſeverant; nihil videlicet Divinum, quia Erectum, & Arduum ad credendum, quia difficile ad operandum, proponi ab eius Doctrina; imo ultro ſuſcipiendũ ab exoptantibus Porcorum Legem: quo nomine ſui Magiſtri Dogmata Averroes inſignivit. 908 Nullam præterea Veræ, quia ſimilis Apoſtolicæ, Prædicationis Notam præſeferri, fatentur ex Modo, quo, Vi, Armis, Impetu, diffuſa eſt Mahometis Inſania.

Hæc certè Photius, & cum Luthero Calvinus minimè

nimè diffitentur. At videant,ne ſuis ipſi telis confodiantur. 909 Utque hæc ultima, aliaque eiſdem ſimilia Monſtra primò transfigam, quid ipſa creditu arduum propoſuerunt, cui præſtitus aſſenſus oſtendat, erigentem ad Cælum mortalium animos, Divinitatem? Nihil profectò difficilius iis,quibus Catholici homines adhærebant, imo quædam ſuaviſſimè lenocinantia exlegi Cupiditati, quam certa Fiducia conſequendi Cæleſtis Regni ſolvat omni metu Inferorum,licet in omnia Crimina ſtrenuiſſimè provolvatur.

910 *Reformatam*, ſi Superis placet, a ſe fuiſſe Religionem, Belluæ inclamant, Sed hoc nomine abutuntur per Antiphraſim, cum illam relaxent: neque jactare queant;Primam a ſe illi Formam reſtitui, cum *Latam*, *&* *Spatioſam Viam* aperiant, quam *Anguſtam*, *&* *Arctam* eſſe voluit noſtræ Salutis Aſſertor.

911 At Modus initus a Calvino, aliiſque Hæreticis, quàm repugnat Apoſtolico, Deus immortalis! Divinæ quippe illæ Tubæ, Cæleſtia Oracula proferentes,præſtari ſibi jubebant ab Auditoribus fidem, non expendentes ſingulorum veritatem Arcanorum, ſed omnia Miraculis comprobantes: humanâ nullatenus ſcientiâ ſe populis commendabant: nihil Tutelâ Principum: nihil indultâ inſaniendi Licentiâ. Sed Hæretici in dubium revocant ea, quæ Chriſtianus Orbis per tot Secula credidit: omnium inſtituunt Articulorum Examen: perversè Divinum Verbum interpretati contrariam contemnunt Veterum Patrum,Conciliorum,& Pontificum Auctoritatem: Traditiones derident: Soli ſibi videntur ſapere: Secularium Principum, quibus Eccleſiæ bona expilanda

tradunt, opem implorant: Miraculis nullis nituntur, quibus Divinum Falſitati ſuffragium conciliari nequit.

912 An non iiſdem Artibus, quas Hæretici adhibent, Ethnica, & Mahometica Superſtitio miſerè deceptis mortalium animis inſinuata fuit? An non toto penitus Cælo Sectæ hujuſmodi omnes ab Apoſtolica docendi Semita prævaricantur?

II. *Ab Apoſtolicę pariter Prædicationis forma penitus receſſerunt Schiſmatici, & ſequuti ſunt Idololatras, ac Mahometem, ex ratiocinatione Pauli.*

AT Photius, aliique Signiferi Schiſmatis, & quarumdam jam ferè extinctarum Orientis Hæreſum, utcumque Voluptati frænum minimè relaxaverint, in ceteris tamen rebus Idololatriæ Auctoribus, ac Mahometi penitus conformantur, nullumque Apoſtolicæ Prædicationis veſtigium exhibent. 913 Nihil primò magis arduum populorum Fidei propoſuerunt, quàm, quibus aſſenſus antea præſtabatur. Neque minus humanæ Superbiæ blanditi ſunt, hortati ad excutiendum Externum, regnantis in Occidente, Romani Pontificis jugum, quàm ſi Licentiam exlegi laſciviendi cupiditati indulſiſſent. 914 Non *Ignobilia*, & *Contemptibilia Mundi elegit* Sathanas, ad Schiſmata, & Hæreſes in Oriente proſeminandas; ſed *Sapientes ſecundum carnem*, ut Neſtorium, Photium, Cerularium, Balſamonem. 915 Sed *Potentes*, ut eundem Neſtorium, Aulicorum Theodoſii Iunioris ope ſuffultum: Iconomachos, Cæſares, & Patriarchas: ipſum Photium, Bardæ, ac Michaelis Tertii, Cæſarum perpetuo favo-

favore, & ipſius aliquamdiu decepti Baſilii gratiâ ferocientem: Cerularium, Imperatoribus ipſis metuendum;

916 Hoſne, quorum nonnulli Vi etiam, & Armis, non ſolùm in vulgum mortalium, ſed in ipſum etiam Sanctiſſimum Patriarcham Ignatium, ut Photius, inque ipſos Imperatores, ut Cerularius, graſſati ſunt: hos, inquam, Furiarum æſtro correptos Tartari Emiſſarios, Mahometi ſimillimos, ulla Miſſionis Apoſtolicæ Indicia commendarunt?

III. *Hęreticis, & Schiſmaticis, ut conformarentur Apoſtolis, neceſſaria erant Externa, vel Interna Miracula, quę nullatenus jactare poſſunt.*

917 SI, neceſſaria ſibi non fuiſſe Divina Prodigia, blaterarent, quia jam aſſerta Miraculis fuerat Chriſti Religio, quam ipſi nequaquam refingebant, ſplendidè mentirentur, cum nimium quantùm Vetuſtam Fidem refinxerint, ac deformaverint: ut pluribus in locis oſtendimus. Divinum proinde Teſtimonium Cæleſtibus Signis ſibi adſtruere cogebantur; cum ipſe Chriſtus Dominus, qui Moyſis *Legem non venerat ſolvere, ſed adimplere*; neceſſaria tamen ſibi eſſe putaverit Cæleſtia Portenta ad captivandos hominum animos in obſequium Fidei. *Si opera non feciſſem in eis, quę nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.*

918 Neque verò Externis Prodigiis deſtituti vindicare ſibi poſſunt Internum illud Miraculum, quò Auguſtinus, aliique Patres evincunt Romanæ Fidei veri-

tatem; nil enim mirum eſt, inventos fuiſſe innumeros, qui Superbæ Schiſmaticorum, ac Voluptariæ Hæreticorum Sectæ nomen tradiderint: quique non Ignobilium, Inſipientum, Imbellium Piſcatorum; ſed Illuſtrium genere, Sapientum Seculi, & feroci Potentia intumeſcentium, Vexilla fuerint conſectati.

919 Hoc enimverò eventurum quilibet conſcius humanæ, vergentis ad pejora, Naturæ facilè ominari potuiſſet, antequam contingeret. At illud, ex Auguſtini ſententia, nullus, utcumque mortalium ſolertiſſimus, nullus Plato, aut Ariſtoteles, humana tantùm ratiocinatione ominari potuiſſet. Illius verba ſunt, lib. de Vera, & Falſa Relig. cap. 3. *Reſpondiſſet: non poſſe hoc ab hominibus fieri, niſi quos ipſa Dei Virtus, atque Sapientia ccommendaſſet, ut omnia contemnendo, quæ pravi homines cupiunt: & omnia perpetiendo, quæ horreſcunt, genus humanum ad tam ſalubrem Fidem ſummo ardore, atque auctoritate converterint*. Divinitus tantùm afflata Sybilla Erythræa potuit augurari: *Chriſtum non in gladio, & bello, Æneadem Urbem ſibi ſubjecturum, ſed in Hamo Piſcantis*: quod Vaticinium refert D. Antoninus in Summa Hiſt. par. 1. tit. 3. cap. 9. §. 14.

SI-

SIGNUM VI.

Romanæ, quoad Fidem, & Leges Morum, Doctrinæ cum Apoſtolica Conſpiratio.

I. *Doctrinæ, quam ſequitur Eccleſia Romana, cum Apoſtolica Conſpiratio, non dubiè conſtans ex ipſa Antiquitate, ac Perpetua Duratione, Primo Libro aſſertâ, oſtendit, Apoſtolicam eſſe, quę Fidem, Legeſque Morum ſervat ab Apoſtolis traditas.*

920 PRæter ea, quæ Primò Libro ſtatuimus, cetera omnia, quibus in Operis decurſu demonſtravimus, Veram Religionem eſſe Romanam, evincunt traditæ ab illa Doctrinæ cum Apoſtolica Conſpirationem. Una enim, eademque ſemper neceſſariò eſt Vera Eccleſia, ut patet ex ipſa Veritatis Natura, quæ nequit immutari: & ex Divinis Oraculis, præſertim Pſalm. 32. & 116. & Iſaiæ 40. ubi frequenter affirmatur, quod Veritas, Deique Verbum *invaleſcit, & obtinet in Secula ſeculorum, & manet in ęternum*. Hoc autem Verbum eſſe illud ipſum, quod etiam Romanis ipſemet attulit, explicat Apoſtolorum Princeps Ep. 1. cap. 1. *Verbum autem Domini manet in ęternum, quod evangelizatum eſt in vobis*. Et Chriſtus ipſe ſpopondit Matt. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem Seculi*. Ac Romanæ ſupra Petrum fundandæ Eccleſiæ firmitatem deſcribens Matth. 7. *Deſcendit*, inquit, *pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim*

erat

Digitized by Google

erat ſuper Petram. Quo pacto ergo ab Apoſtolicæ Doctrinæ rectiſſima lege deficeret, quam, in nullum inclinari latus poſſe, Veritas Divina prædixit?

921 Sed, age, quid nobis Hoſtes attribuunt, quo ab Apoſtolis docendo prævaricati fuerimus? Quas Romanas Novitates appellant, reperiri in Veteribus Patribus, Apoſtolorum Diſcipulis, eorumque ætati proximis, Lutherus, Calvinus, & Magdeburgenſes Centuriatores, ultro fatentur; quod Coccius, & alii longa enumeratione oſtenderunt eruditiſſimè; ideoque parcimus ab iis recenſendis;

922 Illos tantùm interrogamus, an ullam ex antiquis Hæreſibus, quas Tertullianus, Irenæus, Cyprianus, Epiphanius, Auguſtinus, Theodoretus impugnant, quæque certè Apoſtolicam Doctrinam infecerant, tribuere audeant Eccleſiæ Romanæ? Negabunt profectò, niſi hominum effrontiſſimi pariter, ac dementiſſimi haberi velint. Ab ipſis quidem Recentibus Eterodoxis revocari ex Inferis Errores Antiquorum Eccleſiæ Perduellium, palam fiet. Sed ſuum in nos crimen retorquere non poterunt, niſi omnes nobiſcum Patres, & Concilia omnia, receſſiſſe dicant ab Apoſtolicis Inſtitutis.

923 Utque Schiſmaticos præſertim alloquamur, a quibus in pauciſſimis Articulis diſſidemus, neque noſtrorum interim veritatem argumentis evincamus, ſolummodo ex ipſis inquiro: cur a primis Eccleſiæ temporibus in Liturgiis Iacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, preces pro Defunctis in Chriſto præſcriptæ fuerint, niſi quia conſtabat, traditum ab Apoſtolis fuiſſe, detineri plurimorum animos in Carcere, contractas humi labes eluente?

te?

te? 924 Cur Sanctos, ut jam tum cum Chriſto regnantes, invocari ad Aras, iidem Liturgiæ Auctores edocuerint, niſi quia eruditi fuerant ab Apoſtolis, non expectandam Corporum Anaſtaſim ad ineundam Beatitatis uſuram? 925 Cur Experimentis innumeris Orientales Patres, ac celebrata in Oriente Concilia, Romano ſe ſubjecta Pontifici exhibuerint, niſi quia, Univerſæ regendæ Eccleſiæ Ius manaſſe a Petro in ejus Succeſſores, perſpectum habebant?

926 At de Proceſſione Sancti Spiritus etiam à Filio tam aperta, & multiplicia ſunt teſtimonia Veterum, præcipuè Græcorum Patrum, qui Divina, de hoc loquentia, Oracula interpretantur: tam manifeſta damnatio contrariæ Neſtorij Hæreſis in 3.4.5.6.& 7. Generalibus Synodis, ut Photius mortalium ſagaciſſimus, nullatenus adortus fuerit, in controverſiam revocare hujus Articuli veritatem, ſed ſolùm effutiverit, eandem inſeri Symbolo minimè potuiſſe.

II. *Eliduntur fauces latrantium hoſtium, qui Romanam Eccleſiam ab Apoſtolica Sanctitate defeciſſe, calumniantur, ipſorum probra in os eorumdem ingerendo: breviter indicando, quæ Secundo Libro de Perpetua Romanæ Sanctimonia demonſtravimus: ac ſtatuendo, nihil penitus officere Apoſtolicę Doctrinę Succeſſioni, quod quidam, peccare ſe faſſi, ſervatis illibatis Apoſtolicis Legibus, illas moribus non exequantur.*

927 Apoſtolicæ ſibi Cathedræ Doctrinam vindicant, qui conditas ab Apoſtolis, eorumque Audi-

Digitized by Google

Auditoribus Eccleſias, expilandas tradunt furori Principum, ac Populi debacchantis? Qui Religioſa Vota proterentes innuptis ſibi nuptiis conjungunt Virgines Cæleſti Sponſo conſecratas? Qui præſcriptas abſtinentiæ a carnibus, aut ſeveriori etiam Jejunio dies irrident? Qui omnes macerandi corporis artes, veluti ſtolidè inventas ab inſanis ſuimet ipſius carnificibus, ludibrio traducunt? Qui opibus inhiant adeo, ut illas etiam è Templo diripiant: ſique ſe Verbi Miniſtros jactant, cum perpetuam procreandis liberis operam navent, omnem lapidem, licet frequenter incaſſum, movent, ut inſigne illis Patrimonium congerant? Qui Platonis Ideas putant Divina Chriſti Conſilia de Voluntaria Paupertate conſectanda, de ſubdendo ſe aliorum Imperiis, de Patre, ipsâque etiam Conjuge relinquenda? Hac certè vix ab Octogenariis carendum, Calvinus apertiſsimè definivit. Qui demum, dummodo certâ Fiduciâ conſequendæ Beatitatis lactemur: neque, Deum fuiſſe Chriſtum, inficiemur: omni ſe cæno volutandi facultatem, abſque ullo metu Tartari, indulgent, imo etiam pleriſque adſtruunt neceſſitatem? Inque hanc ſentinam paſſim labi Reformatæ, ſi Superis placet, Eccleſiæ ſuæ filios, ultro fatentur, ut oſtendimus lib. 3. Signo 19.

928 Recentium hæc Hæreticorum dedecora caveri a ſe, gloriabuntur Schiſmatici. Neque verò iidem omnium, quæ innuimus, rubore ſuffundi poſſunt. Sed & Conjugum uſus, vetitus olim (ut, cum opportunum fuerit, demonſtrabimus) nunc autem permiſſus etiam Catholicis Græci Ritus Sacerdotibus a conniventia Romanorum Pontificum, Apoſtolicam non redolet Perfe-

ctio-

ctionem. Et minimè vetitum a Schiſmaticorum nonnullis Antiſtitum ſuo Gregi Divortium, indultâ facultate novas Nuptias contrahendi, manifeſtiſſimè pugnat cum contrario Chriſti, adeoque Apoſtolorum, Decreto.

Quid, quod, cum de Veræ Eccleſiæ Sanctitate ageremus, hanc Romanæ Fundatoribus vindicavimus; oppoſitam verò Nequitiam Inſtitutorum, ac Propagatorum Schiſmatici Conventus, manifeſto in Sole ſtatuimus. Doloſas ab iis Artes adhibitas, Cauſas, & Adjumenta Schiſmatis proſequuti, hæc omnia certare oſtendimus cum Apoſtolica Sanctimonia. Ipſius Romanæ Doctrinæ Sanctitatem, ſive Dogmata Fidei ſpectentur, ſive Morum Præcepta, nobis ſuffragari vidimus, non verò Schiſmaticis. Heroicam in Noſtrorum innumeris, in Aduerſariorum nullo, florere Virtutum omnium Complexionem. Hac inclaruiſſe plurimos Romanos Pontifices: ab ipſis verò, quæ quibuſdam ex ijs tribuuntur, Labibus, imo etiam, quæ nonnullos deturparunt, Criminibus, evinci quandam Sacerdotii Regalis propemodum Divinitatem, multipliciter demonſtravimus. Noſtra demum eſſe ornamenta omnia Sanctitatis, videlicet Miracula, Propheticum lumen, ac ſtrenuiſſimè obitam mortem pro Religione Sanctiſſima.

Quid hìc ergo diutius immoremur, actum agentes? Quid faces addamus Soli, quem intueri recuſant, qui oculos conſultò claudunt?

Interrogatum dicent Petrum, an præ omnibus Chriſtum amaret, antequam illi Ovilis Cuſtodia demandaretur: ut ex hoc inferant, præſtare omnibus Magiſterio Fidei, & Eccleſiæ Regimine, neutiquam poſſe,

qui pariter non præeat omnibus Sanctimoniâ Vitæ ?

929 Sed, utcumque flagrantiorem in Petro Charitatem exegerit, *quis* tamen Divini Regis *Conſiliarius fuit*, ut, hanc ab illo exigi debuiſſe, decernat, in omnibus, qui Vicario eius Munere functuri eſſent? Quis Cæleſtium Diadematum Librator affirmare poteſt, magis dilectum fuiſſe Chriſtum a Lino, quàm a Ioanne Apoſtolo tunc ſuperſtite, qui certè Ordinarium Eccleſiam Univerſam regendi Magiſtratum nequaquam, poſt Petrum, excepit?

930 Documentis ſedentium in Prima Cathedra hærendum ſemper, non ſemper Exemplis inſiſtendum, Divinus nos Magiſter edocuit.

931 Afferre præſtat acutam ratiocinationem ingenioſiſſimi viri Sfortiæ Cardinalis Pallavicini, animadvertentis, Indicium Falſitatis exhiberi a Religione illa, cujus Ordinarii Cuſtodes, licet eorum numerus diuturnitate temporis plurimùm augeatur, ſemper id ipſum, quod alios edocent, opere implent. Hanc fuiſſe, ait, veterum Romanorum Superſtitionem, qui, ut ambitione demerſi, nullam aliam Divinitatis acquirendæ viam præconiis efferebant, quàm adipiſcendæ ſtrage mortalium Poteſtatis, & Gloriæ. Hanc Mahometis, omnem explendæ cupiditatis facultatem indulgentis, & ſordentium voluptatum æternam uſurpationem deſpondentis. Hanc Lutheri, qui, humi torpentibus, & inhoneſtis ſuis votis blanditus, negat neceſſitatem promerendæ Sanctis Operibus Immortalis Salutis, & a Pravis perniciem nullam imminere, opinatur.

At non hujuſmodi Religio eſt, qua Romani Pontifices Chriſtianum Orbem erudiunt. Eam illi perpetuò pro-

profeſſi ſunt, quæ omnes ipſos damnat, ut deficientes; multos ut reos, quoſdam, ingenuè dicam, ut ſceleſtos: quæ ipſos cogit ad jugum, torquens depravatæ inductionem naturæ: quæ multa ſubjicit illorum geſta, extra hanc Religionem ultro conceſſa, linguarum, dum ipſi vivunt, objurgationi, poſt eorum mortem Hiſtoriarum infamiæ: quæ majori Gloriâ in hoc etiam mortalium Theatro afficit Cœnobitam, nudis incedere pedibus conſuetum, quàm inclytum identidem Coronâ Pontificem.

932 A qua Voluptate, aut Commodo, ſuſpicari poſſumus, hujuſcemodi Doctrinam inventam fuiſſe? An unquam Pontifices, licet aliquando criminibus inquinati, & in ſententia de aliis rebus ferenda inter ſe plurimùm diſſidentes, fuiſſent adeo conſtantes, & unanimes in hac doctrina propugnanda, niſi eadem illis a Veritate tradita eſſet, ac Cælitus inſpirata?

Quod Romanæ urbi, ac Præſulum claſſi, reatus plurimi, & graves identidem, inſint, non ipſa Roma ſuperbè negat: dejecto potius animo ultro fatetur. Altaria, Divorumque cultum Roma ipſa paucis ab hinc Seculis Bernardo decrevit, cujus paginæ tam ſeveris Romanos mores verberibus perſtrinxerunt.

933 Hypocriſis hoſpitium eſſe Urbem, per Calumniam, conſuetam irrogari Virtuti ab invidia effrænati Vitii, Lutherus affirmat. Sed ſuo vecors telo ſe vulnerat. Ut enim Romanorum quibuſdam ultro Hypocriſim tribuamus, quis ſapiens ignorat, nuſquam hanc diverſari, niſi in Patria Syncerae Virtutis? In ea nullus Regione laboraret ad Veri Auri colorem, ac pondus Fictitio appingendum, quæ Verum ipſum Aurum non haberet in pre-

tio. Perinde nullus ærumnoſiſſimæ Simulationis impendio ſe ipſum torquebit, ut Virtute præditus videatur in Republica, a qua non cernat affectam Prœmiis, & Honore Virtutem.

Illos, qui Opum affluentiam, earumque uſum in Sacris Principibus damnant, quaſi ab Apoſtolica Paupertate degenerantem, refellere occupavimus Libro 2. Signo 10. Et gazis quidem, etiam dum Cryptas incolerent Romani Pontifices (adeoque ab Apoſtolorum temporibus parum diſtarent) adeo redundabant, ut Romanus ille Senator appetentiſſimus divitiarum ſpoponderit, in eorum ſe caſtra conceſſurum, ſi ſuis illum Sacris præfeciſſent Chriſtiani.

934 Opportuna fuit Egeſtas in Primis Fidei Præconibus ad magnam, ſperare Cælum jubentis, Religionis ſpeciem hominum animis ingerendam. Opportunæ Divitiæ in conſtitutæ, & amplificatæ Religionis Præſidibus ad ornanda Templa, Pauperes alendos, & Nobiles, ac Principes viros ad Summi Sacerdotis Aulam alliciendos, præter alias, quas alibi innuimus, Cauſas.

935 Nullam certè Divinam Chriſti, aut Apoſtolicam Legem inveníent Oſores Romæ, quam ſervandam eſſe, palam non edicant Romani Pontifices. Divinæ igitur ſunt, Apoſtolicæque Doctrinæ Cuſtodes religioſiſſimi. Ex eo verò, quod non eas ipſi perpetuò moribus repræſentent, ſolummodo evincitur, homines illos eſſe, quos certè ſe eſſe, & quidem culpis obnoxios, licet Chriſti vices in terris gerant, apertiſſimè profitentur.

SI-

Digitized by Google

SIGNUM VII.

Schiſmata, & Hæreſes non ab Apoſtolis, ſed ab Antiquis, quos ipſi etiam Schiſmatici, & Recentes Hæretici damnant, Eccleſiæ Hoſtibus manifeſtiſſimè derivantur.

I. *Non ſolùm inſtitutione Vitæ, ac Regulis Morum, ſed & doctrinâ Fidei prorſus recedunt Schiſmatici, & Recentes Hæretici ab Apoſtolis, Sanctiſque Patribus, qui ætate proximi, & Apoſtolorum Sapientiâ imbuti fuerunt: imo antiquos redolent Hæreticos, eorumque Errores, Apoſtolicæ Fidei repugnantes, ab Inferis excitant. Ac primò ex Cauſis oſtenditur, hoc ita neceſſariò eveniſſe.*

936 SI tantummodo Morum Corruptela Hoſtes Romanæ Religionis dèdecoraret, huic in eos intortæ haſtæ parum confideremus. Sed cum ipſas etiam Morum Leges corruperint, lethali hoc telum ictu eorum corda pervadit.

Quod autem Fidei Dogmata pervertentes ab Apoſtolorum, Sanctorumque Patrum inſtitutione receſſerint, & Veterum Hæreticorum Errores recoxerint, brevi enumeratione, quaſi collatis tabulis, liquidò comperiemus.

937 Interim, hoc neceſſariò eveniſſe, ſtatuimus: quia cum, Certum Veritatis Magiſtrum audire, detrectent: ac Pontificias, & Conciliares Definitiones contemnant: *omni vento* perniciosæ *doctrinæ* profectò *circum-*

cunferentur: & eò præcipuè vergent, quò eos exorti olim a Tartaro turbines impellent.

938 Cum plurimi, licere, dicant, Internum ſomniati Spiritus ductum ſequi: & alii, re ſaltem ipſa, illum ſequantur: enimverò, dùm

Sua cuique Deus ſit dira cupido,

lancinandum animum præbebunt Antiquarum Hæreſum Portentis, quia difficillimum eſt, nova procreare Opinionum Monſtra, poſt innumera jam ab aliis in arenam effuſa.

939 Quì fieri poteſt, ut Apoſtolorum, Petro ſuo Principi adhærentium, doctrinam mordicus amplectantur, ſi ejuſdem Petri Cathedram exhorreſcunt?

940 Si Traditiones irrident, per quas tantùm plurima ſancita ab Apoſtolis Decreta Morum, & Fidei, propagata ſunt: quæ nullatenus accepimus a Scripto Verbo Divino, ſed ſolùm ab alio Parentum cordibus impreſſo, qui Filiorum id, ac Nepotum animis infuderunt? Hoc repudiato, voces ipſas *Omouſion*, *Trinitatem*, *Eſſentiam*, *Perſonas*, *Hypoſtaſes*, contemnemus, quia in exarato Literis Dei Verbo nequaquam inveniuntur.

941 Si Apoſtolico proximos ævo Patres, adeoque tra litæ a Divinis illis Legatis Doctrinæ optimè conſcios, ac pro ſua Sanctitate, ac Sapientia, ejuſdem retinentiſſimos, nauci faciunt, ut recentes Hæretici: aut ſi eorum Magiſterio ſe velle informari ſimulant, ut Schiſmatici; eorum tamen Sententias detruncant, invertunt, aut ſtolidè, per miſeram, ac ſuperbam vecordiam, interpretantur?

942 Nihil certè deterreri ſe, affimat Calvinus Inſtit. lib. 2. cap. 2. §. 4. licet omnes contra ſe Patres pu-

gnare

gnare videat. *Semper*,ait,*apud Latinos nomen Liberi Arbitrii extitit*; *apud Græcos verò* αὐτεξούσιος, *vocabulum multò arrogantius*. Et infra. *Ego verò neque ipſe hujuſmodi vocem uſurpare velim*, & *alios*, *ſi me conſulant*, *abſtinere optarim*. Cumque ibi ſtatuiſſet, uni Auguſtino adhærendum, deinde lib.3.cap.11.§.15. *Ac ne Auguſtini quidem ſententia*,inquit,*per omnia recipienda eſt*. Tum, omni ſe Antiquitati rebellare, apertè fatetur lib.2. c.14. §.3.& cap.16.§.9.& lib.3.cap.4.§.38.& c.5.§.10. *Ante Mille*, & *trecentos Annos uſu receptum fuit*,*ut precationes fierent pro Defunctis*. *Sed Veteres omnes*, *fateor*, *in errorem abrepti ſunt*.

943 Idem Lutherani Magdeburgenſes fatentur,cum in ſingulis Centuriis ad finem 4.Capitis notent illius Seculi Patres, qui eadem, quæ nos edocemus,Dogmata tradiderunt. Ea verò utcumque Patrum *Nævos* audaciſſimè appellent,inſanè deinde eadem *Romanas* nuncupant *Novitates*.

944 Porrò antequam hinc elabamur, crimen eſſet, in hos Tertulliani,lib. de præſcrip. verba non intorquere. *Age nunc*: *omnes Eccleſiæ erraverint*: *nullam reſpexerit Spiritus Sanctus*, *uti eam in veritatem deduceret*,*ad hoc miſſus a Chriſto*, *ad hoc poſtulatus a Patre*, *ut eſſet Nuncius Veritatis*. *Neglexerit officium Dei Villicus*, *Chriſti Vicarius*,*ſinens Eccleſias aliter interim intelligere*, *aliter credere*, *quod ipſe per Apoſtolos prædicabat*. *Et quid veriſimile eſt*, *ut tot*, *ac tantæ in unam Fidem erraverint*? *Audeat ergo aliquis dicere*,*erraſſe eos*,*qui tradiderunt*? *Quoquomodo ſit erratum*,*tamdiu utique duravit Error*,*quamdiu Hæreſes non erant*? *Aliquos Marcio-*

cionitas, aut Valentinianos liberanda Veritas expectabat? Interea perperam evangelizabatur: tot millia millium perperam tincta? &c.

II. *Singillatim demonſtratur, non ab Apoſtolis, ſed ab Antiquis Hæreticis hauſtas eſſe Opiniones Schiſmaticorum.*

945 Statutâ neceſſitate prolabendi ab Apoſtolico Cælo, ac proruendi in Tartaream Veterum Hæreticorum Sentinam, eos, qui ſe Religionis Magiſtris, Patribus, Conciliis, ac Pontificibus, non tradunt erudiendos: pronum eſt oſtendere, in eam illos re ipſa fuiſſe infeliciſſimè provolutos. Vt reliquas a Schiſmaticis aſſertas Morum Leges diſſimulem, Divortii novas Nuptias inducentis, Permiſſio repugnat adeo Divinis, & Apoſtolicis Inſtitutionibus, ut vix Antiquorum ullus Eccleſiæ Perduellium illi connivere auſus fuerit; libenter autem ſuo illam præconio exornaverint Calvinus, & Anabaptiſtæ.

946 At princeps Errorum quoad Fidei Arcana, negans Divini Spiritus Proceſſionem a Filio, inventus primò fuit, ſed furtivè ſuorum auribus inſinuatus a Theodoro Mopſueſteno, quem Quinta Synodus Anathemate ſauciavit: tum ore ſacrilego palam eundem effudit Hæreſiarcha Neſtorius: Iconoclaſtæ poſt quædam Secula Patriarchæ, ac Cæſares aluerunt.

947 In Romanum omnium primi Pontificem Semiariani, ab illo damnati, ac Eutychianus Dioſcorus, inſurrexerunt, quorum proinde ad caſtra Recentes Romanæ Sedis Hoſtes accedunt.

948 Quod

948 Quod Sanctorum Animi nondum Beatitate perfruantur, edocti Schiſmatici ſunt a Tertulliano lib. 4. in Marcionem, & ab Hæretico Vigilantio, cui Hieronymus inſultat in lib. contra eundem. *Ais, vel in ſinu Abrahæ, vel in loco Refrigerii, vel ſubter aram Dei, animas Apoſtolorum, & Martyrum conſediſſe, nec poſſe ſuis tumulis, & ubi voluerint, eſſe præſentes. Senatoriæ videlicet dignitatis ſunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere, ſed in libera, honeſtaque cuſtodia in fortunatorum Inſulis, & Campis Elyſiis recludantur.* Hoc autem avidè cum Schiſmaticis arripuerunt Lutherus in Prælect. in Geneſim, & Calvinus, qui, cum lib. 3. Inſtitut. capit. 20. §. 4. definiviſſet, *ſolum Chriſtum ingreſſum eſſe Sanctuarium Cæli; reliquos verò omnes reſidere in Atrio, ibique expectare uſque ad Mundi conſummationem*; deinde ſui oblitus cap. 25. §. 6. per ſummam ſtultitiam, inquit: *Stultum, & temerarium eſt, inquirere, quò in loco ſint animæ juſtorum, & an Gloriâ fruantur, necne?*

949 Purgatorias pœnas omnium primus negaſſe videtur Aerius, cum, teſte Epiphanio hæreſi 75. & Auguſtino hæreſi 53. docuerit, non eſſe pro Defunctis orandum. Ex hoc enim ſequitur, aut eos non egere precibus, aut non poſſe juvari: quorum utrumque repugnat Carceri, in quo contractæ humi ſordes eluuntur, ſaltem eo modo exiſtenti, quo ab Eccleſia conſtituitur. Diſertè deinde illum negarunt Vvaldenſes, Albigenſes, Vvicleſitæ, quæque omnes poſt Lutherum exortæ ſunt delyrantium claſſes.

De Azymo, & Fermentato, dicere ſuperſedeo, quia vix ullus nunc è Schiſmaticis Latinos culpat, eo quod

Primo in Sacris utantur: ſicuti adeo Latini non coarguunt Græcos adhibentes Secundum, ut potius extent Maximorum Pontificum Conſtitutiones, caventes, ne ſuus ab ullo Ritus immutetur.

Jamque ab Apoſtolorum, Sanctorumque Græciæ Patrum Inſtitutione defeciſſe Schiſmaticos, ac pedibus iviſſe in miſera Veterum Hæreticorum delyramenta, indicatâ ſentinâ, ex qua venenum ſuorum Errorum hauſerunt, liquidò demonſtravimus.

III. *Quæ operanda, & credenda præſcribunt Hæretici, non ab Apoſtolis fluxerunt, ſed ab Antiquis Eccleſiæ Divinæ Perduellibus.*

Recentium porrò Hæreſum Inventores, exoſos Apoſtolicam, & Paternam Eccleſiæ Doctorum ſemitam, inhæſiſſe veſtigiis Antiquorum hoſtium Veritatis, cum alii luculentiſſimè oſtenderint, ac præ ceteris Sapientiſſimus Cardinalis Bellarminus, allatis Veterum, ac recentium verbis, invicem contulerit Inſanias Priſci, ac noſtrorum Parentum Ævi, eaſdem nobis, conſulentibus brevitati, ſolummodo indicandas reliquerunt.

950 Ut autem de nefariis, neque certè Apoſtolicis, ſed verius Mahometicis, Morum Regulis aliquid delibemus: quid illâ pernicioſius, qua Lutherus, & Calvinus negant Neceſſitatem cujuſcumque Operis noſtri ad Cæleſte Regnum adipiſcendum? Libertatem negant ad Naturalem, Divinamque Legem implendam? Imo affirmant, in quavis nos actione perpetranda neceſſariò ſceleribus inquinari? Quæ unquam efficacior è Tartaro doctrinæ peſtis erupit ad omnes torquentis Conſcientiæ mor-

morſus obtundendos: ad ſolvendum pudoris frenum: ad Honeſtatem aureo Spei calcari exarmandam? Quod lethalius ipſæ Fabulæ virus excogitarunt ad Homines in Belluas immutandos: eòque pejores aliis omnibus belluis, quò ipſi tantùm peccare queunt, ac uti ratione, ut gladio iniquitatis? 951 Cur Veterum Ethnicorum prudentia Sectam Epicuri adeo deteſtata fuit, niſi quia, licet incoli a Divinitate aliqua Cælum opinaretur, negaret tamen, ab illa Pœnam infligi Sceleribus, aut Præmio donari Virtutes? 952 Cur ſapiens quidam affirmavit, facilius abſque aqua, & igne, quàm ſine Religione, ſervari Urbes poſſe, niſi quia Mortales, qui ſeipſos, velut Idolum quoddam, propemodum adorant, nunquam adigerentur ad Legibus obtemperandum, & ſeditioſas cupiditates compeſcendas, niſi Spe Remunerationis allecti, aut Supplicii Metu perculſi, quorum alterutrum ab Omnipotenti Iuſtitia præſtolantur? Ut ſe quis ultro, ac ſponte orbet percipienda ſenſibus, intenſa, ac præſenti Voluptate, ſatis efficax vis non ineſt Mercedi, aut Mulctæ, quam à Terreno Magiſtratu ſperare poſſumus, aut metuere. Decipitur hic identidem, corrumpitur, vitatur, aut etiam aliquando refellitur. Nunquam demum majus ab illo malum irrogari poteſt, quàm quod unicuique ineluctabiliter Natura præſcripſit, videlicet Mors. Quod homines Præmium largiuntur, non tenue tantùm eſt, ſed & rarum. Æterna ſolùm hinc Beatitas, illinc Sempiterna Miſeria, à Potentiſſimo, Sapientiſſimoque Iudice diſtributa, ſui contemplatione ſunt Fulcimenta humanæ Virtutis, ideoque Civilis Quietis.

953 Quid, vis infundendi Gratiam, qua Sacramen-

ta viduat Lutherus, an non omnem fiduciam extinguit de Cæleſtibus illis Medicaminibus, ſuo in Cruce Sanguine a Chriſto Domino ad Salutem nobis conferendam, elaboratis? 954 Quid, inaudita in Eccleſia, Poteſtas, quam ad ſolvenda Crimina non Laicis tantùm, ſed & Fœminis ipſis attribuit? An non præcipua ſpoliat veneratione Sacerdotum Ordinem, & efficaciam corrumpit, qua Sacramentum Pœnitentiæ frænat a ſcelere, tum ob pudorem, quo ſuffundit neceſſitas illud aperiendi homini veneratione digno: tum ob ductum, quo ejus monita dirigunt ad vitam melius inſtituendam?

955 Quæ impietas magis ſacrilega, & Chriſtianam ſubvertens Rempublicam, quàm Religioſorum, quibus ſe Deo quiſpiam obſtrinxerit, Votorum irritatio? Hinc patet animus hoſtium Fidei, qui uſi ſunt induſtriâ Seductorum, Ducum Graſſatorum, Rebellionis Auctorum; his enim ſolenne eſt, omnem Licentiam indulgere, veluti Stipendium ad conflandam vim maximam Sectatorum, impendiis profligatæ publicæ Rei.

956 Hoc de Legibus Morum Specimen intuiti, eaſdem breviſſimè ad antiquos Hæreſum Inventores revocemus; nam Eunomiani docebant, *non poſſe homini ulla Peccata nocere, modò Fidem habeat,* ut Auguſtinus teſtatur lib. de Hæreſib. cap. 54. Qui etiam lib. de Fide, & Operibus cap. 14. dicit, *hanc Hæreſim de ſola Fide ſufficiente ad Salutem ſine Operibus, ortam eſſe tempore Apoſtolorum ex non intellecto Paulo;* ideoque contra illam præcipuè ſtylum direxiſſe alios Apoſtolos in ſuis Epiſtolis, Petrum videlicet, Ioannem, Iacobum, & Iudam.

Digitized by Google

957 Cum Calvinus, *Deum eſſe Cauſam peccatorum*, impudentiſſimè dixerit lib. 1. Inſtit. cap. 18. §. 2. ſacrilegam hanc Blaſphemiam, & pluſquam Hæreſim (ut illam appellat Irenæus apud Euſebium lib. 5. Hiſtoriæ cap. 20.) hauſit ab Hæreſiarcha Florino, eamque Vincentius Lirinenſis in Commonit. tribuit Simoni Mago.

958 *Peccatum in renatis ſemper vivere*, Proclus hæreticus affirmavit apud Epiphanium hæreſi 64. idemque, ut Auctor eſt Theodoretus, Meſſaliani deinde ſuſceperunt, ac demum Lutherus.

959 Si *Poteſtatem in Eccleſia non eſſe, reconciliandi homines Deo, niſi per Baptiſmum*, Calvinus effutivit, hoc illum edocuerant Novatiani. Si, contra, *æquè omnes abſolvere queunt*, per Lutherum, *Puer*, videlicet, *etiam ac Mulier*: vel Fœminis Sacerdotium conceſſerant Peputiani, teſte Auguſtino lib. de Hæreſib. cap. 27. Manichæorum Diſcipuli ſunt Recentiorum plerique; illorum enim fuit, ut inquit Hieronymus in præfat. Dial. contra Pelag. *Hominum damnare Naturam, & Liberum auferre Arbitrium*. 960 In perpetua Sacramenta, quæ Deo Religioſi homines dicunt, ante Lutherum inſurrexerant Lampetiani, ut refert Damaſcenus lib. de Centum Hæreſib. circa finem.

961 At ipſa Divinitatis Arcana, quæ ſolummodo contemplamur, neque ſpectant ad Mores efformandos, quàm perperam explicant Novatores, prævaricati ab Apoſtolorum ſemita, & Veterum Errorum Veſpillones! *Unam tantùm in Deo Perſonam eſſe*, cum Sabellio docuit Michael Servetus. *Filium Patre Minorem* cum Ario dicunt Tritheitæ, ſequuti Valentinum Gentilem.

962 Quas

962 Quas Neoterici rejiciunt, Traditiones non ſcriptas ſpreverunt olim Ariani, ut docet Auguſtinus lib. 1. cap. 2. & ult. contra Maximinum: & hanc Hæreſim amplexi ſunt Neſtorius, Dioſcorus, Eutiches, aliique, ut habetur in Septima Synodo Act. 1. *Unam in Chriſto Naturam cum* Eutichete agnoſcit Gaſpar Suvenckfeldius, qui, *poſt Aſcenſionem, Humanam Naturam in Divinam eſſe converſam*, affirmat: ac Brentius, qui *ab ipſa Incarnatione ſemper fuiſſe ubique*, ſomniat, *Humanitatem*.

963 Vetuit Sacrarum Venerationem Reliquiarum, ac Sanctorum Invocationem ante Lutherum Vigilantius: quodque contra Sacras Imagines bellum plurimi evoluto proximè Seculo inſtaurarunt, Xenaias Perſa primus indixerat, & mox violentius incenderant Iconoclaſtæ.

964 Dies me deficiet, ſi Lutheri, Calvini, Melanctonis, Semidelini, Bezæ, Brentii, & aliorum, enumerem Atheiſmos, quos è colluvie Sabellii, Samoſateni, Ebionis, aliorumque obſoletæ Perfidiæ Portentorum fluxiſſe, eruditiſſimè oſtendit Antonius Poſſevinus lib. 8. Bibliothecæ Selectæ a cap. 1. ad 13.

SI-

SIGNUM VIII.

Perpetua Pontificum Romanorum in Apoſtolico Throno Succeſſio.

Apoſtolica, ideoque Vera, omnino cenſetur Eccleſia Romana ob Perpetuam ab ipſo Petro ad noſtra uſque tempora in Apoſtolico Throno Pontificum Succeſſionem. Evidentia Veritatis, quæ ab hac Succeſſione arguitur.

965 EVidentiſſima Patribus viſa fuit hæc Teſſera veritatis; ideoque diligenter ſuccedentium Petro Pontificum Seriem pertexuerunt: & frequenter ex hac nunquam abrupta Succeſſione ſedentium in eadem Apoſtolorum Principis Cathedra intulerunt contra Schiſmaticos, & Hæreticos: Veram, quia Apoſtolicam, Fidem in Romana tantùm Eccleſia perennare.

Et quidem tanti fecerunt Romanam Sedem, quam tenuerat Ordinarius Chriſti Vicarius, ac Veritatis, ex Divina Promiſſione nunquam defecturæ, Magiſter, ut neque illos enumeraverint, qui Ioannis, Iacobi, aut aliorum Apoſtolorum Inſulas exceperant: neque illos, qui eorumdem Scriptorum fuerant in Sacro Peculiarium Eccleſiarum Regimine Deceſſores; ſed, qui ſolius Petri, cujus Romano Epiſcopatui nexa erat Univerſæ Chriſti Eccleſiæ Solicitudo; ut proinde ſatis eſſet, illi adhærere ad oſtendendum, ſe Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ filios exiſtere.

Hinc Irenæus, Euſebius, Epiphanius, Auguſtinus, Optatus, non Epheſinos, aut Hyeroſolymitanos: non Lug-

Lugdunenſes, Cæſaræenſes, Salaminios in Cypro, Hipponenſes, Milevitanos; ſed Romanos tantùm Epiſcopos recenſuerunt.

966 Per pauciſſimorum autem ſolummodo Præſulum a Petro ad Eleutherium tunc ſedentem Succeſſionem *confundi omnes Hæreticos*, affirmat Irenæus lib. 3. cap. 3. idemque lib. de Præſcript. evincit Tertullianus: atque ipſe Arianus Euſebius in Hiſtoria, & in Chronico, ejuſque Continuatores Hieronymus, ac Proſper. Epiphanius autem hæreſi 27. quæ eſt Carpocratis, ſedulò hunc a ſe Indicem conflari dicit, *per hæc enim ſemper claritas oſtenditur*: hoc eſt, aperta hinc eruitur Veritatis Nota. Hinc pariter Optatus inſultat Donatiſtis, qui ſuorum Antiſtitum originem ad Apoſtolos referre non poterant.

967 Sed Auguſtinus, mortalium ſapientiſſimus, pòſt recenſitos Quadraginta a Petro ad Anaſtaſium Pontifices, Sacroſanctæ, ac nunquàm ſuperandæ, Cathedræ plaudit, & humana etiam ratiocinatione ſe hinc urgeri, fatetur ad perſeverandum in Catholica Eccleſia. *Numerate Sacerdotes*, inquit in Pſalmo contra Partem Donati, *vel ab ipſa Sede Petri, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſerit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ Inferorum Portæ.* Et lib. contra Epiſt. fundamenti cap. 4. *Tenet me*, inquit, *in Eccleſia ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas Oves ſuas Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopum Succeſſio Sacerdotum.*

968 Quod igitur robur ineſſe videretur Irenæo, Epiphanio, Auguſtino, Optato Pontificum ſupra Ducentos Quadra-

draginta, nunquam abruptæ Succeſſioni? Interruptam nunquam fuiſſe, diſertè pronunciavi; evanuerunt enim Fabulæ de Ioanna, quæ Petri Solium Fœmina inſederit, ab aliis egregiè diſſlatæ: quibus Somniis concipiendis maligna Hæreticorum phantaſmata, ut alibi innuimus, anſam arripuerunt a Vulgi dicterio, inſultantis Ioanni Octavo Pontifici, ac Fœminam illum per ludibrium appellantis, qui ſuperari viſus fuerat ab artibus Semiviri Photii, eidem nimium connivens.

Ceterùm utcumque aliquoties flagraverint Schiſmata, & plures ad Romanam ſibi Cathedram Ius vindicaverint, quamprimùm tamen Eccleſiæ innotuit, quis Legitimus Petri Succeſſor habendus eſſet: neque dubium, quod de uno, aut altero nunc etiam vigeret: ut de Gregorio Duodecimo poſt Piſanum Concilium, ac Ioanne Vigeſimotertio: quidquam officeret veritati; ſatis enim eſt, alterutrum Eccleſiæ præfuiſſe. Perinde etiam ex Pontificum quorumdam Exiliis, & aliò translata Sede, nihil Oſores Romæ lucrantur, cum, ubicumque gentium ætatem agerent, illi certè eſſent Succeſſores Petri in Romanæ Urbis Epiſcopatu, & Univerſalis Eccleſiæ Præfectura.

SIGNUM IX.

Eadem Succeſſio manifeſtè deeſt Schiſmaticis, & Hæreticis.

I. *Legitima, & ab Apoſtolis derivata Succeſſio deeſt Schiſmaticis, quorum Epiſcopi validè quidem, ſed illicitè Sacra peragunt. Succeſſionis ab Apoſtolis neceſſitas in Vera Eccleſia.*

969. Liquet, Veram Chriſti Eccleſiam non eſſe, in qua non ſit Legitima Epiſcoporum Succeſſio; fundatam enim ab illo fuiſſe Eccleſiam, in qua eſſent, ac vigerent Epiſcopi, conſtat ex Paulo ad Philipp. 1. ex 1. ad Timot. 3. ex Act. 1. ex 20. ubi diſertè Paulus: *Attendite*, inquit, *vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Et Sacros quidem hujuſmodi *Paſtores* perpetuò Divino Gregi præfuturos, licet Sacræ nos Literæ non edocerent, manifeſta conſequutione oriretur ex eo, quòd Primis illis Eccleſiæ temporibus impoſiti Ovibus fuerint, cum minor deinde futura non eſſet eorumdem neceſſitas. 970 Sed apertum accedit Oraculum Pauli ad Epheſ. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in Unitatem Fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*: ad Supremum videlicet uſque Iudicii diem *Paſtores*, ideſt Epiſcopi, in Eccleſia ſupererunt. 971 Iure igitur definit Hieronymus lib. contra

Lu-

Luciferianos: *Eccleſia non eſt, quæ non habet Sacerdotes*: & Cyprianus ante decreverat Epiſt. 9. lib. 4. *Eccleſiam eſſe Plebem Epiſcopo adunatam*.

972 Fuiſſe autem in Vetuſta Chriſti Eccleſia Sacros Antiſtites, res eſt adeo pervulgata, ut indubitatum eſt, Conſulem fuiſſe Tullium, & Cæſarem Romanæ Reipublicæ Dictatorem; hunc enim ſuis ipſi Literis, aliiſque Operibus præfigunt Titulum Linus, Cletus, Clemens, Ignatius, Polycarpus, Cyprianus, Cyrillus, Chriſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, aliique innumeri.

Quem porrò Chriſtianorum latet, ad Epiſcopatum requiri Succeſſionem, Ordinationemque legitimam? Ut ſcilicet vel quis Apoſtolis ipſis ſuccedat: veluti Linus Petro, Simeon Iacobo: vel iis, quos aliis Urbibus Apoſtoli præfecerunt: vel recens conſtituatur ab illo, cui Apoſtolica inſit Auctoritas, a Romano videlicet Pontifice, in cujus Eccleſia *ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus*, ut Auguſtinus ſcribit Epiſt. 162. vel ab eo demum, cui hanc Romanus ipſe Pontifex tribuerit facultatem.

Ad Inaugurationem verò tres, ut minimum, requiri Epiſcopos, niſi conſecranti Epiſcopo duo adeſſe Infulati Abbates aliquando permittantur, compertiſſimum eſt, ex Can. 1. Apoſtolorum, ex Epiſt. 2. Anacleti: ex Concilio Nicæno 1. Can. 4. & ex Carthag. 4. Can. 2. Imo ex ipſo Apoſtolo indicatur 1. Tim. 4. *Presbyterij* enim nomine ab ipſo deſignari Cœtum Epiſcoporum, interpretantur Chriſoſtomus, Theophilactus, & OEcumenius.

973 His præjactis, quam ab Apoſtolis Succeſſio-

nem jactare queunt Schiſmatici, cum in Sedibus olim Apoſtolicis, Alexandrina, Antiochena, Hieroſolymitana, ante ipſos Nongentos Annos, vaſtantibus Africam, Palæſtinam, univerſumque propemodum Orientem, Perſis, & Saracenis, eaſque Provincias Romano Imperio adimentibus, vel nulla, vel obſcuriſſima fuerit Epiſcoporum Succeſſio? Hujuſcemodi infortunium Romanæ Sedi non contigit; de perpetua enim, & apertiſſima Serie Pontificum Romanorum Literæ omnes loquuntur; licet Romæ toties immutata fuerit humani Regiminis forma, nunc illo potitis Imperatoribus, nunc Gothorum Regibus, nunc Exarchis, & ipſis aliquando Conſulibus: atque Urbe non ſemel incenſa, & everſa.

974 Supereſt Conſtantinopolitana, quæ proprio nunquam Patriarcha ſe caruiſſe, gloriatur. Et Calvinus quidem ex illius, aliarumque Græcarum Eccleſiarum exemplo, quibus non deſit non interrupta Epiſcoporum Succeſſio: & quas tamen Veras Chriſti Eccleſias non eſſe, ſi miſero Schiſmati adhæreant, Romani affirmamus: conficere ſe glorioſus Miles opinatur, irritam, & inanem eſſe Veritatis Notam, quam ex hoc Perpetuæ Succeſſionis fonte derivamus.

975 Sed, heus tu, an non alibi fateris, interruptam in Aſia, & Ægypto, adeoque Alexandriæ, Antiochiæ, ac Hieroſolymis, fuiſſe Succeſſionem Sacerdotum? Non omnibus ergo Græcorum Eccleſiis eadem adeſt. Quid, quod utcumque Falſis etiam quibuſdam Eccleſiis eadem adeſſet, a Vera certè deſiderari non poteſt; Vera enim eſſe nequit, quæ non profluat ab Apoſtolis: ideoque hoc telo tu cum Luthero jugularis, qui eâdem certè cares.

976 Ut-

476 Utcumque autem idem non confœderet Schiſmaticorum fauces, aliis iidem innumeris conficiuntur: ac præſertim quia, præter Sex Orientales, in tribus legitimis, ac Generalibus Synodis Occidentis, Lateranenſi, Lugdunenſi, ac Florentina, manifeſtæ, (quam tu etiam fateris.) Hæreſis convicti ſunt de Divini Spiritus a ſolo Patre Proceſſione.

977 Sed pernego, certam ex Apoſtolis Originem a Conſtantinopolitana Eccleſia jactari meritò poſſe; unus enim Nicephorus Patriarcha in Chronologia illam ab Andrea, qui fuerit primus Bizantinorum Epiſcopus, incæpiſſe, hariolatur. At nullus Vetus Auctor hoc comminiſcitur. At Nicephorus non tanti eſt, ut unius auctoritati ſtetur: veluti diſcipuli Pythagoræ Magiſtri verbis nitebantur, nulla ratione ſubnixis. At Conſtantinopolitanum Primum, idemque Generale, Concilium in Epiſt. ad Damaſum apertè fatetur, *Eccleſiam illam eſſe Novellam*.

978 Quid, quod in omnibus Orientis Patriarchalibus Eccleſiis, & in Conſtantinopolitana præcipuè, frequentiſſimè ſederunt Hæretici Præſules, ac per diuturna tempora Veterum, ac Verorum Paſtorum Series fuit abrupta.

Proviſum tamen Divinitus fuiſſe credendum eſt, ut validè ordinatis Paſtoribus immenſus ille Grex deinde non fuerit deſtitutus. Utcumque igitur nunc Schiſmatici Antiſtites (quos Literis vel perfuſos, vel ſaltem aſperſos, obrui Errore vinci neſcio, neque Culpæ obnoxio, ac *Materiales* tantùm, ut dicunt, eſſe Schiſmaticos, credibile nequaquam eſt) illicitè Sacris Muneribus perfungantur,

tur,

Digitized by Google

tur, veluti perpetuo Schiſmatis crimine impliciti; tamen ultro concedam, validè ab illis confici Divinum Corpus, & Sacris alios Ordinibus initiari. Sed intumeſcere illos non poſſe legitima, quæque ad Apoſtolos perpetua ſerie referatur, Succeſſione, perſpicuum eſt.

II. *Nulla penitus ab Apoſtolis Succeſſio eſt Recentibus Hæreticis, quorum Sodalitia nuper nata, & ab ipſis condita ſunt.*

979 DE Recentium autem Hæreticorum infantia, liquidiſſimè conſtat, adeoque manifeſtum eſt, ipſos nulli ſuccedere, *& a ſeipſis natos eſſe* (Tertulliani formulâ utor) ut fruſtra ſit in hoc immorari. Exoletos quidem veterum Hæreticorum Errores è Tartaro ſunt expiſcati; ſed cum hi per plurima Secula extincti jacuiſſent, neque ſuis ipſis Magiſtris ſuccedere ſe, jactare queunt.

980 Quis præterea, ut hoc tantùm innuam, eos ordinavit? Quis Lutherum conſtituit Epiſcopum Vvittembergenſem, Zuvinglium quis Tigurinum, quis OEcolampadium Baſileenſem, quis Genevenſem Calvinum? Nec à tribus profectò Epiſcopis, nec ab uno quidem ſolummodo, ſunt ordinati. Et OEcolampadius quidem adeo Succeſſionem contemnit, ut *Primus Baſileæ* vocari Epiſcopus optaverit in Sepulchi Epigraphe.

981 Hoc ſibi Nomen audaciſſimè non uſurparent, ſi ullam Nicænis, & Carthaginienſibus Patribus fidem adhiberent; imo ipſis Apoſtolis, quorum primus eſt Canon de Conſecratione non minus, quàm a tribus Epiſcopis, conferenda. Inſultat hujuſmodi nebulonibus Cypria-

prianus lib. de Simplicitate Prælatorum. *Ii ſunt*, inquit, *qui ſe ultro apud temerarios convenas ſine Divina diſpoſitione præficiunt, qui ſe Præpoſitos ſine ulla Ordinationis lege conſtituunt, qui, nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt.*

982 Et his *Furibus, non intrantibus certè per Oſtium*, derelicto Paſtore, ſeſe Oves credent? Apud hos Eccleſiam eſſe quiſpiam opinabitur, quæ ſine Epiſcopis eſſe nequit: quales ipſos neutiquam eſſe, palam oſtendimus? His, inquam, major adhibebitur fides, quàm Romanæ, cui *Totam*, inquit Tertullianus, *doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt*, *Eccleſiæ*? *Ubi Petrus Paſſioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur &c. Veritas nobis adiudicetur, quicumque in ea Regula incedimus, quam Eccleſię ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo tradidit. Conſtat ratio propoſiti noſtri definientis, non eſſe admittendos Hæreticos ad ineundam de Scripturis Provocationem, quos ſine Scripturis probamus, ad Scripturas non pertinere: ad quos meritò dicendum eſt: Qui eſtis? Quando, & unde veniſtis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique Marcion jure ſilvam meam cædis? Mea eſt Poſſeſſio. Olim poſſideo: prior poſſideo.*

SI-

SIGNUM X.

Spiritus Apoſtolicus in Romanis Pontificibus ad Apoſtolorum Fidem tuendam.

Indubitatò fulget Apoſtolicę Prerogativa in Eccleſia Romana ex Apoſtolico Spiritu ad Catholicam Fidem tuendam infuſo Romanis Pontificibus, ijs etiam, qui ſui Muneris Sanctitatem degenerantibus ab illa moribus dedecorarunt; cum illibata illis Fides, non autem Charitas, fuerit deſponſa Divinitus.

CUm omnia Divina ornamenta confluxerint in Cæleſtes illos Æterni Regis Legatos, id tamen præcipuè conſuluit Saluti Mortalium, quod perpetui fuerint Veritatis illibatæ Præcones. Si ergo Verum docuere ſemper (quod præſtitum ab illis fuiſſe, mox oſtendemus) Romani Pontifices, Apoſtolicam indolem præſetulerunt: atque hoc etiam nomine Apoſtolica nuncupanda eſt ipſorum Cathedra.

983 Illud verò ipſum, quod nobis exprobrant Inſectatores urbis Romæ, videlicet quod aliqui Cæleſti Morum Integritate non reſponderint Sanctimoniæ Muneris ſui, potius auget Romanum decus. Mirum profectò eſt, defendēdæ Fidei eximio ſtudio incenſos illos ipſos fuiſſe, qui adipiſcendi Morum Integritate Cęleſtis Regni nihil ſoliciti videbantur. Exempla afferre ſuperſedemus; ſed leve negotium eſſe affirmamus, in aperta luce ſtatuere Prodigium Promiſſionis Divinæ de nunquam defectura Petri Succeſſorum Fide, in illis ipſis impletæ, qui certè deſpon-

ponſam ſibi non fuiſſe Charitatem, a qua miſerè prolapſi ſunt, operibus præſetulerunt.

984 Et aliqui enimverò ex iſtis tam infelici Seculo imperarunt, ut, ſi conſpiraſſent cum Hæreticis Cæſaribus, aliiſque Principibus inquinatæ Fidei, Morumque perdi-tiſſimorum, propemodum labefactare potuiſſent Eccleſiam.

SIGNUM XI.

Patriarchalis nulla Orientis Sedes cenſeri poteſt Apoſtolica, cum omnes inſederint plurimi Hæreſum Inventores, aut Aſſeclæ.

I. *Apoſtolica, Veræque Fidei Magiſtra, haberi non poteſt Conſtantinopolitana Cathedra, cujus Præſules non ſolùm Apoſtolico Zelo non inclaruerunt; ſed etiam frequentiſſimè ab Apoſtolorum Fide prævaricati ſunt: vel Hæreſes primùm docendo: vel inventas ab aliis conſectando: vel earum dilatationi minimè obſtando, ut Imperatoribus coniverent, aut ob alias humanas Cauſas.*

985 QUod de Cathedra Moyſis præcepit Sapientia Divina humanitatem induta, ut videlicet, *quæcumque* ipſi in ea ſedentes Scribæ, & Phariſæi *dicerent*, ea tutò Auditores *ſervarent, & facerent*: hoc certè de Apoſtolorum Magiſterio affirmaſſe, potiori jure credendus eſt, cum eos Veritatis Nuncios legans ad Univerſum hominum genus, ſermonem clauſit dicens: *Qui*

verò non crediderit, condemnabitur.

Veræ igitur, & neceſſariæ, Fidei Magiſtra eſt Apoſtolorum Cathedra. Frequentiſſimè autem Conſtantinopolitana Falſitatem edocuit. Eadem ergo Apoſtolica cenſeri non poteſt. Ex quo efficitur, inſanire profectò illos, qui Certam ei ſemper adhibent fidem, quæ toties manifeſti Erroris comperta fuit.

986 Ut præcipuos curſim enumerem, ſervata temporum ſerie, Alexandro quidem, & Paulo Sanctis Epiſcopis certò credere potuit Cæſarea Urbs; ſed cum Conſtantius, ejecto in exilium Paulo, Macedonium ſuffecit (ut deplorant Socrates l.2.c.10.12.& 22. Sozomenus, l.3.c.6.& 8.& l.4.c.2. Theodoretus l.4.hæret.fabul.cap.de Macedonianis) an hujus, Arium primò ſpirantis, ac deinde proſcindere auſi Sancti Spiritus Divinitatem, Nova Roma blaſphemias potuit amplecti? An ejus expulſori Eudoxio, & intruſo Euſebio Nicomedienſi, ſubſcribere: hoſtibus ſcilicet infenſiſſimis *Conſubſtantialitatis* Filii cum Patre Divino, ut narrant Soc.l.2.c.34. Theod.lib.2.c.27. Sozom.l.4.c.25?

987 In Magnorum quidem Gregorii Nazianzeni, & Ioannis Chriſoſtomi verba tutò jurare Conſtantinopolis potuit. Sed uterque citò deſeruit infeliciſſimam urbem: alter, ne ſui cauſâ Ægyptiorum Antiſtitum motibus quateretur, in paternum ſe rus recipiens: iniquiſſimum alter in Exilium actus. Num verò poſt Arſacium, Atticum, Siſinium, Catholicos Præſules, erudiendam ſe dare potuit Regalis urbs Hæreſiarchæ Neſtorio, qui *dicendi facultate prçditus, plebeii veſtitus ruditate, inceſſus, & ſupercilii gravitate, oris pallore, ac macie, continen-*

nentiæ, pietatis, ac veteris diſciplinæ imaginem mentiebatur, auctore Theodoreto, Neſtorii primùm aſſeclâ, ac deinde impugnatore ſtrenuiſſimo? An, cum hoc hoſte Deiparæ, illam Dei Matrem fuiſſe, Bizantium inficiaretur? An perpeſſi pro nobis Cunas, & Crucem hominis Divinitatem negaret? An Filio invideret producti Divini Spiritus gloriam?

988 Fruſtra pluribus utimur verbis, cum hi duo Tartari Emiſſarii, ac execrabilium Hæreſum Inventores, Macedonius, & Neſtorius, abunde oſtendant, Apoſtolicam, & indubitatò Veram non eſſe Conſtantinopolis Cathedram. Innuere tamen præſtat, fulſiſſe identidem in illo, plerumque nubibus obſito, Cælo pulcherrima Sidera: ut Sanctos (paulò poſt Neſtorium) Proclum, & Flavianum; ſed feralem exinde arſiſſe Cometem Acacium Hæreticorum fautorem: ac, delere illius nomen è Sacris Diptichis, abnuentes, Flavitam, Euphemium, Macedonium: ac Timotheum hæreticum. Poſt Catholicos verò Ioannem Cappadocem, & Epiphanium, rurſus Hæreticum Antimum: cui Optimus Menas ſucceſſit, ab Agapeto Romano Pontifice conſecratus, & ejus imitator Eutychius. At mox Ioannes Iejunator inſano OEcumenici nominis ambitu flagrans, qui ante pariter afflaverat Anatolium, a Leone Magno compreſſum, ut Magnus Gregorius cornua Ioannis infregit.

989 Utcumque Monothelitarum Errores omnium primus excogitaverit Pharanita Epiſcopus Theodorus, prima tamen fuit eorumdem Tuba Sergius Conſtantinopolitanus Antiſtes, qui proinde Tertius novarum Hæreſum Auctor cenſendus eſt: ejuſque impietati mor-

Digitized by Google

dicus adhæſerunt Pyrrhus, Paulus, & Petrus, unâ cum eodem Sergio, a Sexta Synodo condemnati: & continua ſerie pariter hæreſi infecti Petrus, Thomas, Ioannes: ac poſt Catholicum Conſtantinum, rurſus hæreticus Theodorus, cujus deinde Solium quatuor integræ Fidei Præſules ſuſceperunt.

990 At S. Germani deceſſor fuit hæreticus Ioannes: cumque unus idem Germanus Leonis Iſauri furiis obſtitiſſet, nullus ceterorum *oppoſuit ſe murum pro domo Iſrael*; ſed ſilendo potius, obſequendoque, ſtimulos, & ignes admoverunt Leoni, & Copronymo, Iconoclaſtis, & Agiomachis: quo nomine Septima Synodus Act. 1. in fine præcipuè damnavit Conſtantinum, & Nicætam Pſeudopatriarchas. Et falſi perinde Paſtores fuerunt Succeſſor Germani Anaſtaſius, ac S. deinde Nicephori Theodorus Meliſſenus, & Ioannes.

991 Fauſtum deinde Nonum Seculum affulſiſſet Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, in Sanctis Methodio, Ignatio, Stephano, Antonio, adſcriptorum Cæleſtibus Faſtis illius Præſulum ultimo; ſed, qui ſe medium Ignatio, ac Stephano intruſit, Photius exaggeratâ nequitiâ omnem Sacræ illius Sedis gloriam corrupit. Plerique exinde per Trecentos ferè annos Romanam Fidem integerrimè coluerunt: præter Inſtauratores extincti primùm cum Photio Schiſmatis, Sergium, Cerularium, alioſque nonnullos: donec attrito paulatim, ac tandem ſubverſo, in Pœnam Rebellium Romano Patri animorum, Orientis Imperio, auctum eſt ipſum Rebellionis Crimen: ac ferè omnes Antiſtites Urbis, olim Cæſareæ, in miſera Sciſſione ab Adſpectabili Eccleſiæ Capite perſtiterunt; ſi

eos

eos demas, quos, noſtrum etiam Ævum illuſtrantes, alibi innuimus.

992 Enimverò ſi Conſtantinopolitanorum Præſulum numerus ineatur, vereor, ut plures inveniendi ſint Catholicæ, & Apoſtolicæ Fidei Sectatores, quàm Hæreſibus, aut Schiſmati inhærentes: atque inter hos maximâ Tres inventarum Hæreſum infamiâ laborantes, Macedonius, Neſtorius, Sergius: Tartarei duo Schiſmatis Vexilliferi, Photius, ac Cerularius.

993 Mitto ſuperbum ſtudium in aliorum Orientis Antiſtitum caput inſiliendi: & communem plerîſque ſitim *Univerſalis Epiſcopi* Titulo intumeſcendi. Mitto maximi criminis ream conniventiam, qua Conſtantii, Valentis, Anaſtaſii, Zenonis, Heraclii, Conſtantis, Leonis Iſauri, Copronymi, Theophili, aliorumque nequiſſimorum Cæſarum vecordiam plerumque lactarunt; ut proinde ipſis præcipuè vitio vertendum ſit, quod Hæreſum, ac Schiſmatum peſtis latiſſimè magnam Chriſtiani Orbis partem fuerit depopulata.

Et his, ut illibatæ Fidei Præceptoribus, hærendum ſibi eſſe Græci, mortalium ſolertiſſimi, affirmabunt? Et hos, aliquando *Paſtores*, frequenter *Mercenarios*, ſæpiſſime *Lupos*, juxta Divinam Chriſti Domini Diviſionem, deſeri a ſe non poſſe opinabuntur, ut ad ſyncera illius Paſcua concedant, quem Petro ſuccedentem ſuis omnibus Agnis, & Ovibus idem præfecit?

II. *Ab*

Digitized by Google

II. *Ab Apoſtolicæ etiam Doctrinæ laude prorſus exciderunt Præſules Alexandrini, Antiocheni, & Hieroſolymitani, Hæreſum Inventores, aut Aſſeclę.*

QUia finem hujuſce Opuſculi, quod nobis præ manibus alicubi nimium excrevit, avidè præſtolamur, innuimus tantummodo, imprudentiſſimos fore, qui, Romano poſthabito, illarum ſe credant Præſulibus Eccleſiarum, de quibus tria infortunia, ac dedecora compertiſſima ſunt.

994 Primum: earum Moderatores fuiſſe quoſdam Novarum Auctores Hæreſum, aut earumdem ardentiſſimos Propagatores.

995 Alterum: Plurimos Hæreſi intabeſcentes illarum Præſules; licet ejus ubique gentium ſpargendæ nequaquam ſolicitos, ſua tamen hac ſcabie Oves infeciſſe, primis etiam Eccleſiæ temporibus.

996 Tertium: per multa deinde Secula pleroſque, ac ferè omnes, earum Urbium Antiſtites Neſtorianâ, Eutychianâ, vel aliâ peſtilenti doctrinâ, vel ſaltem conſuetis Orientalis Schiſmatis Erroribus, fuiſſe miſerrimè dementatos.

Inſtitutore Marco, ſeu verius Petro, qui vel ad eam fundandam coram acceſſit, ut multorum opinio eſt: vel certè ad eam pro ſe provinciam obeundam legavit Marcum: Alexandrina efferatur Eccleſia. Suos jactet Sanctiſſimos Paſtores, Martyrem Petrum, Athanaſium, Cyrillum, Eulogium, alios.

997 Sed quo illam Dioſcorus pudore ſuffundit, non mo-

modò Sectator, ac Signifer Eutychianæ blaſphemiæ, ſed ipſo Hæreſis Parente flagrantior in Tartarea ejus Prole alenda, ac roboranda, ſuum ut virus mortalibus omnibus poſſet afflare: Sancti præterea Flaviani Carnifex, & omnium ferè, quos ad ſubſcribendum Latrocinali Synodo compulit, Orientis Epiſcoporum tortor, atque corruptor?

998 Ut Marci Sedem proſtituerunt Timotheus Elurus, ac Petrus Mogus! Cauſa ille mortis illatæ S. Proterio, Inſularum invaſor, Zenonis in Catholicos incentor, & Baſiliſci, quem (nihil deterritus a ſuo crure diſtracto, dum hoc conſilio Conſtantinopolim peteret) impulit ad ſacrilegum Decretum contra Chalcedonenſe Concilium: metu demum correptus de regreſſu Zenonis ad Romanam Fidem, epoto ſibi ipſi mortem veneno adſcivit. Nec minori perfidia Mogus Orientem exagitavit.

999 Quid, Gregorius auſus inſidere Solium ſuperſtitis Athanaſii: idemque, ac Georgius, & Lucius Ariani, Cyrus Monothelita, aliique olim plurimi Præcones Hæreſum?

1000 Quid, per Octo ferè ultima Secula propemodum omnes earumdem Hæreſum, aut miſerrimi ſaltem Schiſmatis Profeſſores?

Apoſtolica per ſeptem Annos Petri Cathedra hæſerit Antiochiæ: Egregium ſibi Petrus idem Evodium ſuffecerit: Ignatii ea in Eccleſia floruerint, Anaſtaſii Sinaitæ, aliique Sanctitate inclyti, atque Doctrina.

1001 At; præter commune infortunium Hæreſis, aut Schiſmatis, pleroſque Antiochenorum Præſulum ab Octingentis ferè Annis corripientis: ac plurium olim Hæ-

Hæreticorum, ut Macharii inſignis Monothelitæ, ac Petri Gnaphæi, aut Fullonis, acerrimi Eutychiani: Ioannis, qui aliquamdiu favit Neſtorio: Vitalis a S. Damaſo condemnati: Arianorum, qui expulſo S. Euſtachio habenas arripuerunt: 1002 Tertio ipſo Chriſti Seculo labente, probrum illud hominum Paulus Samoſatenus Hæreſiarcha ope Cæſarum Ethnicorum ab Antiochena, quam mordicus retinebat, Sede pellendus fuit.

1003 Iacobus Frater Domini, Simeon, Cyrillus, Narciſſus, Elias, Sopronius, alii, Hieroſolymitanam Eccleſiam ornaverint. At ipſa pariter, per mediam ferè poſt reparatum Orbem ætatem, Hæreſi, aut Shiſmate infeliciſſimè ſqualet: & olim fœdata fuit ab Eutychio, Irenæo, & Hilario, Arianis, a Ioanne Origeniſta, Sergio, aliiſque.

SIGNUM XII.
Deficiens nunquam Apoſtolica Fides in Romanis Pontificibus.

I. *Hæreſis nulla, ex Hoſtium etiam Confeſſione, inventa primò fuit a Romanis Pontificibus: nec inventis ab aliis adhæſerunt. Quibuſdam Errores inſano conatu tribuuntur. Sanctiſſimè alii permiſerunt inſeri Symbolo Particulam* Filioque.

NUlla vetuſtatis rudera perſcrutati non ſunt Antagoniſtæ Romanæ gloriæ, ſuum ut dedecus in Maximos Pontifices retorquerent, atque ipſos etiam Erroris alicujus inſimularent: ut hinc efficerent, eos ab Apoſtolica Fide fuiſſe prævaricatos. Sed irritus fuit inſanus

ſanus hic labor, ut alii doctiſſimè oſtenderunt, ac præſertim Sapientiſſimus Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice a cap. 8. ad 15. In meridiana ille luce ſtatuit, per ſummam ſolùm calumniam perſtringi poſſe Religionis Magiſtros, ut a Veritate exerrantes.

1004 Nos igitur, ut pauciſſimis rem conficiamus, hoc Primò ſumimus, quod nullus non inſipiens negabit, videlicet: Nullius Novæ Hæreſis Auctores fuiſſe Romanos Præſules. Atque ipſos confidentiſſimè hoſtes interrogamus: quam primò docuerint? Profectò nullam invenient: nec eò certò dementiæ progreſſi ſunt, ut ullius Originem ipſis hucuſque tribuerint. 1005 Id etiam nunc affirmari poteſt, quod olim dixit, licet Origeniſta, & Pontificibus infenſus, Ruffinus, in Expoſ. Symboli: *In Eccleſia Urbis Romę neque Hæreſis ulla ſumpſit Exordium, & Mos ibi ſervatur Antiquus*. Idemque majori, licet amicus, auctoritate pollens dixerat Magnus Baſilius, alibi a nobis allatus, de Oriente conqueſtus, qui *Cœnodoxię ſtudio Novitates venari conſueverat*.

Generatim Secundò innuimus, impletam fuiſſe Sponſionem Divinam Aſſertoris noſtræ Salutis, omnes in Petro eius Succeſſores alloquuti: *Oravi pro te, ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos*: a nullo ſcilicet Chriſti Vicario, ſaltem dum Publicè doceret Eccleſiam, confirmatos fuiſſe Errores ab aliis inventos.

Pronum etiam Tertiò nobis eſſet, oſtendere cuilibet quæſtionem moventi de hoc, aut illo Pontifice, quem Privati Erroris arguere adoriretur, nullo fundamento niti, quæ ab hoſtibus objectantur.

Sed ut Primum, ac Tertium omittamus, quia nullus moleſtiam nobis ob Primum faceſſit; Tertium verò neceſſarium non eſt ad Apoſtolicæ Cathedræ decus aſſerendum: breviſſimè Secundum, quod Lectorum animis infigi cupimus, expendamus.

Pleraque ex iis, quæ nobis exprobrat hoſtium livor, aut Vaniſſima ſunt, ac Falſitatem prima ipſa fronte præſeferunt: veluti quod, Baptiſmate perfundi Æra Campana, Pontificum aliquis imperaverit: aut Veriſsima ſunt illa, quæ Romani Antiſtites pronunciarunt, licet Hæretici contrarium opinati malignè invehantur in eos, a quibus damnati ſunt, eoſque Falſitatis coarguant in Explicatione Orthodoxæ Fidei.

Eâdem ſuperba, & miſera hallucinatione Schiſmaticorum aliqui decipiuntur, dum illos ſugillant, a quibus permiſſa primò eſt inſeri, aut deinde recepta in Symbolo particula *Filioque*. Alii verò ſagaciores, ut Photius, non inſtituentes controverſiam de Proceſsione Sancti Spiritus etiam a Filio, ſolùm carpunt illius vocis Adjectionem contra Epheſini, quæ audaciſsimâ inſcitiâ jactant, Decreta Concilii.

De aliis manifeſtiſsimè conſtat, nihil ab iis è Cathedra pronunciatum fuiſſe; at diſputationem ſolummodo, ut a peculiaribus Doctoribus, inſtitutam: veluti, quæ Ioannes 22. de Aſpectu Divino differendo, necne, Sanctorum animis uſque ad Corporum Anaſtaſim, agitata a ſe fuiſſe, abſque ullo quidquam definiendi conſilio, apertiſsimè profeſſus eſt.

Quorumdam verba ſtolidâ perfidiâ detruncarunt, aut pueriliter interpretati ſunt Veſpertiliones Romanum ad

ad Solem cæcutientes, ut eadem ad abſurdam ſententiam detorquerent.

II. *Apoſtolicæ Romanę Cathedrę integritati nihil objectari poteſt ex Liberij lapſu.*

DUo certè ſolùm ſuperſunt, quorum cauſa cum proſligata hoſtibus videatur, revocanda curſim eſt ad Famæ Tribunal: Liberius videlicet, quem Semiarianis adhæſiſſe, ac Honorius Primus, quem fuiſſe Monothelitam, atque hoc nomine a Sexta Synodo condemnatum, audacter inclamant. Eos verò nihil Fidei contrarium definiviſſe, manifeſtis argumentis oſtenditur.

1006 Liberius quidem diu inclytus fuit Conſtantiâ, aliarumque complexione Virtutum: honorum oſor, & invitus ad Solium elatus: Arianorum Expulſor, qui ad Sacrorum commercium admitti temerariis precibus efflagitaverant: Athanaſii Defenſor acerrimus, pro quo Vincentium Capuæ, alioſque Epiſcopos, legaverat ad Conſtantium: Spretor Magnanimus Cæſareorum Munerum, quæ potens in Aula Eunuchus Euſebius Romam detulerat, quæque, in Vaticano Templo incaſſum relicta, rejecit, ut ſacrilegam Oblationem Impietatis, mercari ſtudentis Pontificiam iram in eundem Athanaſium, Divinum Catholicæ Cauſæ Propugnatorem. Quæ verò non pertulit in Exilio, cum Mediolanum ductus ad Imperatorem, cumque illo ſtrenuiſſimè congreſſus, Æqualem Paternæ Filii Divinitatem aſſeruit: iterum contempſit ampliſſima Dona Conſtantii, & Euſebiæ Auguſtæ: ac mox amandatus in Thraciam, & Sirmium raptus, poſt diuturnam concertationem, ærumnarum pertæſus, ſub-

ſcripſit quidem condemnantibus Athanaſium,& Formulæ,integram Fidei Veritatem non explicanti, ſed falſi nihil continenti. Hæreſim certè nullam promulgavit, aut profeſſus eſt, cum Formula ab illo admiſſa. Errorem nullum exprimeret.

Idcirco, licet externo actu peccaverit, ut de Marcellino narratur, Hæreticus tamen cenſeri nequit: ut, minimè cenſendum, ſtatuit Magnus Athanaſius in utraque ſua Apologia; ulterius etiam progreſſus, ac dicens, *non eſſe præterea cenſendam Liberij ſententiam, quam ab Invito, & Coacto vis Tormentorum expreſſiſſet, ſed quam protulit, cum Liberos haberet affectus*.

Sed neque Minæ, ac Supplicia ullius comprobationem Hæreſis extuderunt; nam licet Fidei causâ Hæretici Athanaſium inſectarentur, non tamen ipſam Fidem, ſed Crimina circa Mores prætexebant, propter quæ, falsò credita, Liberius in ejus damnationem conſenſit. Communicavit pariter cum Hæreticis, quia Catholicam Religionem ſimulabant; ideoque ſuis in Epiſtolis ait: *in ſuam a ſe Communionem fuiſſe admiſſos Epiſcopos Orientis, quia invenit, eorum Fidem congruere cum Catholica, & alienam eſſe ab Ariana Perfidia.*

Quid, quod Sozomenus lib.4.cap.14. & Nicephorus lib.9.cap.37. nihil aliud a Liberio fuiſſe quæſitum, affirmant, quàm ut ſubſcriberet Sirmienſi Confeſſioni editæ contra Photinum, & Antiochenæ ſcriptæ in Enceniis, quæ licet non exprimant *Conſubſtantialitatem*; Catholicæ tamen ſunt, ut eas exponit Hilarius in lib. de Synod.

Quamvis autem non *expreſsè*, interpretativè tamen in theatro Mortalium (non verò Cælitum, qui animum

mum intuentur) dici poteſt Hæreſi conſenſiſſe, quia in odium Fidei Athanaſius impetebatur: ejuſdemque Veræ Fidei re ipſa perduelles erant, quorum Liberius conſortium admiſit. Atque hoc nomine Athanaſius idem, ac Hieronymus, alicubi innuunt: eum tormentis adactum fuiſſe ad Hæreſim ſubſcribendam; nullatenus autem ad illam Docendam, aut ejus ſe Profeſſorem apertè, atque ex animo declarandum.

Imo ad omnem de ſe ſuſpicionem eliminandam, antequam Sirmio diſcederet, aliam edidit Confeſſionem, in qua palam Anathemate perculit eos, qui *Filium Patri ſimilem in Subſtantia, inque aliis rebus omnibus eſſe, negarent*, ut Sozomenus, & Nicephorus in ſupra indicatis locis affirmant.

1007. Romam vero regreſſus, ſeque penitus ab umbratili ſocietate Arianorum abjungens, pro Filii Divinitate certamen, cumque Athanaſio amicitiam inſtaurauit: Legatos miſit ad Ariminenſe Concilium, cujus deinde prævaricationem exoſus erexit in Urbe Veritatis Vexillum: a ſua idcirco Sede iterum pulſus, ac, relicto Vicario Damaſo egregio viro, Cryptas diu, ac Sepulchra Martyrum incolens: Alexandriæ Concilium ab Athanaſio Magno celebrari jubens: ſuas eidem in Oriente vices, & Euſebio Vercellenſi, mandans, ac Lucifero Calaritano, a quibus certior factus de geſtis rebus obſequentiſſimè fuit: excepta deinde Legatione trium Semiarianorum Præſulum, Nicænam doloſè fidem profitentium, inſignem hauſit ſpem unius integerrimæ Religionis in Univerſo Chriſtiano Populo ſtabiliendæ, quam ſparſis undique Nunciis diligentiſſimè aluit: 1008 Illuſtratus a Deipara.

Digitized by Google

para Cæleſtibus Viſis,& Prodigio Æſtivarum Nivium, Templi formam in Exquilino Monte delineantium.

1009 Eximia ſunt, quæ illi præconia texunt Sanctiſſimi viri, ut Ambroſius lib.3.de Virginib.Epiphanius Hæreſi 75. Baſilius Epiſt. 74. ad Epiſcopos Occidentis, aliique plurimi: qui omnes Sanctum, Beatiſſimæque memoriæ Pontificem dicunt Liberium: eumque mirificè veneratus S.Gregorius Septimus Univerſæ propoſuit Eccleſiæ cultui magnanimum Vindicem Catholicæ Veritatis.

III. *Honorii, Apoſtolicæ Fidei retinentiſſimi, nomen inſertum ab Hæreticis fuiſſe iis, quos Sexta Synodus condemnavit, multipliciter demonſtratur.*

HOnorii nomen audaciâ non ferendâ proſcindere audent Hæretici, cum tamen verbum protulerit nullum, quo videri potuerit amplexus Hæreſim Monothelitarum, ſed tantùm prudentiſſimo conſilio prohibuerit nomina Unius,vel Duarum in Chriſto Operationum. Prudentiſſimè, inquam, cum Unam ſolummodo adſtruentium Hæreſis tunc vagiret in cunis, neque adhuc quidquam de his Nominibus eſſet ab Eccleſia definitum.

Unam ſolummodo concedente Cyro Alexandrino, Duas propugnante Sophronio Hieroſolymitano, Cyro autem conſulente Sergium Conſtantinopolitanum,& utroque Honorium Romanum, hic formidans, ne contentio hujuſmodi in graviſſimum erumperet Schiſma: ſimulque animadvertens, integram ſine his vocibus ſervari poſſe Fidem, Contentionis materiem de medio tollere conatus eſt, ſcribens in prima Epiſ: abſtinendum eſſe ab *Unius*

Ope-

Operationis Vocabulo, ne Unam tantùm cum Eutychianis Naturam, rurſuſque a *Duarum* uſurpatione, ne duas cum Neſtorio Perſonas, videamur admittere. Hæc ipſa ſunt Sancti Pontificis verba. *Ne aut Duarum Operationum vocabulo offenſi, Neſtorianos ſectantes nos veſana ſapere arbitrentur: aut certè ſi rurſum* Unam *Operationem fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus Dementiam fateri putemur.*

1010. Ceterùm *Rem ipſam*, hoc eſt Catholicam de duabus Operationibus veritatem adeo diſertè fatetur Epiſt. 2. (licet a *Nomine* tunc abſtinendum opportunè cenſeret) ut ultro corruant, quæcumque in illum ab effronti livore congeruntur. *Utraſque Naturas in uno Chriſto unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices, confiteri debemus, Et Divinam quidem, quæ Dei ſunt, operantem, & Humanam, quæ carnis ſunt, exequentem, non diviſè, neque confusè, atque convertibiliter Dei Naturam in Hominem, nec Humanam in Dei converſam edocentes, ſed Naturarum differentias integras confitentes &c.*

Quid apertius? Quamobrem cùm deinde ſubdit: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini noſtri Ieſu Chriſti*: ne ſibi ipſi ſtatim ſtolidè contradicat, profectò dicendus eſt, hìc ſolùm loquutus de Humana Natura, intelligendo; non fuiſſe in Homine Chriſto Duas Pugnantes Voluntates, unam Carnis, alteram Spiritus, ſed Unam tantùm, ſcilicet Spiritus; Caro enim in illo nihil abſolutè contra Rationem, ac Spiritum appetebat. Hæc autem Sententia dilucidè conſtat ex iis, quæ ſequuntur, verbis: *Quia profectò a Divinitate aſſumpta eſt noſtri*

Na-

Naturę, non Culpa: illa profectò, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem vitiata.

1011 Quid pluribus? Ioannes Quartus Pontifex, Beatus poſt interitum a S. Maximo Martyre nuncupatus, Miſericordiâ in pauperes, Conſtantiâ, & Vitæ Sanctitate conſpicuus, Apologiam, triennio poſt deceſſum Honorii (cum videlicet manifeſta omnibus erant ea, quæ paulò ante contigerant) pro illo ſcripſit, retundens vecordiam Pyrrhi Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui, ſuæ fautorem Hæreſis fuiſſe Honorium, falsò jactabat. Interpretatur autem ejus mentem ab Explicatione illius, qui Honorio ab Epiſtolis fuerat, quique illas ipſas Literas exaraverat, quas pro ſe Pyrrhus afferebat; ideoque ſciſcitatus diligenter fuerat veram dictantis ſententiam, quam in Romano Concilio expoſuit: idemque Teſtis omni exceptione major habendus eſt, cum Univerſum Occidentem (ut inquit S. Maximus Martyr) doctrina, & Sanctitate illuſtraret.

1012 Sed nihil præclarius Dialogo, ſive ejuſdem Maximi Diſputatione contra Pyrrhum, Honorii famam ſtrenuiſſimè defendentis, cui Græco, ac Sanctiſſimo, & in plurimis oculato, Teſti certiſſima fides adhibenda eſt.

Neque verò omittendum, nulla a Paulo Diacono Aquileienſi, Teophane, Georgio Monacho, aliiſque antiquis, ejus res æui narrantibus, Scriptoribus de Honorio ſuſpicionem excitari.

Quamvis igitur ejus nomen reperiamus inter illos, qui damnantur a Sexta Synodo; inſertum tamen illud fuiſſe ab Æmulis Romanæ gloriæ, ne Tres tantummodo Conſtantinopolis Præſules Erroris coargui viderentur, mani-

manifeſtiſſimè liquet; ut Anaſtaſius Bibliothecarius in Hiſtoria ſua, ex Theophane Iſauro Græco Auctore, teſtatur.

Neque hoc mirum videri poteſt; cum nimis frequens apud invidos fuerit conſuetudo Sacros Libros corrumpendi: inque hac ipſa Sexta Synodo Act. 12. & 14. deprehenſa ſint plurima corrupta in Quinto Concilio. Et Leo in Epiſt. 83. ad Palæſtinos conqueratur de ſua ad Flavianum Epiſtola, ſe adhuc Superſtite, vitiata: & Gregorius lib. 5. Epiſt. 14. ad Narſen affirmet, corruptam a Conſtantinopolitanis fuiſſe Synodum Chalcedonenſem, & idem ſuſpicetur de Epheſina: atque addat Sanctiſſimus, & Græcorum amantiſſimus vir: ***Romani, ſicut non*** *acumina, ita nec impoſturas habent*. Nicolaus autem Primus, ipſe etiam, ut Leo, & Gregorius, Cognomento Magnus, in Epiſtola ad Michaelem, adempta quædam fuiſſe, indicat, ex Epiſtola Adriani ad Taraſium, inſerta Septimæ Synodo.

Si ergo Tertia, Quarta, Quinta, & Septima, Synodi vitiatæ ſunt, quid mirum, id Sextæ pariter contigiſſe: præſertim cum paulò poſt illam coacta fuerit Pſeudoſynodus Trullana a manifeſtis Eccleſiæ Romanæ obtrectatoribus?

1013 Sed jugulum Cauſæ petamus. Sexta Synodus plauſit Epiſtolæ Sancti Pontificis Agathonis Act. 8. & 18. & Patres exclamarunt: non tam Agathonem ex Urbe, quàm è Cælo Petrum per Agathonem loquutum fuiſſe. In ea verò Epiſtola, diſputans Agatho de Monothelitarum Hæreſi, affirmat, nullum ſuorum Prædeceſſorum unquam erraſſe: cumque ceteræ Eccleſiæ ſuorum

Ttt Præ-

Præſulum Erroribus fuerint inquinatæ, Romanam ſolummodo ſemper integram, illibatamque manſiſſe.

Hæc ſunt Agathonis, aut verius Petri, verba, lecta in ipſo Concilio ſeſſ. 4. *Hæc eſt Vera Fidei Regula, quam & in proſperis, & in adverſis vivaciter tenuit, atque defendit hæc Spiritualis Mater veſtri tranquilliſſimi Imperii, Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quę per Dei Omnipotentis gratiam a tramite Apoſtolicæ Traditionis nunquam erraſſe probabitur: nec hæreticis pravitatibus depravata ſuccubuit; ſed, ut ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab Auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata fine tenus permanet, ſecundum ipſius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem, quam ſuorum Diſcipulorum Principi in Sacris Evangeliis fatus eſt: Petre, Petre, inquiens, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret, ſicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Conſideret itaque veſtra tranquilla Clementia, quoniam Dominus, & Salvator omnium, cujus Fides eſt, qui Fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos, admonuit: quod Apoſtolicos Pontifices meæ Exiguitatis Prædeceſſores feciſſe ſemper, cunctis eſt agnitum.*

Et infra, cum enumeraſſet Agatho Hæreticos Monothelitas, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, ac Theodorum, ait: *Eximenda proinde, ac ſummis conatibus liberanda eſt Sancta Dei Eccleſia de talium Doctorum Erroribus, ut Evangelicam, atque Apoſtolicam Orthodoxæ Fidei rectitudinem, quę fundata eſt ſuper firmam Petram hujus B. Petri Apoſtolorum Principis.*

quæ

quę ejus gratiâ, atque præſidio, ab omni Errore illibata permanet, omnis Præſulum numerus, Cleri, & Populorum, nobiſcum confiteatur, ac prędicet.

Cum igitur affirmet Agathò, nec defeciſſe, nec porrò poſſe deficere, Catholicam Fidem in Sede Petri: adeoque Pontificem, ex Cathedra nihil unquam contra Fidem poſſe decernere: omneſq; Deceſſores ſuos, cumque his ipſum profectò Honorium, ſemper Hæreſibus obſtitiſſe: atque, hæc omnia veriſſimè, atque in Cælo a Petro fuiſſe pronunciata, Concilium aſſeveraverit: enimverò Anathema deinde dicere nequivit Honorio hæretico Synodus eadem, niſi ſecum ipſa pueriliter, nedum cum Agathone, pugnando.

Depravatum igitur Concilium fuit ab Hoſtibus urbis Romæ: ac pariter depravatæ literæ Agathonis ad Conſtantinum Imperatorem, & Leonis Secundi ad eundem: ac nihil eruitur ex iis, quæ Adrianus Secundus narrat, inhærens Actis Sextæ Synodi ab Hæreticis vitiatæ.

Quid, quod, licet ultro daremus, affirmari ab Adriano, accuſatum de Hæreſi fuiſſe Honorium, ut privatum Doctorem, nihil hinc Adverſarii lucrarentur; neque enim quiſpiam dicere auſus fuit, ab ipſo, vt Pontifice, atque ex Cathedra, fuiſſe propoſitam Eccleſiæ credendam Hæreſim; ſed ſolùm affirmarunt aliqui, quod ut Privatus homo Privatis Literis Hæreſim foverit.

Alias tuendi Sanctiſſimum Pontificem vias prudens omitto, licet plurimæ poſſint iniri; atque initæ præ ceteris fuerint ab Eruditiſſimo viro Franciſco Marcheſio Congregationis Oratorii Presbytero. 101 4 Illud ſolùm addo, quod Nicolaus Primus de Romanis Pontificibus

 ait

ait in Epiſtola ad Michaelem. *Hos enim nec tenuis ſaltem rumor aſperſit, aliquando cum prava ſapientibus ſapere: quantò minus concertare?* At quæ hiſce verbis conſtaret veritas, ſi non levi tantùm Erroris ſuſpicione fuiſſet aſperſus Honorius, ſed eidem etiam, ut Hæretico, dictum fuiſſet Anathema in publico, celeberrimo, ac frequentiſsimo Generali Concilio?

1015 Præter Sanctos autem Pontifices, Martinum, qui in Concilio Romano, celebrato ante Sextum Generale Orientis, damnat Sergium, Cyrum, Pyrrhum, & Paulum, nullatenus Honorium carpens: Ioannem Quartum, Theodorum, eundem Martinum, & Agathonem, qui ſummis illum præconiis efferunt: ac præter Latinos Auctores innumeros, & Græcos, Theophanem Iſaurum, qui, Catholicum perpetuò fuiſſe Honorium, affirmat, relatus ab Emmanuele Calæca in Libro pro Latinis: ac præter Zonaram in vita Conſtantini IV. 1016 Photius ipſe Vexillifer Schiſmaticorum, & Eccleſiæ Romanæ infenſiſſimus, in Libello de Septem Synodis, inquit: damnatos fuiſſe Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum; de Honorio autem nihil tale comminiſci audet.

1017 Quo autem pacto poſt interitum, quaſi deceſsiſſet in Hæreſi, condemnatus fuerit, qui Sanctus paſſim dictus fuit a ſanctiſsimis viris: ut a Beda lib. 2. hiſt. Anglorum cap. 17. 18. 19. & in vita S. Bertolphi, in qua hæc, præter cætera, verba ſunt. *Erat venerabilis Præſul Honorius, ſagax animo, vigens conſilio, doctrina clarus, dulcedine, & humilitate pollens.* Et infra. *Præbuit optatum munus Sanctus Papa Patri memorato Bertolpho, Privilegia ſcilicet Sedis Apoſtolicæ, quatenus nullus Epi-*

Epiſcoporum in præfato Cœnobio quolibet jure dominari conaretur?

1018 Emeritò quidem Sanctis, Divinæque gloriæ ſtudio incenſis Pontificibus Honorius accenſetur, qui Gregorii Magni egregius Imitator acerrimè inſectatus in Occidente fuit Arianos, eorumque Regem Ariovaldum deiici, ac reſtitui Catholicum Adalualdum connisus eſt: Hæreticum depoſuit Gradenſem Epiſcopum, aliumque ſuffecit integræ Fidei cultorem: ſuſtulit Hiſtriæ Schiſma: in Eduino Anglorum Rege mirificè aluit propagandæ Religionis ardorem: miſſo S. Birino, aliiſque Apoſtolicis viris, vim Ethnicorum ingentem Divina imbuit veritate; in Oriente verò eandem ſtrenuè tutatus eſt, difficillimis temporibus prudentiſsimè proſpiciens: ab ipſis Hæreticis obſequenter conſultus, at multò religioſius a Sanctis Epiſcopis, ut Sophronio Hieroſolymitano, qui ad eum ſuæ Fidei Confeſsionem miſit, rurſuſque adornata Romam Legatione Honorium admonuit de Una tantùm, quam in Chriſto prædicabat Cyrus Alexandrinus, Voluntate; hunc verò ſapientiſsimis Literis egregiè repreſsit Magnanimus Pontifex: Conſulares, ut hoc etiam addam, a Patre ſpiritus trahens, idemque Sacra Poeſi, multòque magis Theologicâ ſcientiâ clarus.

Nilus Theſſalonicenſis, devolutus a ſpe oſtendendi, allato Honorii, aut aliorum, Exemplo, quoſdam etiam Romanæ, ſicut aliarum Sedium, Antiſtites in Hæreſim lapſos fuiſſe, Davidem ſtolidè appellat, dicens: *Alioqui ſi ſic ſimpliciter, ac ſine omni exceptione, verum eſſet (nullum Romanum Pontificem erraſſe) quomodo illud dictum conſtaret: Omnes declinaverunt, ac noxij facti*

ſunt

ſunt: non eſt, qui benefaciat, non eſt uſque ad unum. Sed, heus tu, non de Fide, at de Moribus loquitur Regius Vates; neque enim inquit: Non eſt, qui benè credat; ſed: *Non eſt, qui faciat bonum. Nam in multis offendimus omnes.* Quod ſi de Fide ſermo eſſet, eâque excidere poſſent, contra Divinam Chriſti Domini Sponſionem, Succeſſores Petri, Petrus etiam ipſe, Ioannes, ceterique Apoſtoli, poſt acceptum quoque Divinum Spiritum, proruere in Hæreſim potuiſſent.

SIGNUM XIII.
Pontificum Maximorum ardor in aſſerenda Fide contra Ethnicos.

Apoſtolica Romanorum Pontificum, qui proximi fuerunt Apoſtolorum ætati, Magnanimitas in defendenda Chriſti Fide contra Ethnicos Imperatores. Abjectus autem Patriarcharum animus, nihil Apoſtolicum ſpirans ſub Tyrannis Turcarum, a quibus frequenter Sacras Inſulas emunt, ſeſeque invicem proruunt, & accuſant ante Barbarorum Tribunal.

1019 HOc Divinæ Prodigium Virtutis ita per ſe patet, atque emicat, ut illud innuiſſe ſufficiat, ad idem Lectorum animis inſinuandum, quos vel ſtoliditas non hebetaverit, vel non dementaverit Livor. An non enim nativa Apoſtolorum indoles promicat in perpetua Serie Trium, ac Triginta Sanctorum Pontificum, & Martyrum, qui ante Silveſtrum, datamque triumphanti in Religioſiſſimo Conſtantino Eccleſiæ Pacem, per annos ferè Trecentos Rem Chriſtianam ſtrenuiſ-

nuiſſimè tutati ſunt, proque illa omnes fuerunt affecti ſuppliciis?

1020 Ut alios omittam Quinque ac Triginta, qui ad Trigeſimum uſque Octavum ſupra Sexcenteſimum Chriſti annum Sanctitatis pariter laureâ conſpicui floruerunt, a pauciſſimis tantùm abruptâ hac continuâ claſſe Divorum: ut in his, inquam, non immorer, aliiſque deinde Novem, quos pacato funere ſublatos Sanctorum faſtis adſcripſit Heroica Virtus (difficillimè fulgens in iis, a quibus cum obeundæ ſint vices Divinitatis, præſtanda eſt prope Divina) quod Portentum eſt, tot pugnanti Eccleſiæ præfuiſſe prodigos innocui Sanguinis Duces: congreſſos omnes cum Romanis Cæſaribus: ac relatâ omnes Palmâ nobiles interiiſſe?

1021 Si ſuum ſolummodo Gregem curaſſent, ſoliciti, ne quid, commiſſa ſibi a Deceſſore, incommodi pateretur Chriſti Familia, inſigni laude donandi eſſent. Qua porrò prudentes admiratione ſuſpendunt, cum illam inter perpetua Prælia ſemper amplificare ſtuduerint: In Ethnicam, regnantem in Urbe, ſuperſtitionem ſemper invecti: novis illam ſemper cladibus afficientes: non ex Vulgo tantùm mortales illi adimentes; ſed ampliſſimos etiam Senatores: nobiliſſimos Aulicos: Militiæ Principes Euſtachium, ac Sebaſtianum: Virgines, quarum Nuptias anhelabant Conſules, ipſique Cæſares: ac Decii Conjuges, & Diocletiani?

1022 Maximi Pontifices Idolorum dicebantur illi ipſi, qui rebus humanis præſidebant, Imperatores. In hos inſurgere potuiſſe Pontifices Maximos Chriſtianorum, nulla vi, armis nullis munitos, ſed vitæ ſolùm profuſione

ne quærentes immortale Regnum, Manifeſtum fuit, atque Perpetuum, eoſdem animantis, Miraculum Divinitatis.

1023 Præſertim verò cum eadem Conſtantia omnium animum obarmaverit, & elatum ab illis Vexillum ſequuta fuerint fortiſſimorum agmina Bellatorum innumera: videlicet Decies ſupra Centies Centena Martyrum Millia.

1024 Unus, qui animum primò deſpondiſſe fertur, Marcellinus, licet aliorum decus videatur atterere, mirificè tamen illud amplificat; cum in illo tormentorum metus oſtenderit, quid præſtitura in aliis fuiſſet humana imbecillitas, niſi Divina Virtus ſuum in terris Munus obeuntibus ſingulari patrocinio adfuiſſet. Anſam præterea dedit hoc infortunium Sinueſſano Concilio Supremum exhibendi cultum, quo proſequi decet Sacerdotem Regalem, cum poſt Marcellini gemitus, quæſitamque ab illo pœnam immanis reatus, exclamaverit: Tu tibi ipſi ſupplicium irroga; nam *Prima Sedes a Nemine judicatur.* Et ad illud quidem Senex Optimus convolavit, Diocletianum conveniens, quem graviſſimè reprehendit, eò quòd ſe ad ſacrilegum thus adolendum Simulachris Dæmonum impuliſſet: eundem in ſe violentius concitare ſtudens, ut omnia ſuum in corpus genera tormentorum Princeps Carnifex experiretur. Neque huic igitur Corona defuit, qui, licet metu correptus procumbere viſus fuerit ante Aram Apollinis, Fidem tamen animo retinuit: ut olim Petrus negans, cognitum ſibi eſſe Magiſtrum ſuum: neque certè quidquam contra illam definivit, aut credendum propoſuit.

Apoſ-

Digitized by Google

1025 Apoſtolica patuit Romana Cathedra in eorum Conſtantia, qui eidem inſederunt. Contra verò quid ab Apoſtolis hauſiſse videntur Schiſmatici Patriarchæ, ferè nunquam cum infectis eodem Schiſmate Cæſaribus pugnare auſi, imo illis probroſiſſimè lenocinati: ac proſequuti Photium Impietatis Coryphæum, qui a comprobato Bardæ Adulterio Rebellionem fuit auſpicatus?

1026 Poſt occupatam autem a Tyrannis Turcarum Conſtantinopolim quis Apoſtolici animi vigor unquam exarſit in animis Præſulum Romæ rebellium? Quis illorum Mahometi negotium faceſſivit? Quis contra illum Apoſtolica tonuit libertate? Ullum quis illi palam cultorem abripuit?

1027 Tenuiſſima ſufficeret virtus Conſtantinopolis Antiſtitibus ad ſuum utcumque munus obeundum, cum vix unquam Barbari cogant adultæ jam ætatis Orientales homines, ac præcipuè Præſules, ad Chriſti Religionem ejurandam: perinde ac olim ad id a Romanis Imperatoribus Chriſtiani generatim omnes urgebantur. At neque hæc informat qualiſcumque virtus pleroſque Conſtantinopolitanos Patriarchas, qui ſuas proſtituunt Infulas, eas frequentiſſimè licitati ab Aulæ Ottomanæ Miniſtris, a Pellicum Principi acceptiſſimis, ipſoque Raptore Orientalis Imperii.

Neque, redimi a ſe Vexationem, deblaterent: quo pacto compulſi aliquandiu ſunt Romani Pontifices, oblatâ Hæreticis Italiæ Regibus, & quibuſdam Orientis Imperatoribus, pecuniâ, vim impiam amovere, qua, licet legitimis electi ſuffragiis, Sacrum ad Solium evehi

fuiſſent prohibiti. Nihil ſolvebatur a Romanis, ut unus alteri præferretur a Principe: ut nimiùm quantum in Oriente contingit, ubi plerumque non Synodus Epiſcoporum, ſed Arbitrium Viſirii, vel Pellicis, huic, vel illi, Patriarchatum adjudicat. Ac leve negotium eſt, quemlibet è Cathedra deturbare, ſi plures auro refertæ crumenæ ab altero exhibeantur. Nec rarò contingit, plures Patriarchatu perfunctos eſſe ſimul ſuperſtites: adeo ut nuper Septem, qui ſe mutuò pauca intra luſtra a Sede vi nummorum dejecerant, ætatem ſimul agitaviſſe perhibeantur.

An non ſtrenuè ab his peccatur contra Pauli præceptum, jubentis, ne ad Impiorum Tribunal Fratres traducantur? An non Sacroſancta Chriſti Religio ludibrio, ac ſibilis Mancipiorum Tartari objectatur? Non hæc in os ingerimus iis, quos amantiſſimè alloquimur, ut ſub miſera ſervitute gementibus inſultemus; ſed ut animadvertant, Veram Chriſti Eccleſiam non eſſe illam, quæ Apoſtolicæ Conſtantiæ, ac Magnanimitatis, Teſſerâ non inſignitur.

SI-

Digitized by Google

SIGNUM XIV.

Immutatus Divinitus quorundam Pontificum Animus.

Apoſtolorum Conſtantia, Divinitus infuſa illis, qui ante Pontificatum indulgentem Erroribus inductionem animi oſtenderant, ut Vigilius, Apoſtolicam eſſe docet adminiſtratam ab illis Eccleſiam.

1028 STatuimus, a nullo, dum Petri Navis Clavum moderaretur, impulſam ad Syrtes, aut Scopulos illam fuiſſe. Prodigium hoc exaggeratur ex eo, quod antequam Divinæ huiuſce Ratis Magiſterium ſuſciperent, eorum nonnulli eidem temperandæ impares, imo etiam inſano ſubeundi Naufragii ambitu incenſi, videbantur.

Cum plurium Exempla poſſent afferri, in uno Vigilio hærendum eſſe, cenſemus, in quo præparatus ante ad omne dedecus, ac deinde, poſt acceptum legitimè, quod prius violenter invaſerat, Regimen Apoſtolicæ Navis, mutatus extemplò animus Divinam in ſe triumphantem virtutem exeruit.

Eâ fuit nobiliſſimus, & Patre Conſule natus, Iuvenis ſiti Pontificatus incenſus, ut miro primùm artificio Bonifacium Secundum adegerit ad ſe Sacri Succeſſorem Imperii renunciandum: quod Decretum deinde Bonifacius idem improbavit in Synodo: atque illius decedentis locum juſtis electi Suffragiis Ioannes Secundus, Sanctus Agapetus, & S. Silverius impleverunt. Vigilius interim,

invidiæ, ac furiarum æſtu flagrans, in Theodoræ Auguſtæ gratiam Conſtantinopoli irrepſit, a qua, oblato ſibi auro, ac ſpe conſequendæ ope Cæſarea Sedis Apoſtolicæ, illectus, nefaria plurima eidem ſpopondit, ac præſertim Confirmationem Anthimi Hæretici Patriarchæ. Romam autem regreſſus, & imperantem nactus Silverium, illum per ſummam Calumniam inſimulavit, quod Romam, & Beliſarium, in poteſtatem Gothorum tradere moliretur: quo nomine Theodora per eundem Beliſarium Pontificatu deiici Silverium præcepit, & Monachi habitu indutum in exilium amandari. Sed graviter ob hoc non vetitum facinus objurgato Imperatore a Pataræ Epiſcopo, juſſoque proinde ſuæ Sedi reſtitui Silverio, Vigilius excandeſcens, omniſque Divini, & Humani Iuris contemptor, iterum a Beliſario extorquet ſuæ poteſtati traditum innocentiſſimum Chriſtianorum Patrem, &, uſurpatis Pontificiis Inſignibus, exulare iterum Silverium cogit, ærumnis conficit, & fame quamprimùm enectum extinguit.

Sacris prohibitus a Silverio fuerat Vigilius; neque tamen ab inſania reſilierat. Illius egregii Fidei Teſtis, qui Auguſtæ odium ſubierat, eò quòd Hæreticum Anthimum reſtituere abnuiſſet, mortem Religionis cauſâ obitam Divina Prodigia coronarunt: & in ejus ultionem magnæ Orientis Imperium ruinæ concuſſerunt: quibus auditis Vigilius nequaquam ſeriò reſipiſcens, ſed aſtu ſagaci, ac velut in Scæna ludens, ſeſe Pontificatu, quem, per vim, & nefas occupaverat, abdicavit: futurum ratus, ut idem ſibi ab iis, quibus ferendi Suffragii jus erat, ultro iterum deferretur.

Ac

Ac delatus quidem Divino conſilio fuit. Quid autem ab hujuſmodi homine, diris a Pontifice Martyre jam devoto, ejuſdem nequiſſimo primùm Calumniatore, ac deinde crudeli Parricida, viliſſimo Hæreticæ Principis Adulatore, omniſque probri, ac reſtituendi præſertim Anthimi Sponſore deterrimo, ſperandum erat? Reponendum videlicet in Conſtantinopolis Sedem illum Catholicæ Fidei Prævaricatorem, magnumque aliquod eidem Fidei vulnus infligendum, comprobatâ Eutychianâ Hæreſi,cui nomen cũ Anthimo dederat Auguſti Conjux.

1029 At ſecus omnino contigit, cumque Infulis rite ſuſceptis Sacerdotalem,verèque Apoſtolicum animum Vigilius induit. Ut omnem Theodoræ ab animo ſpem expungeret impiæ Promiſſionis implendæ, Sacrum iterum illico Excommunicationis fulmen intorſit in Anthimum, ejuſque Collegas: ac Sententiam in illos a ſuis Deceſſoribus latam ampliſſimè confirmavit. Iuſtiniani Legatione, & Catholicam profitentibus Fidem Literis exceptis, eidem, & Mennæ Patriarchæ,reſpondit, eos in Hæreticos Cæleſti Spiritu inflammans:expulit ſtatim ab Urbe omnes, quos aliqua favendi Ario ſuſpicio afflabat,inque Gothos Arianos impulit Beliſarium: Galliarum ſaluti conſulens, ſuum in eo Regno Vicarium conſtituit Aurelianum Arelatenſem: 1030 Conſtantinopolim invitatus non ſine ſpe, quam fovebat Auguſta, extorquendi a præſente, quæ diſtans obfirmato animo præſtare abnuerat, eandem ibidem exhibuit Pontificii pectoris ſtrenuitatem: ſummo ab Imperatore cultu exceptus, & ad Templum deductus, concinente Sacerdotum Choro: *Ecce advenit Dominator Dominus*: moleſtiſſimis, ac penè

arma-

armatis, precibus obſeſſus, ut revocari Anthimum pateretur, conſtanter negavit: & non Iuſtinianum, ac Theodoram, pios Principes; ſed Diocletianum, & Eleutheriam, a ſe in Urbe Cæſarea fuiſſe inventos, exclamavit: Zoilum Alexandrinum, qui ſuo ex parte muneri defuerat, coarguit: quæque ad Apoſtolicæ Cathedræ decus pertinent, ſtrenuè omnia, & magnanimiter fuit exequutus.

Quamvis in celebri de Tribus Capitulis Controverſia, nihil Chalcedonenſe Concilium, aut Fidem lædi animadvertens, adhæſerit Occidentalibus, & clam ſubſcripſerit Edicto Iuſtiniani ad Schiſma prohibendum: ſilentio diſputationi huic impoſito uſque ad proximamSynodum Generalem;nullatenus tamen a Pontificia Conſtantia dejectus eſt; licet ob hoc illum ſilentiumaliqui inſimulaverint, ac præſertim Sebaſtianus, & Ruſticus, Diaconi, qui plurimos criminosè in illum concitarunt.

1031 Sed quàm egregiè Fidem tueretur, ubi ſilentium prudentia non exigebat, experta fuit Theodora, quoſque ipſa violento Patrocinio tegebat, Hæretici: expertus ipſe Auguſtus, quo minas intentante Sacrum ſe in Templum Vigilius recepit; experti Theodorus Epiſcopus Cæſaræenſis, quem Communione Sacrorum, & Munere Paſtorali prohibuit: quemque ab illo ſuſpendit, Mennas Conſtantinopolitanus cum adhærentibus eidem Præſulibus.

1032 Flagrante quotidie magis Sacrilegi Imperatoris furore, Chalcedonem ad Baſilicam S.Martyris Euphemiæ Vigilius confugit, ubi Apoſtolico planè ſpiritu res Eccleſiæ procuravit: quod admiratus Cæſar honorificam ad illum Legationem miſit, ut Conſtantinopolim regredi di-

dignaretur; ſed, præſtare id, recuſavit, deque hoc omnes admonuit per Encyclicas literas, niſi antea Iuſtinianus a ſe publicata Edicta de medio ſuſtuliſſet. Hoc autem ille obſequenter peregit: ac Pontificios ad pedes Mennas, & Theodorus, in conſortium amanter recepti, acciderunt: ut etiam paulò poſt, è vivis ſublati, Mennæ Succeſſor S. Eutychius.

Quæ verò pro celebranda Quinta, cui coram, æquiſſimis de cauſis, intereſſe noluit, Synodo, præclarè geſſit, & habitos ipſi ab eadem Synodo, debitos Chriſti Vicario, honores ampliſſimos, ubertim in Opere de Generalibus Conciliis pertractabimus.

Sacerdotalis interim Conſtantiæ Prodigium in Vigilio Divinitus immutato ſuſpeximus, qui Exilium ad finem uſque vitæ pro Religione fortiſſimè toleravit: dilucidè oſtendens, prævaricari profectò Fide non poſſe Romanum Pontificem, cum rectiſſimâ ipſe inceſſerit ſemitâ, qui præparatum antea ad Prævaricationem animum infeliciſſimè præſetulerat.

SI-

SIGNUM XV.

Apoſtolicus vigor Præſulum Romanorum contra Hæreticos, & Saracenos.

Indoles Apoſtolica vigens in Romanis Pontificibus, vexatis ab Hæreticis Italiæ Regibus: ab Orientalium, & ſæpe Hæreticorum, Cæſarum Exarchis: a depopulantibus Italiam Saracenis: & Romæ frequenter obſeſſis.

1033 HÆc etiam Apoſtolicæ planè Conſtantiæ Prodigia curſim innuimus, & ſuprema ſolùm, quæ abundè explicari poſſent, rerum capita, vel Epigraphen indicamus. Magis arduum aliquando fuit, Hæreticis obſiſtere, quàm Idololatris: Utrumque autem ex æquo præſtitit Heroica Maximorum Pontificum virtus.

1034 Neque verò Barbari per Italiam graſſati: neque iidem obſidentes Urbem: neque Populus, & Conſules, qui aliquando ad omnem licentiam, & impietatem projecti egerunt extorres, aut carceri manciparunt, Sacroſanctos Eccleſiæ Divinæ Paſtores: quidquam unquam ex iis, quod Fidem, aut Sanctiſſimas læderet Morum Leges, extorſerunt.

1035 Admirationem omnem ſupergrediuntur Portenta Cæleſtis animi, quo vel inquinatos Hæreſi, vel ſe temerariè Sacris rebus ingerentes Imperatores compeſcuerunt eximii Reparatoris Noſtri Vicarii, Hormiſda, Felix Tertius, Agapetus, Silverius, Vigilius, Pelagius, Gre-

go-

gorius Magnus, Honorius, Martinus, Conon, Sergius, Gregorii, Secundus, ac Tertius, Zacharias, aliique plurimi.

1036 Ut de ultimis ſolùm aliquid delibem, qui floruerunt poſt inſertam particulam *Filioque*, mira ſunt exempla Conſtantiæ, qua Conon Thrax, & Sergius Antiochenus, obſtiterunt Iuſtiniano Secundo, flagranti ardentiſſimis votis Pontificiam Trullanæ Pſeudoſynodi Confirmationem: quaque reliqui in Cæſares, ac Patriarchas Iconomachos invecti ſunt.

SIGNUM XVI.

Mirifica Conſtantia fulgens in Pontificibus Græcis, aut Conſtantinopolim delatis.

Prœmijs, aut Supplicijs vinci neſcium ſtudium Veritatis, & Iuſtitiæ propugnandæ in Pontificibus natione Græcis, quos Imperatores eligi curarunt: vel alios non Græcos Conſtantinopolim duci, ut perperam uſurpata, vel ſtudioſiſſimè quæſita, illius Sedis Privilegia confirmarent: apertiſſimè oſtendit Apoſtolicam Firmitatem.

1037 QUæ obiter attigimus de Conone, ac Sergio, ad allatum ſuperius Veritatis Argumentum confirmandum, hujuſce alterius, profectò non contemnendæ, Notæ ſpeciem animo ingeſſerunt. Qua contentione votorum Conſtantinopolitani plurimi Præſules, ac Cæſares ambiverint, Sacram illam Sedem ceteris Orientalibus omnibus anteferri, atque ipſi etiam Romanæ, ſaltem titulo tenus, exæquari, liquet ex dictis in Pri-

mo, ac Tertio Libro. Quanto præterea ſtudio ſuorum, Antiſtitum gloriæ conſuluerint Imperatores, ac præſertim amplificando, vel ſaltem tuendo honori Anatolii, Acacii, Anthimi: quo demum æmulationis ardore Latinæ frequenter Eccleſiæ Ritus impetiverint.

1038 Cum autem ab exortis Romæ, vel ſaltem in Occidente, Pontificibus extundere nihil unquam valuiſſent, id ſe conſequuturos, opinati fuerunt, ſi Græci ad Petri Solium extollerentur, aut ſi ceterorum aliqui Cæſaream Urbem adirent. Sed irritus planè conatus fuit; neque enim aut amor Natalis ſoli, aut blanditiæ, ac minæ, quibus in Aula circumventi ſunt, ullatenus invicti, & Apoſtolici pectoris Generoſitatem labefactarunt.

1039 Præter Cononem, ac Sergium, ex Græcis eligimus Theodorum, natum quidem Hieroſolymis, ſed poſtquam Græca lingua, & Ritus, ſacrâ illâ in Urbe uſurpabatur. Incidit is in Conſtantis Secundi Imperatoris inſaniam, qui edito audaciſſimè Decreto Fidei, quod Typum appellavit, Monothelitarum Hæreſim, ſimul cum Paulo Conſtantinopolis Antiſtite, omnium animis inſerere fuit aggreſſus: dejecit a Sede Catholicos Præſules, ſuæque Perfidiæ aſſeclas Sacris omnibus, & Profanis Magiſtratibus admovit. Sed coacta Synodo Pontifex Cæſareum Typum damnavit: perque ſuos in Orientem ſubmiſſos Apocriſarios Formam intemeratæ Religionis contra hunc ipſum Conſtantis Typum, & paulò ante publicatam Heraclii Ecteſim, indixit: a qua recedentes Anathemate percelli decrevit. Cum ampliſſima poteſtate ſuum conſtituit Vicarium Stephanum Dorenſem Antiſtitem ad Hæreticos Epiſcopos deponendos: quod

ille

ille ſtrenuè præſtitit; licet difficillimis Eccleſiæ temporibus ſub Imperatore Monothelita: qua peſte pariter laborabant Paulus Patriarcha Conſtantinopolis, & Petrus Alexandriæ; Antiochenus autem, & Hieroſolymitanus extincti fuerant a Saracenis. Qui Regali Urbi Antiſtes præfuerat Pyrrhus, & ab illa fuerat pulſus, cum exularet in Africa, veritati ſuccumbens poſt Diſputationem Chartagine habitam cum S. Maximo Martyre, Romam deinde ad Pontificios pedes acceſſit, exceptus humaniſſimè a Theodoro, ſuæque Eccleſiæ reſtitutus, ejecto Paulo intruſo: veluti pulſus deinde iterum fuit Pyrrhus ipſe, regreſſus ad vomitum, contra quem ſententiam ſcripſit Pontifex infuſo Divino Sanguine in atramentum.

1040 Quam a Conone, ac Sergio Græcis Pontificibus exprimere nequiverat Iuſtinianus Secundus Pſeudoſynodi Trullanæ Confirmationem, extorquere tentavit a Ioanne Sexto, aut Septimo, a Siſinnio, aut Conſtantino, qui omnes origine Græci, aut in Syria Sacris more Græcorum aquis abluti Pontifices fuerant. Sed quamvis & honorificas ad illos Legationes ornaverit, & per Militiæ Duces vim illis aliquando inferre tentaverit, nullum ſacrilegæ operæ pretium retulit.

1041 Mirabili etiam Providentiæ Divinæ conſilio Callinicus Patriarcha, Trullanæ Pſeudoſynodi, & Canonum in ea conditorum Auctor, orbatus oculis ab Imperatore, quem ad vexandos Romanos Antiſtites incitaverat, Romam venire compulſus eſt, a Hierarcha Sacrorum ſtipem quæſiturus, quem deprimere audaciſſimè fuerat adortus.

1042 Cum compertiſſimum iis etiam eſſet, qui

Romanæ Cathedræ decus atterere nitebantur, nullo in pretio fore Canones illos, niſi pondus eiſdem adderet Auctoritas Apoſtolicæ Sedis, anno 705. (uno videlicet jam elapſo Seculo poſt, ſomniatum nunc a Schiſmaticis, lapſum Romani Antiſtitis ab Univerſæ Eccleſiæ Præfectura) per duos Metropolitas flagitavit Iuſtinianus a Ioanne Septimo, genere Græco, ut, rejectis iis Trullanæ Synodi Decretis, quæ improbanda cenſeret, cetera ſancire dignaretur; ſed nihil evicit.

1043 Nec adventus Conſtantini Pontificis in Syria nati ad Urbem Cæſaream, neque vniverſi Populi, ac Senatus occurſus, neque procumbens ad pedum oſculum Imperator, optatiſſimam Confirmationem obtinuit.

1044 Quid hic ceterorum Græcorum Pontificum Gregorii Tertii, ac Zachariæ, in Iconoclaſtas Cæſares ardorem repræſentem? 1045 Quid Sanctorum Ioannis, & Agapeti, conſtantiam planè Divinam, qui, licet Itali, Conſtantinopoli tamen obſeſſi fraudibus, & violentiâ Theodoræ Auguſtæ, atque Anthimi Patriarchæ, ne latum quidem unguem a Cæleſti ſemita prævaricati ſunt? 1046 Quid Martini, qui cum Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum in Romana Synodo, vnà cum Ectesi Heraclii, & Conſtantis Typo, damnaſſet, in Inſula Naxo per annum peſſimè habitus, & Conſtantinopoli injuriis affectus, & Carceri traditus, fortiſſimè reluctatus eſt impietati: ac exul occumbens in Cherſoneſo, Signis innumeris Divinæ virtutis, & vivens, & poſt triumphalem mortem inclaruit?

S I-

SIGNUM XVII.

Apoſtolica Fides a Romanis Pontificibus per Orbem terræ diffuſa.

Apoſtolica lucet Eccleſia Romana ex Fide per Univerſum Terrarum Orbem, ſtudio Romanorum Pontificum, miſſis ad omnes Gentes Veritatis Præconibus, propagata: & ex vi efficaci in animis ad cultum Veri Numinis alliciendis.

UT ſonat ipſum nomen ex Græca vocis Interpretatione, Apoſtoli dicendi ſunt, qui Nuncii miſsi a Divino Rege Cæleſtium Oraculorum doctrinâ mortales erudiunt. Hoc autem per alios etiam præſtari poteſt: neque aliter fieri decuit a Sacerdotum Principe, cui meritò id aptatur, quod de Sole dixit Minutius Felix: *Cælo affixus, ſed terris omnibus ſparſus*: è Romano videlicet Cælo, cui ſemper ipſum intereſſe, opportunum eſt Chriſtianæ Rei, per miſſos a ſe Apoſtolicos viros terrarum Orbem imbuit Evangelica Luce.

1047 Hinc præcipuè Apoſtolica patet illius Cathedra, quæ hac laude Fidei ubique gentium diſſeminatæ ceteris omnibus adeo præcellit, ut multò plures per ipſam tantummodo populi donati ſint Veritatis notitiâ, quàm per aliarum omnium Sedium Antiſtites in unum coactos.

Anſa nobis alibi oblata fuit innuendi, Moſchos tantummodo a Schiſmaticis Præſulibus ad qualemcumque in Chriſtum Religionem vocatos fuiſſe, cum antea colerent Deorum inanium Simulachra. Schiſma ceteroqui,

qui, & Hæreſis, a Catholica quidem Fide plurimos avertit, ſed Novos Chriſto Filios nequaquam parit; ideoque ingenioſè ab Auguſtino lib. 13. contra Fauſtum cap. 12. *Perdicibus* comparatur, congregantibus pullos, quos non pepererunt: cum contra Vera Eccleſia ſit *Columba fæcundiſſima*, novos quotidie filios pariens.

1048 Conferta hìc enumeratione redundare poſſet oratio; ſed innuere tãtùm præſtat Populos quoſdam, quos ipſi Magdeburgenſes Hæretici non abnuunt, a Romanis Pontificibus fuiſſe vocatos ad Chriſtum: Anglos per Auguſtinum, & ſocios a Gregorio Magno legatos, per Palladium Scotos, per Patritium Hibernos: quibus deinde præclaris Inſulis plurimùm profuit S. Sergius Antiochenus, luſtralibus aquis perfundens Ceaduallam in Britannia Regem, qui Romam hoc conſilio venit: idemque S. Vvillebrordum miſit in Phryſiam, a ſe conſecratum Epiſcopum: Cæleſti prius Viſo ad hoc præſtandum impulſus: velut etiam ad S. Hubertum Leodio Præſulem præficiendum.

1049 Iuvat, in Græcis Pontificibus immorari, ex quibus Conon Apoſtolatum ad Francones Sancto Martyri Chiliano præſcripſit: ac, præter Italum Gregorium Secundum, cui ſuæ felicitatis initium debet Germania, eadem ferè tota noſtræ ſalutis Aſſertorem agnovit ope Gregorii Tertii, ac Zachariæ, Græcorum Pontificum.

1050 Mitto, quos Honorius Populos per Birinum, quoſque Martinus per alios: Vvandalos mitto, Bulgaros, Sclavos, Polonos, Danos, Moravos, qui ab urbe Roma Fidei Magiſtros acceperunt: Boemos, & Hungaros, quibus Sanctus Imperator Henricus, Sanctuſque Stephanus

Rex,

Rex primos a Romana Sede Antiſtites impetrârunt:
Norvegos ab ipſo Adriano Quarto ante Pontificatum,
miſſu Eugenii Tertii, Divinitatis cultum edoctos: mitto
Quinque ac Viginti Saracenorum, ac Iudæorum millia, à
S. Vincentio Ferrerio Ordinis Prædicatorum in variis
Europæ Provinciis ad Chriſtum allecta.

1051 Quæ verò ſpectant Orientem, quæque Occidentem Solem, ac Septentriones, Indiæ, adeoque Nouus, antea deliteſcens, Veteri additus Orbi Terrarum, non niſi ab urbe Roma Divinæ Præceptores Legis accepit.

5052 Et Apoſtolica igitur hinc lucet Eccleſia Ro-
mana, & eadem Vera hinc fulget Eccleſia, cujus doctri-
nam *convertentem animas* dixit Regius Vates Pſal. 18.
Hæc autem Veritatis, & quidem ſummopere arduæ, in
mortalium animos inſinuatio manifeſtiſſimum argu-
mentum eſt Divinæ Virtutis, ut docet Athanaſius lib. de
Humanit. Verbi, ac Theodoretus lib. de Legibus; 1053
cum contra Philoſophi Veteres, magnæ Sapientiæ oſten-
tatores, ſummâque eloquentiâ præditi, vix ſuæ ipſorum
Patriæ Leges præſcripſerint, quibus ne vicina quidem
Oppida ſubdere potuerunt. Emortuus enim erat, quia
humanus, eorumdem ſermo; ſed eorum, quos miſit Apoſ-
tolica Sedes, erat Divinus, ideoque *Sermo vivus, pene-
trans uſque ad Diviſionem animæ, ac Spiritus*: ut in-
quit Paulus ad Heb. 4.

SIGNUM XVIII.

Modus, quo nunc etiam eadem Fides Romanorum Pontificum ſtudio propagatur evidenter oſtendit, eandem eſſe Apoſtolicam.

Ut ex Modo Fundationis Apoſtolica nituit Eccleſia Romana, ita etiam ex Modo Propagationis: videlicet non inani ſcientiâ, Vi, aut indultâ Morum Licentiâ; ſed Spiritu Divino, Miraculis, Prophetico lumine, ac obitâ pro Chriſto morte.

1054 UT *iiſdem artibus conſervantur Imperia, quibus initiò parta ſunt*, ex prudentis illius Hiſtorici pronunciato: ita iiſdem, quibus conſtituta fuerunt, Artibus Imperia propagantur. Hoc de Divini hominum in animos Imperatoris Regno affirmare licet, cujus Doctrinæ, ac Legum Arduitatem cum expenderimus Signo 3. atque ex eo Argumentationis fonte confecerimus, Divinam planè fuiſſe virtutem, quæ mortalium eandem Doctrinam, & Legem, animis potuit imprimere: pronum nunc eſt, oſtendere eandem in amplificata ubique terrarum Chriſtiana Fide admirabilitatem.

Quod ſi Modus, quo eadem per Apoſtolos primò inſita cordibus fuit, Prodigiis plurimis redundat, ut evicimus Signo 4. ita Miraculis affluit Modus, quo deinde innumeris Gentibus fuit infuſa per Apoſtolicos viros.

1055 Illuſtris poſſet inſtitui Comparatio inter Vetuſtæ

ac Recentis propagationem Eccleſiæ. 1055 Sed innuiſſe ſufficiat: non Arma in Barbaris Europæ Regnis, non in Aſia, vel America: 1056 Non fucatæ præſtigias Eloquentiæ, cujus leporem, ac nervos, & Populi plerumque rudes faſtidiviſſent, & linguarum, quibus utendum Concionatoribus erat, Barbaries ferre non poterat: 1057 Non eorumdem Fidei Præconum Potentiam, quæ nulla erat: non Generis Nobilitatem, qua vel iidem carebant, vel incognita, aut nullo in pretio Auditoribus erat: adeoque *non multos Sapientes, non multos Potentes, non multos Nobiles*, ut inquit Paulus, ſed *Ignobilia, & Contemptibilia mundi* electa Divinitus fuiſſe ad Tyrannicum Sathanæ Imperium in Univerſo Terrarum Orbe per Apoſtolicos Romanorum Pontificum Nuncios evertendum.

1058 Cum autem nullo humano præſidio conniſi fuerint, & plurima offenderint, quæ iis moram objecerunt, præcipuè verò perditos Mores Chriſtianæ Severitatis fræno coercendos: enimverò ſua ſpe fraudati fuiſſent, niſi Præſens, & Manifeſta Divinitas vim efficacem eorum verbis, editis Miraculis, & impletis futurorum Præſenſionibus addidiſſet: & Martyrum Sanguine, qui Semen eſt Chriſtianorum, Recentium Eccleſiarum horrea fœcundaſſet.

ANACEPHALEOSIS,

Qua breviſſimè innuentes explicata in hoc, aliiſque Libris Veræ Eccleſiæ Signa, quorum ferè ſingula ſufficerent ad Veritatem aſſerendam, manifeſtè conficimus: tam apertè ab omnibus in unum confluentibus Divinam Conteſtationem promicare, ut jure ad Deum exclamare poſſimus:
Domine, ſi Error eſt, quem credimus, a Te decepti ſumus.

BReviſſimè, inquam, ex allatis hucuſque Veræ Fidei Signis ſolummodo quædam innuimus; neque enim ſingula repetimus, ac redordimur: neque ſuam cuilibet illorum vim, veluti Haſtæ amentum, ſuperaddimus. Ad hoc perficiendum duplò major neceſſaria eſſet hujuſce Operis moles; cum vix uniuſcujuſque Signi naturam, & robur, explicuerimus, nihil Amplificationibus indulgendo.

Ab ipſorum ferè ſingulis Catholicam Veritatem oſtendi, affirmavimus; nam, ut prætermittam Miracula, impleta Vaticinia, Conjunctionem Sapientiæ cum Sanctitate in Romanæ ſolùm Eccleſiæ filiis, Mirabilem Propagationis Modum, aliaque palmaria Argumenta: & a Primo tantùm ex Centum, quæ recenſuimus, exempla petam: an non, cum Unam tantùm eſſe Veram Eccleſiam neceſſe ſit, prudentiſſimè conficimus, hanc Veram eſſe Romanam, ex eo, quòd ipſa tantummodo Unum, idemque Adſpectabile Caput, Religionis Magiſtrum, & ad Cælum Ducem, venerata perpetuò fuerit; cum contra Se-

Sectæ, vel Nullo Capite munitæ, vel Multiplici degenerantes in Monſtrum, blandiri ſibi prudenter nequeant, Unum tantùm, adeoque Verum, eſſe Sodalitium ſuum, adhibens Uni Divinitati rationabilem cultum?

Iam verò ſi Romana Eccleſia non hoc tantùm nomine eſt Una, ſed etiam quia innumeris Argumentis patet illa eadem Antiquiſſima, quæ in Adamo ſperare incæpit Venturum humani generis Reparatorem, quem deinde ſuo terras Adventu dignatum Apoſtoli prædicarunt. Si nullam in eam irrepſiſſe Novitatem Græca generatim Eccleſia per annos Mille profeſſa fuit, cum Sanctis omnibus Græciæ Patribus, atque Octo Generalibus Synodis in Græcia celebratis. Si Diuturna, Conſtans, nec unquam abrupta Duratio maximum illi pondus addit Auctoritatis, ac validiſſimæ Præſcriptionis. Si hac penitus carent Sectæ omnes, quarum Auctores, Initia, Progreſſus, & plurimarum Interitum ſcimus: velut etiam certò comperimus manifeſtam Iniquitatem (quæ præſcribere nunquam valet) Rebellionis ab Una Vetuſtiſſima Eccleſia. Si hanc ipſi Rebelles Iniquitatem frequentiſſimè profeſſi ſunt, nefarios ſuos conatus irritando, & ad Antiquam Eccleſiam redeundo. Si apertiſſimè liquet de Novitate Errorum, quos amplexi ſunt Romanæ Eccleſiæ Perduelles. Si eorumdem Certamina inter ſe in ſuis Opinionibus explicandis dilucidè oſtendunt, Unam non eſſe, ideoque nec Veram, ipſorum Fidem: contra verò ſummus inter ſe Membrorum Romanam Eccleſiam conſtituentium, & eorumdem cum Capite Nexus, Unam ipſam, adeoque Veram, eſſe, demonſtrat: enimverò prudenter adeo, etiam ex hu-

manæ Rationis ductu, ſtatuimus, Veræ nos Eccleſiæ gremio foveri, ut Unicum Deum obſequenter compellare cum Ricardo, universâque Theologorum Scholâ poſſimus: *Si verus hic Tibi præſtandus Cultus non eſſet*, quem Unicum, a te inſtitutum, Uniformem, atque Perpetuum, eſſe, tam aperta, ac multiplici, ex Hoſtium etiam teſtimonio, ratiocinatione conficitur, *Tu ipſe nos in Errorem induxiſſes*.

His quidem, quas Primo Libro tradidimus, Veræ Eccleſiæ Notis Hæretici, ac Schiſmatici præcipuè debellantur. Sed eædem Ethnicos quoque, ac Mahometanos evertunt, quorum Impia Novitas compertiſſima eſt. Sed, quas Secundo incluſimus Libro, utcumque præſertim contra Schiſma in aciem direxerimus, omnes tamen Divinitatis, & Chriſti, hoſtes Manifeſtæ Inſaniæ coarguunt. Ac tela quidem magis lethalia eorum animis infigunt, cum ceteræ omnes Sectæ magis a Romanæ Religionis Sanctitate recedant, quàm miſerum Schiſma.

Quæ vis ad Veritatem oſtendendam ineſt Sanctitati doctrinæ, ac Fundatorum Romanæ Eccleſiæ, eiuſque generatim Profeſſorum! Quæ Conſortio Eximiæ Sapientiæ cum eximia pariter Sanctimonia! Quæ Propheticis dictis, manifeſtè, ac frequentiſſimè impletis! Quæ Miraculis innumeris, quorum plurima perpetuò perennant! Quæ Fidei Martyribus, aut Charitatis! Profectò ſi vel Unum, quod in dubium revocare humana ratio nequeat, Divinum Prodigium, oſtendens, accedere Cæleſte Suffragium Fidei a Romanis Pontificibus publicatæ, ineluctabilem ejuſdem vindicat Veritatem: cum Innumeræ nobis adſint hujuſmodi Teſtificationes

Divi-

Divinæ: cumque, nullam Sectis aliis adeſſe, manifeſtiſſimè oſtenderimus: *Noſtri Erroris Auctor dicendus eſſet ipſe Veritatis Magiſter Deus, ſi Veræ nobis Religionis claritas non affulgeret.*

Parcimus ab indicandis, quas Tertio Libro in medium attulimus, multiplices Veræ, quia Catholicæ, Fidei Teſſeras, cum illas in ejuſdem Libri fine brevem in ſeriem dirigentes, certas, & plurimas Regulas ſanciverimus ad omnes huc uſque exortas, & exorituras Hæreſes labefactandas. Earum verò cum una tantùm ſatis evincat, rectæ nos ad Cælum in Catholica Eccleſia Semitæ inſiſtere, omnium complexio id ipſum ea meridiani Solis in luce ſtatuit, ut, *ſi tenebris involveremur, ab ipſo Iuſtitiæ Sole infeliciſſima noſtri decepti animi nox manaret.*

Sed, quæ in hoc ultimo exequuti ſumus Libro, Veræ, quia Apoſtolicæ, Eccleſiæ Signa: ſive hoc ipſum Nomen ſpectemus, Romanæ perpetuò tributum: ſive Rem ipſam, cum certè ab Apoſtolorum Principibus eadem Romana Eccleſia fundata fuerit: ſive noſtræ Doctrinæ cum Apoſtolica Conſpirationem: ſive Perpetuam ab ipſo Petro in Apoſtolico Throno Pontificum Succeſſionem: ſive eorumdem Conſtantiam in Vera ſemper Fide propugnanda: ſive ardorem animi pro ea mortalium omnium animis inſerenda: ex his certè Argumentis, quæ plurimas in claſſes tribuimus, adeo Romanæ Religionis Veritas, contra omnes illi contrarias Sectas, in apertum erumpit, ut *ſi ulla eidem ſubeſſet ſuſpicio Falſitatis, criminari poſſemus, ut illius Cauſam, Sapientiſſimum, & Veraciſſimum Deum.*

Ne-

tamen animi nocte conſepulti jacetis.

1061 Si conditum ab Apoſtolis, auctumque a Nicæno, & Conſtantinopolitano Concilio Symbolum, veluti certiſſimam credendi Regulam, adoratis, *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam*, eſſe Veram Eccleſiam, profitemini. Sed *Unum* certè dici nequit Sodalitium veſtrum, a tot Præſulibus temperatum, quorum nullus, verum in ſe Ius alteri eſſe, concedit. Nullam præterea Subjectæ oculis *Sanctitatis* Notam vobis ſupereſſe, demonſtravimus, ex qua Internam conjectare jure poſſitis. In nulla demum acceptione *Catholicam, & Apoſtolicam* abſque inſania nuncupandam Separationem veſtram, innumeris argumentis evicimus.

1062 Quæ porrò dementia eſt, Deus immortalis! Sanctos venerari Patres, & eorum interim Documenta contemnere: quibus Centies Proceſſionem Divini Spiritus etiam a Filio, animorum Purgationem, Aſpectum Divinitatis indultum Sanctis ante Anaſtaſim Corporum, Supremum in Petri Succeſsoribus Eccleſię Regimen, aſſeruerunt, cultum eiſdem obſequentiſsimum, dum vitam agerent, exhibentes? Si Chriſti Religionem conſectamini, cur ab ea deficitis, quam ſuis Oraculis, & Exemplis, illi ipſi ſanciverunt, quibus Præceptoribus gloriamini?

1063 Deſtitutis Suffragio Sanctorum Patrum, Synodorum, Traditionum, imo cōtra illud pugnantibus, quod vobis ſupereſt Indicium Veritatis? Eorum videlicet Auctoritas, a quibus nunc Magiſtris informamini. Sed quantâ illi laborant inſcitiâ, *Cæci*, ut de ſimilibus dixit Sapientia Divina, & *Cæcorum Duces*? Quæ nubes a cordis

dis livore ad extinguendam mentis aciem excitantur?

1064 An verò conferendi ſunt illi cum eximia Veterum Græcię Pręſulum Sapientia, & Sanctitate, quæ noſtra penitus eſt: retinentiſſima doctrinæ, quam tradebat Romana Cathedra: ſuæ illi Fidei rationem reddere perpetuò conſueta: illam frequenter appellans: ab illa pręſidium quærens contra Eccleſiæ perduelles?

1065 Vos enimverò trahit in præceps Superba Æmulatio, & gratuitum quorumdam Odium in Latinos. Num verò, hanc eſſe Veræ Eccleſiæ Teſſeram, arbitramini? Sapienter Ariſtoteles dixit: perverti a concitatis animi Motibus Intelligentiam. Omne ſtudium ad hos frænandos adhibete, quia, cum Fidei Prodromus, & quaſi Divini Solis prænuncium Sidus, ſit *Pia ad credendum Inductio Voluntatis*, vix unquam hæc illis adeſt, quos ex lex Cupiditas, aut Ira inflammat. Vobis ille non iniicit compedes Satelles Tartari, qui pleroſque mortalium Erroribus mancipat, ſcilicet permiſſa Voluptati indulgendi Licentia. Idcirco ſpe lætiſſima lactor, fore, ut quamprimùm vobis Eccleſia Mater gratulari poſſit Apoſtolicis verbis ad Philipp. cap. 4. *Gaviſa ſum in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire, ſicut & ſentiebatis; occupati autem eratis.*

PA-

PARÆNESIS,

Ad Hæreticos.

Quibus aptantur Signa Veritatis, huc uſque in Primo, ac Secundo Libro identidem ſolùm Schiſmaticis accommodata. Expenditur præcipuè Miraculorum vis.

1067 AT, qui nunc in Occidente ab Hydra recentium Hæreſum miſerè lancinamini, eo, quo Mahometes magnam Orientis Partem infecit, permiſſæ Voluptatis pretio allecti ad Impietatis Vexillũ, an non hac ipſa de cauſa vos miſerè inſanire animadvertitis; quòd turpe, & omni repugnantem honeſtati, Superſtitionem ſequuti, eidem per Antiphraſim *Reformatæ Religionis* nomen imponitis? Quæ verò Dementia eſt, nauci facere omnes Eccleſiæ Traditiones: vetuſtos omnes Patres proterere, quos Romanos penitus eſſe, non diffitemini: & Patrum Concilia?

1068 Nec palmaris Vecordia eſt, illis Eccleſiæ Divinæ Magiſtris, Senatui illi Cæleſte Collegium repræſentanti, præferre quoſdam ebrios, & furioſos è Clauſtro Transfugas, ac Stygmaticos Genevenſis Cathedræ Moderatores? Ab illis verò exaggeratur Inſania, quorum ſinguli certos, & falli neſcios ſe ipſos eſſe jactant Divinorum Interpretes Oraculorum.

Quæcumque contra Schiſmaticos diſſervimus, ea contra vos omnia militant *a fortiori*. Contra illos Exempla plerumque tulimus præcipuè quia, cum in pauciſſi-

mis Articulis a nobis diſſideant; nec Cæli tramitem relaxent (quem arctum eſſe voluit Chriſtus Dominus) ſi nihilominus illi debellantur, multò magis de vobis, Mahometis viâ ingreſſis, indubitatus Triumphus refertur. Plerumque tamen veſtro etiam peculiari morbo medelam aptavimus, ea præſertim Signa proferentes, quæ Tertio, & Quarto recenſuimus Libro.

1069 Quæ verò Primus enumerat, majus illis in vos robur ineſſe, quis non videt? Vna videlicet profectò non eſt Superſtitio veſtra, cui non ſolùm Unicum non adeſt Aſpectabile Caput, at neque Quadruplex in totidem Patriarchis; ſed vel Innumera in totidem Diviſionum Auctoribus, vel potius Nullum.

1070 Iniquiſſima pariter fuiſſe veſtræ Seceſſionis Initia, & nos innuimus, & pervulgatum omnibus eſt. Nulla vobis Antiquitas: Duratio nulla diuturna, nec interrupta; ideoque nulla Præſcriptio.

1071 Utque Secundi etiam Libri Notas leviter attingamus, quæ vos illuſtrat Sanctitas Inſtitutorum, quæ non dedecorat eorumdem Nequitia? Quàm probroſas, nec humanas tantùm, ſed etiam Tartareas iidem vias inierunt! Quibus uſi Artibus; quibus Dolis! Quàm nefarios ſibi fines præfixerunt!

1072 Hujuſmodi homines poſt Undecim Secula, ex eo videlicet tempore, quo (ut vos blaſphematis) corrupta fuit Eccleſia, reſeranda Veritas præſtolabatur?

1073 De veſtræ Impuritate doctrinæ, penitus oppoſitâ Sanctimoniæ, omnibus liquet? Quæ verò generatim Sanctitas ejuſdem doctrinæ Sectatorum, cum de illorum Iniquitate Lutherus ipſe, ac Semidelinus ampliſ-

pliſſimè conquerantur? Cum Calvinus Criminum omnium mortalibus neceſſitatem imponat? Cum alii vires ad eadem vitanda Divinæ defectui Gratiæ, Superbiſſimi ſub ſpecie dejecti animi, frequenter adſcribant?

1074 Ipſa porrò Sanctitate deſtitutis, quæ vobis ejuſdem ſuppetant ornamenta, ſive Propheticum lumen, ſive vis ad Miracula perpetranda? Cum hujuſmodi nullum cælitus indultum ſit ad conteſtandam virtutem ullius, qui Hæreſim profiteretur, an aliquod fortaſſe contigit ad vos ad Hæreſim primò alliciendos?

1075 Affirmatis, victas illico a vobis dandas Veritati manus, ſi vel unicum Divinum nunc Prodigium veſtris oculis ſubjiceretur. At nullo penitus viſo, ſpreta Vetuſtate omni, Duratione perpetua,& validiſsima Præſcriptione, Falſitatem amplexi ſunt evoluto proximè Seculo Transfugæ ab Ovili Sacroſancto Romani Paſtoris.

1076 Et nullo pariter ſpectato quotidie plurimi veſtrum Sectas immutant, parati quamlibet ſequi, ſi una potius, quàm altera humanis opportunitatibus accommodetur: Nullam ſcilicet re ipſa ſectati, ac verè degenerantes in Atheiſmum.

1077 Miraculum certè nullum Hæreſiarcharum Vitæ Scriptores commemorant, licet in eorum Caſtris merentes: Et illa quidem, utcumque falſa, perque Tartareas præſtigias oculos ludificantia, ſi perpetraſſet, eadem commemorare deterritus non fuiſſet ipſe Lutherus, famoſus rerum ſuarum, vel deteſtabilium, jactator: adeo ut habitam a ſe recenſeat Diſputationem cum Dæmone, ſuadente, ut Miſſam (ſic enim loquitur Bellua) miſſam faceret. Miras ille potius in anguſtias redactus, fer-

tur a Bredembachio lib. 7. cap. 4. cum ſemel coactus a ſuis aggredi nefarium Spiritum, qui puellam in Miſnia invaſerat, omnia ſibi primò exprobrantem ſua dedecora exhorruit Cacodæmonem. Mox ab eodem ſibi viſcera lancinante fatum Arii formidans, erumpere fruſtra tentavit a Conclavi, quod validiſſimo muniverat peſſulo Stygius Morio: nec ſine adſtantium ſtomacho, ac ſibilis, a feneſtra, latrinam quærens, fugam arripere compulſus fuit.

1078 Innumera nos, etiam poſt exortas Hæreſes, Miracula recenſemus, ut Libro Secundo ſtatuimus. Et plurima quidem illis indulta, qui ad Sacrarum Imaginum, vel Reliquiarum auxilium confugiunt, vel Auguſtiſsimæ Euchariſtiæ, quæ Portentis innumerabilibus ſui variis in Regionibus aſſerit Myſterii veritatem, impugnati a vobis, unà cum Imaginum, & Reliquiarum Sanctitate, nos ob hujuſmodi Cultum inſimulantibus Idololatriæ.

1079 Certitudinem, & veritatem hujuſcemodi Prodigiorum inficiamini, noſtra hæc eſſe ſomnia, vel figmenta vociferantes? At cur neque veſtra Sectarum ulla: cur neque Iudæi, neque addicti Mahometo hanc unquam imitari artem didicerunt, qua Miracula fingerent adeo frequentia: quibuſque indubitatam fidem præſtarent Sapientiſsimi, ac Perſpicaciſsimi viri: & quorum veritatem Univerſalis, Conſtans, Perſeverans Fama vindicaret?

1080 Ad hæc cum certè Miracula plurima Prophetæ Divinitus impetraverint, ediderit plurima Chriſtus Dominus, & majora ſuis Miniſtris cælitus indulgen-

da

da, diſertè promiſerit: voſque Sacris ea narrantibus Litteris fidem adhibeatis: & illam etiam præſtetis Vetuſtæ Hiſtoriæ, illa tradenti poſteris, per quæ noſtra Religio propagata fuit in Antiqua, nondum corrupta, ut affirmatis, Eccleſia: cur illa etiam in præſens alicubi ſaltem contingere pernegatis?

1081 Poſt illa tempora (Sapientiſsimi viri Sfortiæ Cardinalis Pallavicini vos hic verbis interrogo) exaruit penitus fons Admirabilium operum, ex quibus tanta redundat in ipſam Divinitatem gloria, tantum emolumentum ad lucem mortalibus afferendam? Laſſata fuit, aut enervata Divini Numinis Omnipotentia? Ejuſdem induruit Miſericordia? Blaſphemias, Inſaniaſque hujuſmodi deteſtamini? Si vivit igitur adhuc, & profluit Miraculorum vena, in qua tandem profluit Religione? In veſtris enimvero Sectis ſuum illa curſum minimè inſtituit, quarum aſſeclæ cum ad repertum nuper Orbem navigationem ſuſceperint, nequaquam tamen glorientur, ullum ibidem a ſe Mirum patratum fuiſſe, ubi major illius neceſsitas ingruebat, ut barbaras, ab Idolis abſtractas, Gentes ad Chriſtum allicerent; licet multas a S. Petro divulſas ſuorum licentiâ Morum pertraxerint ad Calvinum.

Supereſt igitur, ut per Catholicorum ſolummodo illimes canales fons hic ſuas nunc etiam aquas effundat, qui tam copioſa meſſe Reparatori noſtro ſteriles olim arenis per Miracula, & impleta Prophetica dicta, fœcundarunt campos detectarum nuper Provinciarum: & per eadem perpetuò Fidem in antiquo Chriſtiano populo, ac pietatem enutriunt.

 1082 Cum

Digitized by Google

1082 Cum *Una* itaque profectò non ſit Superſtitio veſtra, nec eadem *Sancta*: adeoque nullum *Catholicæ* Signum illi reſpondeat, ut Quadraginta in fine Tertii Libri ſtatuerimus Teſſeras ad ſecernendas Hæreſes ab Eccleſia Catholica, quarum ſingulæ vobis aptantur: quis demum *Apoſtolicas* dicat Sectas, quæ propagatæ ſunt Modo prorſus oppoſitò illi, quē iniverunt Apoſtoli: quarum doctrina conſanguinitate nulla conjungitur Apoſtolicæ, ſed ab antiquis potius manat Errorum Auctoribus: quibus demum vel nulli ſunt Succeſſores Apoſtolorum Epiſcopi: vel, ſi hoc alicubi ſupereſt nomen, *ij*, certè ab Apoſtolis non derivantur, cum exhorreant vetuſtos Catholicos Præſules, quibus legitima Succeſsio inerat?

1083 Si Divinis ergo Literis præſtatis aſſenſum, quibus Eccleſia dicitur *Sancta Civitas*, *directa Via*, *Columba* Unica, *Mons excelſus*, qui ſuorum claritate Signorum in omnium oculos incurrit: ſi Apoſtolico, Nicæno, & Conſtantinopolitano Symbolo, quod *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam*, dixit Eccleſiam, non abrogatis fidem: Prudentiſſimos nos tantùm eſſe, fateamini neceſſe eſt, qui Romanæ aſſentimur: vos Dementiſſimos, quibus nulla ſuppetit ex Centum, quas nobis ineluctabiliter aſſeruimus, Veritatis Notis.

LI-

LIBER QUINTUS

Quo, Singillatim, ac Directè, Atheis, Theiſtis, Iudæis, Mahometanis, Ethnicis, plurima ipſorum Veſaniæ Manifeſta Signa objectantur.

PARÆNESIS.

Ad Atheos, ac Theiſtas.

I. *Huc uſque allata Signa, probantia Romanæ Fidei Veritatem, Sectas indirectè omnes evertunt.*

CUM Dementiæ compertiſſimi ſint quicumque Chriſti nomen jactantes, extorres tamen ſunt a Catholica illius Eccleſia, nullâ idcircò Prudentiæ ſcintillâ perſtringi vos arbitremini, Antagoniſtæ Divini ejuſdem Regis humanitatem induti: videlicet, qui ab ipſo Reparatore noſtræ Salutis hoc aſſumptæ mortalis naturæ, obitæque pro nobis mortis honore, ac felicitate, nos affectos fuiſſe, Iudæi inficiamini: qui Sceleſtiſſimum Maximo, ac Sanctiſſimo Prophetæ Chriſto Mahometem anteſertis: quique Unius Divinitatis hoſtes, aut Ethnici ſtolidè illam in plures partimini: aut nullum eidem Religioſum Cultum (a qua nihil poſt hujus ærumnas vitæ præſtolamini) Theiſtæ præſtatis: aut etiam illam impiè a Cælo, rerumque omnium Univerſitate excluditis, Athei.

1084 Quamvis Recens Teſtamentum Hebræi omnes verò Sacrorum Codices Oraculorum ceteri ludibrio

brio traducatis; ne tamen inſanire videamini, non ſolùm neceſſe eſt, ut illud Cæleſte Volumen, ſed humanam etiam Ratiocinationem omnem proteratis: contraque veſtras ipſas Aures, & Oculos pugnetis? quos in Senſus frequentiſſimè incurrunt impletæ Prædictiones futurarum rerum, fractæ a Sacris Miniſtris manifeſti in corporibus Dæmonis vires, & Miracula innumera, ex quibus Perpetua plurima nunc etiam vigent, ac Veritatem Chriſtianæ Fidei Signis evidentiſſimis conteſtantur.

1085 Quæcumque argumenta, Veram eſſe Catholicam Religionem oſtenderunt; eadem omnia demonſtrarunt *indirectè* Superſtitionis cujuslibet Falſitatem; cum ſtatutum dilucidè ſit, Unum ſolummodo eſſe poſſe legitimum Veri Numinis Cultum. Plato ipſe, Ariſtoteles, Cicero, ex eo, quod Una tantùm ſit Veritas, Unam ſolummodo eſſe ſtatuerunt arridentem Superis Religionem. Quam ergo Mille clypeis munitam Arcem ereximus, in vos etiam armavimus.

1086 Et eam quidem ſi fruſtra invadunt impacti a noſtrarum rerum penitus conſciis, quia Transfugis, Hæreticis, & Schiſmaticis, arietes, & baliſtæ, quid veſtra è longinquo pugnantium puerilia tela formidet? Noſtra illi Myſteria omnia ſagaciſſimè, ac perpetuò expenderunt. Si ergo contra eoſdem Veritatem pluſquam Mille Argumentis evicimus, evidenter iiſdem noſtrorum omnium Impugnatorum, hoc eſt veſtram quoque, Dementiam vindicavimus. Si Prudentiſſimam hæc Argumenta noſtram eſſe Fidem oſtendunt, coarguunt etiam Imprudentiam ceterarum omnium, pugnantium illi, Sectarum; noſtra enim Religio ſtatuit, Sectas alias omnes Falſitate laborare. II. *Di-*

II. *Directè Singulas nunc delyrantium Claſſes impugnaturi, ac primò Atheos, ac Theiſtas, oſtendimus: arduum eſſe, illos hortari a Rationis, & Honeſtatis Lumine, quod nullum ipſis eſſe poteſt.*

1087 AN Primò vos alloquar mortalium infeliciſſimos, qui nullam agnoſcitis Divinitatem, Athei, vel nullo eandem, a qua ſperatis nihil, Theiſtæ cultu dignamini? Ad quos verò mea convertatur oratio, ſi lucis oſores, atque Impietatis veſtræ pudore ſuffuſi, non exeritis frontem: neque ſolùm Ducem nullum apertè jactatis, ſed neque in tumultuarium agmen clandeſtini confluitis?

1088 Quæ porrò vitalibus veſtra vulnera telis adortus, arma diſtringam, ſi neque a Rationis, neque ab Honeſtatis lumine liceat contra illos argumentari, qui nullam ſibi Rationem, Honeſtatem nullam affulgere, ultro fateri coguntur? Hoc a vobis dedecus amoliri tentatis? At quæ illis Ratio inſit, qui hominum, & ceterarum omnium rerum Cauſam fuiſſe opinantur Atomos ſenſu deſtitutas, & captum luminibus Caſum? Aut carentem ſenſu, & intelligentiâ Naturam? Aut Infinitas, alterius ope indigentes, & rationis non compotes, Cauſas? An Atomi, & intellectu carens Natura, ceteræque hujuſmodi Cauſæ vobis contulerint Dotes, quibus ipſæ deſtituuntur?

1089 Quam pariter Honeſtatis lucem eædem vobis affuderint, quàm ipſæ ſortiri nequiverint, cum Honeſtas omnis illam ſequatur, qua ipſæ orbantur, Intelli-

Digitized by Google

gentium ? Veritatem, Honeſtatemque omnem a Primo, quod pernegatis, Vero, & Honeſto profluere : ipſumque eſſe Menſuram, & Legem utriuſque huius prope Divinæ in hominibus prærogativæ, Sapientum omnium ſententia eſt . Cum igitur excludatis Divinam, cui veſtra conformetur, Veritatem, & Honeſtatem, nullam pariter in vobis utriuſque ſcintillam promicare, fatendum, vel invitis, eſt.

1090 Neque hoc diffiteri Theiſtæ valetis; utcumque enim Auctorem rerum agnoſcatis Deum, ſi tamen Conſilium illi, ac Providentiam adimitis, quam eidem intelligendi vim, quam Honeſtatem, nihil Bonis Prœmii, nihil Improbis Pœnæ (ut vos arbitramini) conferenti reſervatis ? Vos, utrimque vulnerantibus, ſagittis invado Athei, ac Theiſtæ, quia leve inter vos diſcrimen intercedit, ac veſtra utraque inſanientium Claſſis quamcumque Religionem exhorret.

1091 Congreſſus cum coactis fateri, omni ſe ſpoliari Ratiocinationis, & Morum virtute, cum Belluis videlicet cogor pugnam conſerere. Neque ſimillimos illis ſe eſſe inficiantur, opinor, cum omnia, perinde ac Bruta, referant ad Commodum, & Voluptatem : *eundemque*, negantes Immortalitatem Animi, putent *eſſe Interitum Hominum, & Iumentorum*.

III. *Oſtenditur, Atheos, ac Theiſtas, eſſe Humani Generis Hoſtes.*

1092 Quod ſi diverſam ab illis ore ſpeciem præ vobis fertis, at iniquiſſimi profectò eſtis Oſores hominum, inſanæ illi Opinioni, veluti Zoophy-

ta

ta Scopulis, adhærentes, quam ſi admitteret in animum hominum genus, Univerſa Reſpublica ſubverteretur: multòque major, quàm Silvas, luxuria, & ferocia Urbes vaſtaret. Vos ipſi affirmatis, perneceſſariam temperando Mortalium generi Religionem aliquam eſſe; ideoque prudenter a Populis omnibus, utcumque barbaris, in morem inductam fuiſſe. Cum illam igitur è medio tollere aggrediamini, cujus alioqui neceſſitatem ad conſervandum hominum genus aſſeritis, ipſum perdere, ac profligare conamini hominum genus. An non igitur ex æquo, & jure vos teterrimos illius Hoſtes nuncupavi? At ſive Belluas alloquar, ſive Myſantropos, paucis, ſed maniſeſtiſſimis argumentis in diurno Sole ſtatuam dementiam veſtram.

IV. *Morum Corruptela, Superbia, Ignorantia, eos impulit ad Deum, aut Religionem proculcandam.*

1093 INiquiſſimam primùm ejus Originem oculis obiicio, quæ ab inquinatiſſima inſtitutione vitæ profectò manavit. Regius ille animadvertit Pſaltes, *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus: Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt*. Neque enim ſolùm, poſt illam omnium maximam inſaniam: *Non eſt Deus:* quam ore non audebant, corde prolatam ab inſipientibus, iidem in omne dedecus, & morum corruptionem, commune odium, & abominationem provocantem, devoluti fuerunt; ſed etiam labes, quas ante contraxerant, eos ad impiam illam Blaſphemiam proferendam impulerunt. Cauſæ vis ineſſe poteſt illis, quæ conſequuntur verbis: videlicet *corrupti ſunt, & abominabiles facti*

ſunt: ad ea, quæ impius dixerat corde ſacrilego, concipienda. Deridetis auctoritatem Davidis? At veſtri profectò experimenti comperti eſtis; antequam enim quiſpiam huc devenerit infelicitatis, potavit *iniquitatem, ſicut aquam*: ac ne Conſcientiæ ulterius morſibus dilaniaretur, ambigere primùm cæpit de aliquo ex Arcanis Sanctiſſimæ Fidei: de Providentia Numinis dubitare: ac tandem animum obdurans in nequitia, Decreto belluis digno ſtatuit, nulli aſſenſum rei præſtare, quam oculis, aut manibus non uſurparet; ideoque negavit, exiſtere Divinitatem: in qua tamen, ut inquit Paulus, *Vivimus, movemur, & ſumus: perque illa, quæ facta ſunt, Dei conſpicimus inviſibilia*.

1094 Acceſſit Superbia, ſibi plaudens in ſinu, eò quòd ſoli ſapere Athei, ac Theiſtæ, videantur ſibi: ceteros omnes, velut ex alta quadam ſpecula, deſpicientes, ut hebetem, ac ſtolidum gregem, qui Ducem ſequutus nullatenus viam exploret. An ipſi potius, quàm addicti Religioni, Simplicitate laborent, quamprimùm expediam.

1095 Tertia interim duabus, quas indicavimus, eorum infortunii accedit cauſa, ſupina videlicet Ignorantia non Divinarum ſolummodo rerum, ſed ipſius etiam ſolidæ Philoſophiæ, quæ manifeſtiſſimè deprehendit, a Deo procreatam fuiſſe rerum Univerſitatem, & Æquiſſimis, ac Providentiſſimis ab eodem Legibus temperari.

1096 Enimverò nullum proruiſſe comperimus in omnis Numinis, & Religionis contemptum, niſi vel nullis Doctrinis aſperſos, vel aliquo quidem ingenii fulgo-

re per-

re perſtrictos, ſed Profanis tantùm, non etiam Sacris Literis irrigatos: quibus proinde oboriri quidem ſuſpicio aliqua poſſet contra Divinitatis Arcana, ſed illis deeſſet Sapientiæ robur ad eandem diſſlandam: & animi pia moderatio ad ſe Divinis Oraculis, & Eccleſiæ Declarationibus ſubiiciendos.

An non hæc laſcivientium Morum dedecora, Superbiæ iſthæc, & Ignorantiæ nubila, a quibus inficitur temeritatis veſtræ Primordium, manifeſtam præſeferunt Falſitatis Notam, qua mortalium miſerrimi correpti eſtis?

V. *Illuſtris nullus Auctor eſt Atheis, ac Theiſtis: Pauci eorum Inſaniæ Sectatores.*

1097 Quia ultimum in vos intortum Inſcitiæ dehoneſtamentum vos præ ceteris altiùs vulnerat, ideoque, per injuriam vobis illatum fuiſſe, affirmatis, illud idem refricare pergimus vulnus; interrogantes: Ecquem ex Veterum, aut Recentium Sapientium choro veſtræ Auctorem Doctrinæ, aut Sectatorem jactetis? Epicurum, opinor, cujus nomen probi omnes execrantur? Ab illo tamen hanc Diſcipulorum pleriquè calumniam avertebant, exclamantes: nec ab illo negatam fuiſſe Numinum, exiſtentiam, nec in Corporis, ſed contemplati Veritatem Animi, deliciis collocatam felicitatem. Ab Empedocle verò, ac Democrito, non fortuitò in unum congeſtis, ſed a Divinitate diſpoſitis in ordinem, Atomis tributum fuiſſe rerum omnium molimen compertum eſt. Luciano gloriamini? Triſauci eo videlicet Cane, qui utinam ut homines, ina-

neſque Deos diſcerpſit, ita leviter perſtringere auſus non fuiſſet Veram addictorum Chriſto Reparatori noſtro Religionem? Bene ceteroqui meritus de Republica videri poſſet, eò quòd ludibrio egregiè traduxerit effrænatos, quibus ex Vatum auctoritate abrepti fuerant Iupiter, aliique Dii, animorum motus, omnemque fabularum vanitatem. Sed ſive omnem Lucianus impetiverit Divinitatem, ſive alicui pepercerit (ad promerendum enim, ut a Canibus vivens dilaniaretur, Atheiſmus minimè requirebatur, cum hanc Pænam ſatis laceſſerent jacta ſcommata in Chriſtianos) profectò ſi potuit ipſe, aliique, futilibus in nos cavillis jocari, nihil certè proferre ad ſtabiliendam Impietatem.

1098 Enimvero nullus eſt Auctor, qui fundamenta ulla jecerit Atheiſmi, omnemque rationibus ſubverſum iverit Religionem. Nec ipſe Lucretius, utcumque metum omnem Cæleſtium, quem Superſtitioſum vocat, execratus, quidquam protulit opportunum ad ſuam fulciendam temeritatem.

1099 Hæc ne duo evanida veſtri belli fulmina, Lucianus, & Lucretius (quorum hic epoto amatorio philtro ſibi fatum ante ſenectutem accerſivit) obſtare poterunt omnibus, non ex vera ſolùm Religione, ſed ex quavis etiam Secta, Sapientibus viris? Suſceptum enim a vobis bellum non Chriſtianos ſolùm, ſed etiam cujcumque Divorum cultui mancipatos aggreditur.

1100 Ducum Selectu, ideoque omni Auctoritate, viduati ferocire ſaltem poteſtis militum copiâ? Hi certè in unum non confluunt, cum ſuæ illos inſaniæ rubor corripiat. Sed neque plurimi ſunt, utcumque veſtra,

quæ-

quærentium a Sociorum in ſcelere conjunctione tutelam; dementia putet, eos omnes, qui delinquunt, omnem excutere Iudicis Numinis metum. Sed toto in hoc etiam Cælo exerratis; licet enim plurimi a Charitate, Cæleſtium Charitum difficillima, divellantur, non tamen illos plerumque Fides, &, miſeris jucundiſſima, Spes deſtituit. Quinimo, præſcriptos a prudenti Spe limites prætergreſſi, ut plurimum mortales animoſi ſunt adeo, & eò jaculantur votis audacibus, ut vix de conſequendo Immortali Regno quidquam dubitent Grallatores.

VI. *Multipliciter demonſtratur Inſania opinantium, conflatum fortuitò ex Atomis Mundum fuiſſe.*

AT, eſto, ſit magna vis inſanientium, profectò a numero eadem Inſania non elevatur. Ut eandem oculis ſubiiciam, quadruplicem, quam ineunt, ſemitam illis occludam, ne ullum effugium pateat, ab una ſeſe in aliam proripientibus: atque ad eaſdem, a quibus pulſi fuerant, iterum regreſsis: in verborum circulis perpetuò verſatis, &, a quibus deſperent exitum, labyrinthis. Sive, excluſo Numine, conditum fortuitò ex Atomis Mundum opinentur: ſive ab Infinitis, quarum una ope alterius indigeat, Cauſis: ſive ab emortua Natura: ſive coacti aliquem Naturæ Auctorem admittere, illi tamen Providam rerum curam, & conferendi Prœmii, Pœnæque irrogandæ, poteſtatem invideant.

1101 Vos primùm interrogo, qui nihil in animum excipitis, niſi quod fuerit antea Senſibus ſubjectum. Vidiſtis ne unquam fieri quidquam, niſi ab aliquo præexiſ-

ten-

tente? Si ſolùm experimento inhæretis, ipſas etiam Atomos ab aliquo productas fuiſſe vobis, utcumque reluctantibus, fatendum eſt, niſi veſtra ipſa Principia diruatis in primo Diſputationis exortu. A quo verò, præterquam a Deo, ſemper neceſſariò exiſtente, conditæ Atomi ſunt? Quid ni ergo eidem rerum procreationem ceterarum attribuitis Deo, cum hæ multò nobiliores ſint Atomis ipſis, molimine Numinis indigentibus?

1102 An, cum diu, multumque quieverint Atomi, loco moveri deinde cæperunt ad formandam rerum Univerſitatem? Si conſtitiſſent immotæ, profectò pulcherrimas ſeſe in formas non induiſſent. At ſi motu concuti adortæ ſunt, an hoc ſponte ſua præſtiterunt, an potius ab altero concitatæ? Sua certè ſponte, cum ſint inanimes, id præſtare nequiverunt; receptiſſimum enim eſt Philoſophicum illud Effatum: *Idem manens idem, ſemper facit idem*; præter Liberas Cauſas, quæ determinare ſeſe pro libito poſſunt, nullo extrinſecus impellente, nec mutatâ objectorum Naturâ. Ab alio igitur ex antiqua ſtatione ſua dimotæ ſunt Atomi; nec alius hic profectò fuit, quàm Optimus, & Maximus Deus.

1103 Quo deinde Tempore moveri tandem cœperunt, cum Tempus ipſum non eſſet; nihil enim tunc, præter ipſas, fuiſſe, Atomos, affirmatis?

1104 Quod ſi concuſſas ab ipſa Æternitate fuiſſe Atomos ſomniatis, Infinitus ergo præterfluxit Motus, ac Tempora evoluta ſunt pariter Infinita. Plures ne igitur effluxerint Dies, quàm Anni, an totidem potius, inquiro? Cum utrique ſint Infiniti, plures eſſe nequeunt Dies, quàm Anni: & alioqui numerò Annis Dies antecelle-

cellere manifeſtiſſimum eſt. Quod ſi exceſſum hunc Dierum ultro concedas, ipſa te latet Infiniti Definitio, ex quo *cum ſemper ſit ultra, & ultra accipere*, ſi perinde Infiniti ſunt Anni, nullus invenietur Dies, cui ex Annis aliquis non reſpondeat; ideoque totidem erunt Anni, quot Dies. Si hæc retorques in Immortalis Numinis Æternitatem, multò magis hunc ad Solem cæcutis, qui mentis oculis captus es ad ipſam tuarũ intuendam naturam Atomorum. Non Anni fluunt, & Dies in ipſa Numinis Æternitate, quæ *Sempiternæ vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio eſt*; ideoque contra illam, comparationes inter partes inſtituendo, altercari non licet. Sicuti neque contra Sempiternam, quam Immortales Animi ducent in poſterum vitam, cujus ad finem cum deveniendum ſit nunquam, nunquam pariter in unum cogi poterunt Anni omnes, ac Dies, ut invicem conferantur.

1105 Præterea Sempiternus ille motus Atomorum an homines v. g. perpetuò peperit, an poſt infinitam tempeſtatem elapſam? Si perpetuò, cur tam ſerò inventæ ſunt nobiles plurimæ Artes, ut conſtat ex monumentis omnibus literarum? Si ſerò tandem exortum eſt hominum genus, ex Ovis videlicet aliquibus, aut Seminibus, (ut inepti è trivio Circulatores, neque enim Philoſophi, blateratis) in quæ tandem, poſt varias tranſformationes, evaſerant Atomi, quis primos illos Infantes aluit lacte? Quis veſtibus induit? His certè adjumentis noſtra indiget, primò infirma, & imbellis, Natura, ab illa ranarum, quæ a pulvere, & pluvia prodire videntur extemplo nullius indigentes, plurimùm diſtans.

1106 Illud autem urgentes, quod ante intorſimus, telum, quærimus, an Infiniti, quos ab ipſa Æternitate pepererint Atomi, fuerint totidem Homines, quot eorumdem capilli? An potius hi numero præſtent hominibus? Quodcumque enim repoſueris, perinde ineluctabilibus te laqueis implicabis.

1107 Quo deinde in Loco Atomi ad res formandas concutiebantur, ſi, (cum olim nihil omnino fuerit, præter Atomos) ne ipſe quidem erat Locus, quem occuparent?

1108 Quis deinde Motus ineſſe, vitâ ſpoliatis, Atomis poterat, niſi ad Centrum? At ipſum primò Centrum tunc deerat Atomorum Naturæ, ipſo etiam Loco deſtitutæ.

1109 Inſita, & nativa virtute aliorſum, quàm ad Centrum, Atomi ferebantur? Alites igitur erant, & vitâ præditæ? Quas certè nunc in Solis radio identidem Atomos intuemur (niſi aliò a ventorum, aut leviter commoti aeris impulſu flectantur) paulatim delabi ad Centrum videmus, aut eò demum ferri, quò eas agit corporum aliorum impreſſio.

1110 Aves quidem ſpiritu, & vitâ pollentes contra ipſum ventorum impetum alis aliquando invehuntur. At hæc Atomis virtus deeſt, quæ proinde neceſſariò jacuerunt immotæ, ab aliis nullis (quia nulla tunc erant) impulſæ corporibus, niſi eas Divinus agitaverit vigor: quem ſi concedis, Deum admittis rerum omnium Conditorem, nihilque præexiſtentibus Atomis ad res procreandas ceteras indigentem.

1111 Sibilis exciperetis, ſi affirmares: præextitiſſe

infi-

infinitam Lapidum copiam, ex quorum mutata varias in formas natura hæc rerum Univerſitas omnium condita ſit: aut quibus lapidibus indigeret Opifex Deus ad cetera omnia conſtituenda. Perinde igitur concitas riſum, dum hanc adſtruis ſemper exiſtentium Atomorum neceſſitatem.

1112 Quam a nolente Numinis confeſſionem expreſſimus, retractas, puerorum in modum audax, ac tecum pugnans, & ipſis iterum Atomis omnia tribuis? Iterum igitur puerilem inſaniam exagitans, interrogo, quam tuis hiſce virtutem Atomis vindices? Ut Minimam quidem ſortiantur, neceſſe eſt, cum exilia ſint, & Minima corpora: & illis, quæ noſtris obtutibus Atomi ſubjiciuntur, vix ullam, & ad leviſſimum ſolùm motum ad Centrum, ineſſe comperiamus. At Maximâ, & prorſus immani, inſanâque concuſſione opus erat, ut in tot prǽſtātiſſimarum rerum formam, Cęlum, Sidera, Solem, Homines, cogerentur. Quis ergo Spiritus eas intus egit, tenuiſſimoque ſe corpori immiſcuit, ut tantus deinde jiſdem fuerit igneus vigor?

1113 Profectò nunc magis, quàm olim, agitantur Atomi, ab Aquilone nonnumquam impulſæ; neque tamen ab iis, unquam in unum coaleſcentibus, exortum fuiſſe vidimus Canem, aut Avem.

1114 Quod ſi extemplo Urbem aliquam in immenſò Camporum æquore ex Atomis emerſiſſe, quiſpiam narraret: & ex iiſdem compactos Homines Urbis incolas: vel cachinnos laceſſeret, magis quàm Veræ Hiſtoriæ Luciani: vel potius tribus, (ut inquit Satyricus) Antyciris inſanabile Narratoris caput & pueri exiſti-

marent. At major inſania eſt, Solem ipſum, aliaque omnia, univerſoſque Mortales attribuere fortuito Atomorum confluxui.

1115 An quia nunc aliæ ſuppetunt Urbium, & Hominum Cauſæ, ab illorum opificio parcere Prudentes Atomos dicis? At ſi hæc illas ornat animi Moderatio, Vitæ igitur, & Rationis compotes ſunt: neque Fortuito, Cæcoque impetu, dum rerum Vniverſitatem conderent, ferebantur.

1116 Quàm præterea diverſa requirebatur Atomorum mixtura ad res tam diſſimiles, Cælum, Solem, Terras, Arbores, Homines, efformandas! Satis ergo non erat concurſus idem, eademque commixtio, ad ſingula molienda. An ergo primò quædam ſunt efformata? Et fortè ante alia mures, aut vermes? At ipſis ne, Parentibus ſuis, Atomis vermes impii veſcebantur?

1117 An ante reliqua Ventus ipſe conflatus ex Atomis fuit, qui reliquas deinde Atomos ſuo impetu exagitans vires illis indiderit ad cetera omnia fabricanda?

Eò fortaſſe veniſtis dementiæ, ut ſpes hinc vobis affulgeat aliqua fulciendi Syſthematis veſtri de Mundi ex Atomis opificio? Nec fortè animadvertitis Sarcaſmos, quos hac multiplici tegimus Interrogatione? Preſſius igitur agam cum iis, quos perpetua animi nocte tumulatos non reor.

1118 Cum illuſtre aliquod Artis opus veſtros in oculos, aut aures incidit, ſive Pictura illa ſit, ſive Cælatura, ſive Harmonicus inſignis Concentus: illico ſtatuitis apud animum veſtrum, non Caſu, ſed Conſultò productum illud fuiſſe, Vivamque, & Mente præditam ejuſdem

dem Cauſam extitiſſe. Et pulcherrimum hoc Univerſitatis Opificium fortuitò volitantibus Atomis tribuetis? Ne rudem quidem, apertam in ruſticæ Domus pariete, Feneſtram in Cæcam refertis Fortunam, quæ illam recluſerit, mente nulla cogitante de opportuno, quondam futuro incolis, Feneſtræ uſu. Et, *qui finxit oculum, non conſiderat*? Hoc eſt, qui humani corporis Senſus, quaſdam (ut illos Auguſtinus appellat) Fores, & Feneſtras Animi, & Oculum præcipuè principem ceterorum, molitus primò fuit, captus ipſe Intelligentiæ luminibus cenſeri poterit? Nec ſolerter expendit, quibus hominum Senſus uſibus accommodaret? Et ea formarunt Atomi expertes Mentis, & oculorum: atque interim multò prudentiores illis, qui ad Solem excipiendum, ſpectandoſque campos, liberum Domus incolis aditum præbuerunt?

Sed hæc leviter indicaſſe ſufficiat, validius intorquenda contra opinatos Cauſam rerum omnium eſſe deſtitutam Mente Naturam.

VII. *Dementia tribuentium Infinitis aliâ indigentibus Cauſis hanc rerum Univerſitatem. Neceſſitas Cauſæ Primæ, quæ nullâ indigeat.*

DIſflatis interim Univerſitatis opificibus Atomis, eos aggrediamur, qui Cauſas infinitas Mundo attribuunt, quarum unaquæque auxilio alterius indigeat. At quod unquam ſomnium Cimmeriis populis infelicius illuſit? Non hic ea plurima inculcamus, quæ contra Infinitam ipſam multidinem rerum poſſent afferri; ſed cõminus congreſſi negamus, ullum reperiri Cauſa-

rum

rum genus, in quo ad Primam aliquam deveniendum non ſit, quæ nullius alterius Effectus cenſeri poſſit.

1119 Oſtendit hoc Ariſtoteles, veluti primum Scientiæ cujuslibet Fundamentum, in illa, quam ſibi veluti Finem unuſquiſque, dum operatur, ſtatuit, Cauſâ. Niſi enim in aliquo tandem Ultimo Fine adipiſcendo quieſceret ſtudium illius, qui opus adoritur, nulla tentare poſſet ad illum conſequendum conducentia. Idipſum in geminis aliis, ex quibus caducæ res componuntur, Cauſis, Materiâ ſcilicet, atque Formâ, demonſtrat: in quibus ad aliquam tandem Ultimam omnes revocantur, ſine qua nihil omnino poſſet conſiſtere. Perinde quoque nec ipſa Imaginationis phantaſmata complecti poſſunt multiplices Numeros ex paucioribus conſtitutos, quin tandem deſcendant ad Simplices Unitates, quaſi primam Numerorum Materiem, quæ non conflетur ex Numeris.

Concipere igitur intellectus nequit ordine diſpoſitam Effectuum Seriem, quorum unus ab alio fiat, abſque eo quod ad unam tandem Efficientem Cauſam deveniamus, quæ nullius alterius Effectus cenſeri poſſit.

1120 Liquet hoc ipſum ab inteſtina, quam experimur, ſciendi ſiti, hoc eſt inſito voto comperiendi rerum omnium Cauſam. Quamvis enim proximam Effectus cujuslibet Cauſam aſſequamur, quæ ab altera pariter Cauſa proficiſcatur; in nobis tamen nequaquam extinguitur ſciendi ardor, ſed accenditur ſtudium illam pariter alteram indagandi. Ex quo ſequitur, manifeſtè patere ab ipſa inductione Naturæ, inveniri tandem poſſe Supremam ipſam Cauſam Cauſarum omnium

nium ab altera nulla cauſatam. Ceteroqui deſiderium ſciendi hominibus innatum perinde eſſet inſanum, ac ſtudium aſſequendi venatu Centauros, & Hippogryphas.

1121 Ulterius progredi contra illos, quos aliquis Doctrinæ fulgor illuſtrat, ſupervacaneum eſt. Sed quia vix illa unquam Atheos perſtringunt fulgura, iiſdem inſtamus interrogantes, quo pacto, cum ſingulæ deficientes ſint hujuſmodi Cauſæ, ideoque alterius indigentes, (niſi unum negantes, infinitos Deos inducant) fieri poſſit, ut non etiam deficientium omnium Cauſarum Complexio Supremâ quadam egeat Causâ nullius indigâ, ideoque Divinâ?

1122 Si certus eſſet numerus Cauſis, quas adſtruunt, neceſſariam fore Cauſam illam omnium præſtantiſſimam, & Infinitæ virtutis, ultro concedunt. Et ad eam eliminandam Cauſas excogitarunt numerum quemlibet prætergreſſas. At ſuis ſe laqueis implicuerunt; nam multò Major erit Supremæ illius Cauſæ neceſſitas, ſi, quæ aliâ indigent, Cauſæ ſint Infinitæ; cum enim omnes ſint indigentes, creſcente numero ipſarum augetur Egeſtas ipſa, ideoque hæc pariter erit Infinita.

1123 Aptum bardis iſtis, &, ut inquit ille,

Vervecum in patria, craſſoque ſub aere natis,

Exemplũ ſolet afferri, petitum a Catena, numero finitis anulis contexta, & in aere ſuſpenſa: quæ proculdubio labetur, niſi aliquis anulum primum ſuſtentet. Utcumque autem Infiniti eidem Catenæ Anuli addantur, perinde prorſus in humum devolvetur, niſi, diverſa ab ipſis Anulis (quorum unus ab altero pendet) Suſtinentis vis caſum prohibeat. Imo magis neceſſaria Infinitæ huic

defi-

deficientium Anulorum multitudini ruina erit. Perinde igitur ſi una nectitur alteri Cauſa ejuſdem naturæ, nec minus imperfectæ: quò plures erunt, eò deficient magis, & interibunt; imo verius exiſtere nunquam potuerunt, niſi Prima quædam illas procreaverit, nullius indigens Cauſæ: ceteraſque omnes fulciens, & conſervans.

VIII. *Vecordia referentium omnia in Naturam, excluſo illius Auctore Intellectu prædito.*

EXperrectus a ſomno, qui figmentum hoc Infinitarum Cauſarum pinxerat in Facultate imagines, vel abſurdiſſimas, concipiente, confugis ad Naturam, quam Cauſam rerum omnium Unicam, & Supremam eſſe affirmas? Sed qua tandem de Natura ſermonem inſtituis? Num de illa emortua, quæ Terræ quoque, ac Lapidibus ineſt? Nam ſi hoc Naturæ nomine obumbras Efficiens aliquod Univerſale, Intelligens, Architectum, Conſervatorem, Rectoremque immenſæ hujuſce Domus, ſcilicet rerum Univerſitatis: hic ille eſt ipſe, quem inquirimus, tuque ſtolidiſſimè negas exiſtere, Maximus Deus. Hunc rurſus inficiaris, & omnia tribui poſſe, obgannis Primæ illi, utcumque in plurimis rebus Intellectu, & Vitâ ſpoliatæ Naturæ?

1124 Deſtituta igitur ſenſu Radix, ex qua purpureis innumeris granis pulcherrimè contextum germinat malum, unica eſt illius Cauſa? Senſu carens Terræ globus, cujus in ſinu diu, noctuque tot metallorum opes conflantur, omnem aliam auri, argentique Cauſam excludit? Si hoc affirmes, multò dementior eris, præcipuam Cauſam rerum (in quibus Ars tanta, ac inſigne

Ma-

Magiſterium fulget) putans eſſe Radicem, ac Terram Senſu carentem: quàm ſi præcipuam, & unicam Picturæ, aut Cælaturæ Cauſam opinareris eſſe Penicillum, aut Scalprum.

1125 Enimverò ſi pictam ab Apelle Tabulam, cælatum a Phidia Simulacrum intueris, illico ſtatuis apud animum tuum, præditos Mente fuiſſe Artifices: atque Intellectu ſolertiſſimè uſos in coloribus diſponendis, pulcherrimaque tribuenda marmori forma. Et Emortuæ, nullâque Intelligentiâ præditæ, Naturæ tribuere potes tot mirifica opera, omnibus humanæ Artis prodigiis longè præſtantia?

1126 Neque verò hæc vincula evadent, qui præcipuam rerum Cauſam eſſe affirment Solem, & Sidera, inque terras influens, Cælum; ad pulchriorem enim, non ad majori pollentem Arte, Auctorem confugient. Ab illis rurſus inquiro, an hujuſmodi Solares, ac Cæleſtes influxus omnia in terris Emortuo, Cæcoque modo producant abſque Mente, quæ illos diſponat, temperet, ac gubernet? Quis hoc audeat affirmare, cum compertiſſimum experimento ſit, a virtute, ac influxibus Ignis, aliarumque carentium Senſu Cauſarum, proficiſci non poſſe ullum ex magis vulgatis, ac rudibus opificiis, quibus ab Arte inſtruimur: ut panem, muſtum, & calcem: ſi nativæ illi virtuti, ac influxibus permittatur, ut Cæco modo operentur, abſque eo quod illos temperet, diſponat, ac regat Motor ullus Intelligentiâ præſtans?

1127 Igitur quod Menti alicui tribuenda ſint pulcherrima opera, quæ in rerum Univerſitate ſpectamus, multò evidentius eſt, quàm quod tot humanæ Artis

molimina prodiverint ab Intellectu aliquo, Ideam prius concipiente rerum, quas deinde exequitur manu.

1128 Ac ſicut inſaniret, qui fortuitò excidiſſe ab Apellis penicillo, aut Phidiæ ſcalpro, Picturas, & Statuas opinaretur: ita majoris erit inſaniæ, arbitrari, Mundum univerſum (qui Apellis ipſius, & Phidiæ manum, ac Mentem, aliaque innumera amplectitur) extructum ab inanimis fuiſſe Atomis, aut experte Mentis Natura.

1129 Ipſius humani Corporis, nedum Animi, opificium adeò diſertè Auctorem ſuum fuiſſe Mentem aliquam Sapientiſſimam, nihil Inconſultò, ac Fortuitò molientem, eloquitur, ut Galenus Philoſophus Ethnicus inſultaverit Atheis: profeſſus, a ſe palmam illis, omnia Cæcam in Cauſam referentibus, concedendam: ſi vel unam, quæ melius conſtitui potuiſſet, ex Millenis, quibus hæc mirabilis compages Corporis conſtituitur, venis, nervis, articulis, inveniſſent.

1130 Prætermitto, quæ Philoſophi ad ſtatuendum Primæ neceſſarium Cauſæ Concurſum in productione cujuslibet Effectus, a Secundis Cauſis manantis, plurima congerunt, petita præſertim ex illo acceptiſſimo, ac Naturæ lumine noto Pronunciato: ***Nemo dat, quod non habet***: quod videlicet Cauſa, illud Effectui indulgens, vel non præhabet eodem, vel præſtantiori modo. Ex quo manifeſta oritur conſequutione, ut cum Effectus quilibet, utcumque minimus, hoc habeat individuæ perfectionis, ſibique cum Deo communis, ut illi non inſint Imperfectiones individuæ, quæ ſuam procreatam Cauſam inficiunt: hoc ipſum bonum Exemptionis ab illis defectibus Cauſæ Secundæ accipiat a Prima,

quæ

quæ proinde neceſſariò ſemper cum Secunda operatur.

1131 Quid de Vita dicam, quæ Secundis ſæpe Cauſis deeſt? An illam tamen, qua carent, Effectibus largiantur? An Emortuus Sol, Pluvia, & Pulvis, ſine alterius Viventis Cauſæ conſortio animent Ranam? Huic certè vitam a movente Cælum, ac Solem Intelligentia, atque ab ipſo Numine, attribui, omnes aſſeverant, quos Principia Naturæ lumine nota non latent.

1130 Quod ſi Numen hoc non ſolùm ob Immenſitatem ſuam undequaque diffuſum, ſed rem etiam unamquamque informans, opinaris: ita ut ſingulis inſit rebus, veluti Propria ipſarum Forma, & Natura: ejurans Atheiſmum, in aliam Inſaniam devolveris, arbitratus, vivere Lapides, Aquam, Terram, Teque multò magis pollere Divinitate: quem tamen illâ deſtitutũ, cũ de tuis frequenter infortuniis conquueraris, nimium experiris.

1132 Ut Argumentorum demum Achilles prodeat in arenam, cujus haſta omnes evertit, ſive opinatos Divini Numinis partes obiri ab Atomis: ſive a Cauſis Infinitis: ſive ab experte Mentis Natura: inquiro, an qui Æneidem Virgilii, Odiſſeam, aut Iliadem Homeri, Ariſtotelis Operà perluſtrat, opinari poſſit: ita diſpoſitos in ordinem ad Opera illa, omniũ admirationem provocantia, efformanda Characteres fuiſſe, vel ex Fortuito eorundem volatu: vel ex eo, quod Cauſæ fuerint Characteres ipſi, ut unus alterum conſequeretur: vel demum ab inſita unicuique ex ipſis Natura exortum ſit, ut hanc pulcherrimam ſeriem ſortirentur? Cujus animo ulla ex recenſitis ſuſpicio, prorſus inaudita, & cachinnos extorquens, oboriretur, mentis impos ab omnibus habendus eſſet.

Vel ipſi certè Pueri ſtatim reponerent: manifeſtiſſimum eſſe, a Mente aliqua, non ab Emortua Cauſa, Opera illa egregia profecta eſſe. Multò igitur dementior erit, qui Carmen hoc Admirabile (ut illud Auguſtinus appellat) rerum Univerſitatis, a Mente opifice, cujuslibet alterius, aut vitam ducentis, aut illâ caſſæ, Naturæ Auctore, conſtructum non videt. Præſertim cum hæc ipſa rerum Univerſitas amplectatur illa ipſa Volumina, quæ ab Intellectu aliquo neceſſariò manaſſe, cogeris affirmare: illosque ipſos includat Intellectus, a quibus Volumina prodiverunt. Omnium igitur Conditor eſt Mens alia multò nobilior, Mentium omnium Auctor, videlicet Optimus, & Maximus Deus.

IX. *Theiſtæ, qui, Providum, ac Iudicem eſſe Deum, inficiantur, ideoque omnem Religionem, & alterius Vitæ metum, proterunt, Manifeſti Delyrii multipliciter arguuntur.*

Procreatum a Deo Mundum fuiſſe, ultro conceditis, ſed Providum rerum, humanorumque præſertim Operum, eſſe, pernegatis, Amore Probos, Odio Improbos proſequentem, illos Prœmio donantem, hos plectentem Supplicio; ideoque Religionem omnem, velut inutilem, quamque, nihil mortalium rerum ſolicitus, Deus contemnat, in exilium amandatis?

Quoniam hæc omnis a Providentia exoritur quæſtio, innumera hìc mihi ſe ultrò dicenda ingererent, quorum aliqua opportunius exequar, cum poſt impugnatos peculiares Sectarum aliarum Errores, in Atheos iterum, ac Theiſtas, favente providentiſſimo Numine, inſurgam.

Ve-

Veſtras interim diſiicio aranearum telas, contextas ex Eventibus ſæpe hic infauſtis Virtuti, ſæpe faventibus Vitio: ex indulta huic inſaniendi, nec raro inſontes proterendi, licentia: ex aliis demum pluribus, quæ melius in Republica diſponi potuiſſe, vobis, hominibus videlicet (ut opinamini) Sapientiſſimis, viderentur.

1133 At delibaſtis ne unquam Mirabile D. Auguſtini Volumen de Civitate Dei, quod incredibili Sapientiâ evidentiſſimè oſtendit, magis conſentaneum fuiſſe, *ut ex Malis Deus Optimus bona faceret, quàm, Mala nulla eſſe, permitteret*? Nullum Verum cenſeri Malum poſſe, præter Culpam, quam cum nemo, niſi volens, admittat, nemo proinde verè læditur, niſi à ſeipſo. Ea, quæ videntur Improſpera, ſi æquo animo tolerentur, fœcunda eſſe immortalibus bonis. Felices eſſe, qui hoc in Exilio luunt ea, quæ alibi ſolvenda eſſent. Feliciores, quos ut ſibi conformet, ſui Calicis parte dignatur, perpeſſus, dum inter mortales ageret, innumeras ærumnas Deus Humanitatem indutus.

1134 Sed quid has porrigimus Brutis, ſiliquas, & cænum amantibus margaritas? Ludentem in Orbe terrarum Sapientiam nequeunt intueri, aliquam hic Virtutis umbram brevi perituro Prœmio donantem in iis, qui nunquam interituro Supplicio plectendi ſunt.

1135 Non aſſequuntur vim Argumenti, quod ceteroqui videtur ineluctabile Sapientibus ad probandam Animorum Immortalitatem: videlicet quod, ſi ſæpe in hac breviſſima Vitæ Scæna opprimitur Virtus, Vitium triumphat, & coronatur: Supereſt igitur alia poſt interitum Corporum Vita, in qua reſpondentia Meritis

Virtutum, ac Vitiorum Prœmia reponantur, aut Pœnæ.

1136 Sed hæc interim ſeponamus, & ad noſtras Interrogationes regreſſi, quæramus ex iis, qui ſe Conſiliarios ingerunt Divinitati ad refingendas mortalium Sortes, an Providi ſint ipſi rerum ſuarum? Curator illis, ſi hoc negent, adhibendus erit. Si affirment, Deo igitur invident, quam ſibi vindicant Providentiæ laudem?

1137 Virtutem vos, in aliis ſaltem, niſi in vobis ipſis, amatis: Commendatione, ac Prœmio afficitis: a veſtris illam Servis, ac Filiis exigitis: Morum Dedecora Supplicio mulctatis. Et nulla Deum humanæ Virtutis, aut Vitii cura diſtringat?

1138 Exercitam a Deo neceſſariò fuiſſe Providam Solicitudinem affirmatis, dum Mundum ex Atomis, aut ſine ulla verius prævia materie, moliretur? Cur illam igitur, Opificium ſuum temperando, non etiam exerceat in præſens?

1139 Non ſemel tantùm, ſed perpetuò veſtris vos rebus vigilem curam intenditis, nunquam illarum obliti. Et eam ſemel tantùm ſuis impenderit, earumdem oblitus in poſterum, Deus, a quo illam, qua veſtras curatis, ſortiti Providentiam eſtis?

1140 Sed enim urgeri non decet Divinum Numen, inquit Lucretius, *moleſtis negotiis, & operoſis*: neque ad hæc humilia, quibus deturpetur, Cæleſtem deiici cogitationem? O miſerum, ſuoque, quòd epotavit, philtro digniſſimum! At niſi dejecta fuiſſet Divina Solicitudo ad Atomos in varias Corporum formas diſponendas, nunquam pulcherrima hæc rerum Univerſitas

Digitized by Google

ex illis emerſiſſet: ut magna vi argumentorum manifeſto in Sole ſtatuimus. Proinde, ſi *negotium* illud nihilominus *moleſtum*, & *operoſum* non accidit Divinitati, nec eidem Univerſitatis Regimen moleſtiam ullam faceſſit.

1141 Ac veluti ad nutum Divinum conflatæ Atomi ſublimem Conditoris Mentem non infecerunt: ita illam non deturpant Curæ, quibus conſervatum à ſe Mundum dignatur. Quibus Cænum, ac Sordes ipſas illuſtrat, radios nunquam Solis proinde vidimus decolorari. Igitur ad Divini certè Solis lucem talpa caligat, quæ ſuſpicatur, Infiniti Animi vim, pulcherrimæque præſtantiam Mentis laſſari, deteri, aut infici poſſe.

1142 Age. Quam in conſervanda Natura Providentiam exercet Deus, Sapientes omnes ſuſpiciunt. Diſſeruit de illa mirificè Ludovicus Granatenſis in, eximia pietate, ac eruditione referto, Volumine, quod inſcripſit Introductionem ad Symbolum Fidei: in quo innumera recenſet, amantiſſimam, ſapientiſſimamque Divini Rectoris rerum omnium curam evidentiſſimè demonſtrantia.

1143 Ipſa præſertim Corporis humani ſtructura, & perpetua, quibus ſubeſt, niſi cæleſtis illud tutela protegat, Vitæ diſcrimina, palam faciunt, ejus perpetuò incolumitati omnipotentem ejuſdem Opificem excubare.

1144 Iam verò ſi Naturalium optimè conſtituta ſeries rerum, & innumera nobis Divinitus ſuppeditata, non ſolùm conſervandæ Vitæ neceſſaria, ſed etiam ſuavitatem, ac delicias elaborantia, tam affabrè conſtituta unicuique videntur, ut Impiorum tela non pertimeſcant: at-

atque ipſi Providentiæ in rebus Moralibus Impugnatores, illam plerumque in Naturalibus admirentur: ex hoc ipſo manifeſtiſſimè infertur, eandem multò magis in iis, quæ ad Mores pertinent, triumphare. Enimverò cum hæ non minus pendeant ab omnium Conditore, quàm illæ: cumque multò nobiliores ſint: abſurdiſſimum eſt, his illam, quæ aliis adeſt, Divinitatis Providentiam non intereſſe.

1145 Sed appellemus ad ipſius omnibus inſitæ Naturæ Tribunal. Non adeo manifeſta ſunt, quæ Philoſophi dicunt Prima Doctrinarum Principia (quæ ſcilicet ſuam illico veritatem unicuique rectè diſpoſito Intellectui perſuadent) ſicut omnibus prima fronte Verum apparet, Providentiſſimum eſſe Animorum Gubernatorem, & Æquiſſimum noſtrorum Operum Iudicem Deum.

1146 An non (ut Chriſoſtomus, Lactantius, Minutius, Arnobius, expendunt) communes Regioni, & Idiomati cuilibet ſunt hujuſcemodi loquendi formæ: *Placeat Deo: Velit Deus: Deus efficiat. Avertat Deus?* Non adſcititiæ igitur ſunt, & a peculiari eruditione partæ, cum ipſis etiam barbaris communes ſint; ſed innatæ Univerſæ hominum Genti ſimul cum facultate, uſuque loquendi. Ex iis ergo, quæ in reſpicientibus præcipuè fortunas, & mores hominum rebus uſurpantur, liquet de perſuaſione infuſa omnibus a Natura, quod ejuſdem Sortis, Morumque Regimini Provida Divinitas immiſceatur.

1147 An non & Impii cum Deum Blaſphemiis aggrediuntur, perinde ac ſi conatu inſano ſuæ vellent

ul-

ulciſci Cauſam Infelicitatis, ipſa ſua vecordi temeritate teſtantur, ab Arbitrio Numinis mortalium ſortes pendere?

1148 Quis, utcumque barbarus, & incultus, cum illi maximum aliquod periculum ingruit, Cęlum non intuetur: illum ibi Principem regnare cognoſcens, cujus in poteſtate ſita ſit noſtra Felicitas, & Infortunia?

1149 Quod ſi non ſingulos ſeorſum homines, ſed quoſvis hominum Cætus, utcumque rudes, & ineruditos, interrogemus, eandem de Provida, Pœnaſque, & Prœmia diſtribuente, Divinitate Sententiam ferent. Nulla certè unquam inventa fuit mortalium Societas, utcumque ab aliis diviſa, Literarum, & ferè ipſius Rationis expers, cui aliqua non eſſet Religio: & Vota, preceſque pro Pace, Felicitate, optimo Filiorum cultu, aliiſque hujuſmodi ad Mores ſpectantibus, non offerret credito a ſe Mundi Architecto. Cum omnes igitur decipi nequeant a Natura, concedendum ultro eſt, Numinis erga hominum Mores Providentiam exiſtere, quam ipſa omnibus Natura perſuadet.

Quod contrarium Philoſophi aliqui (ii verò pauciſſimi, omniumque execrationibus objecti ſint) opinati, nihil officit nobis. Omnium enim nomine Populos Omnes amplectimur, & eos quoque ſingulos homines, in quibus Naturæ Senſum evanida Mentis ſophiſmata non hebetarunt. Hæc profectò eò nonnullos impulerunt, ut Candidam eſſe Nivem, Calidum Ignem, olim pernegaverint: neque defuerint, qui cum Pirrone, & Sexto Empirico dubitarent, an verum ſit, nos vivere: idemque ſimul eſſe, ac non eſſe, minimè poſſe.

1150 Ceterùm an non quicumque de Civili Regimine tractationem inſtituunt, decernunt, conſervari non poſſe (quod Athei, ac Theiſtæ non diffitentur) humanam ullam Societatem, quæ Cæleſtem aliquem Bonorum, & Malorum Arbitrum non veneretur? Et facilius abſque Aqua, & Igne, quàm ſine Religionis fræno, Urbem aliquam poſſe conſiſtere? An non iidem præterea,,ceterique Philoſophi omnes affirmant, hominem conditum a Natura fuiſſe ad Veritatis ſcientiam comparandam, cui magis opponitur Error, Veritatem ſemper extinguens, quàm contrarium ſit Venenum Vitæ, quam non ſemper interimit? Perinde igitur ac nullam Viventium Speciem procreavit Natura, quorum Vita conſervari nequeat in optima ſui conſtitutione, niſi adhibendo illud, quod ipſi Venenum ſit: ita Sapiens nullus opinabitur, conditam a Natura fuiſſe Speciem Hominum, viventium Regis, ita conſtitutam, ut conſervari feliciter nequeat, niſi alatur Errore: nec in re quidem perlevi, aut inutili Quæſtione, ſed in Suprema, quæ menti obiici poſſit, Primoque Vero.

IX. *Neceſſariò Sceleſtiſſimi, non minus quàm Athei, Theiſtæ ſunt.*

1151 Maniſeſtiſſimis hiſce Rationum momentis ſummum, & quod excuti nequeat, pondus ineſſe ad ſtatuẽdum debitum Provido, & Iudici Numini religioſum Cultum, iis tantummodo non videbitur, qui probroſiſſima conſuetudine vitæ Iudicis ejuſdem indignationem laceſſunt: metumque impia temeritate conantur extinguere. Hoc verò etiam ad eorum eliden-

dam

dam audaciam telum intorqueatur, quod ſcilicet non Theiſtæ minus, quàm Athei, inquinatiſſimæ vitæ dedecore illam, qua decipiuntur, Falſitatem oſtentant. Nec verò mihi quiſpiam nugarum jactator obiiciat, poſſe illos a quadam Nativa rerum Honeſtate in officio contineri. Si enim nihil ſolicitum Humanarum Virtutum, aut Vitiorum, eſſe Deum opinantur, nulloque Supplicio Scelera, Prœmio nullo Probitatem afficere; an hanc incaſſum ament, quæ nec in ipſo floreret Deo, niſi quæ promerentur, rependeret hominibus, rectam, aut detortam viam ingreſſis? Corrueret Naturale illud Iuris, & Æqui Fundamentum: *Reddendum unicuique, quod ſuum eſt*: Lex periret omnis; & Menſura Honeſtatis. Niſi igitur vel Senium, vel Incuria Tartarei Hoſtis, qui ſuis jam aliunde retibus Theiſtas implicuit, vel Infamiæ timor illos compeſcat, ad Voluptates adhinnient ſemper veluti Bruta, ad Ultionem præcipites rapientur, aliena corradent: nullumque ab iis Morum Dedecus alienum erit.

X. *Per Summam Dementiam nos ab Atheis, ac Theiſtis Simplices dicimur, eò quòd credamus illa, quæ non videmus. Multò hujuſmodi plura, & abſurdiſſima, ipſi credunt, ac verè ſunt Mortalium Stolidiſſimi.*

1152 POſt Inſaniam, Impuritatemque Doctrinæ illam peſſundat demens Audacia, qua omnes addictos Religioni mortales, veluti ſtolida capita, ſtrenuè contemnunt. Hebetes, nulloque mentis robore præditos arbitrantur Sapientiſſimos Eccleſiæ Di-

vinæ Doctores: Miſeras, quæ ſe, nihil profuturis, cruciaverint pœnis, Myriades Martyrum Amoris Divini: Dementia tot Centena Millia fortiſſimorum Fidei Teſtium, qui eam profuſo magnanimo Sanguine aſſeruerunt.

Quia Simplices (hoc enim nos compellant nomine) Religioni addictos opinantur, juvat expendere, an ipſi potius miſera, & ſuperba Simplicitate laborent; atque hac, quæ ipſorum temeritati lethalis videtur, Sariſsâ jugulum Cauſæ petere.

1153 Vos igitur Prudentes, quia iis tantummodo rebus præſtatis aſſenſum, quas Oculis, aut aliis Senſibus uſurpatis? At hæc primò Belluarum, non Hominum, ſapientia eſt. Præterea num Dei, aut Providentiæ, *Negationem* Oculis, aut alio Senſu percipitis? Deum tamen, aut ejus Providentiam exiſtere, audaciſſimè inficiamini. Aliquid ergo creditis, cujus vos nullum Senſuum experimentum certos facit.

1154 An fortuitò Atomorum in unum confluxui, ex quo conflata omnia fuerint, interfuiſtis? An aliquid ſaltem nunc videtis contingere, ex quo primam illam rerum molitionem poſſitis arguere? Cauſas illas intuiti forſitan eſtis Infinitas, quas veſtrum aliqui ſomniant? Emortuæ Naturæ, unicæ rerum omnium Matris, vitam etiam, & ſpiritum rebus dantis, vires Oculis exploraſtis?

An non ergo affirmatis plurima, quæ Senſibus non experimini: & quorum Indicia nulla ſuppetunt (ut dilucidè demonſtravimus) cum innumera ſuppetant de Divinitate, illiuſque Providâ mortalium curâ: quanta.

tamen ideo tantummodo negatis, quia illam Oculis non aſſequimini?

1155 Nec ipſa Ratiocinatio, qua invicem diſputamus, percipitur Senſibus. Et illâ tamen, non viſâ, ſi carere proinde ſe quiſpiam veſtrum aſſentiatur, profectò non ego de me idipſum affirmabo.

1156 An Colorum exiſtentiam procul amandatis a rerum Natura, quia Olfactu illos non percipitis, vel Auditu? Enimverò extorres illos non agitis, cum superſit Senſus alius, videlicet Viſus, cui obiiciuntur. Cur igitur exulet a rerum Univerſitate Objectum Intellectus, quia Senſibus minimè ſubeſt, cum æquè compertum ſit, nos Intelligentiâ pollere, ac Viſu?

1157 Acutè Sapiens Theologus animadvertit, illos, qui, nihil ſe credere, affectant, plus omnibus credere, ac eſſe mortalium omnium Simpliciſſimos. Ipſos opinari, Religiones Omnes Veras ſimul, & Falſas eſſe poſſe; cum, Uni tantùm Veritatem affulgere, nos, illis viſi Simplices, affirmemus. Deum illi forſitan exiſtere putent, & forſan exiſtentiâ carere. Nos & ſolùm credamus exiſtere, atque hoc ipſum evidenti etiam Scientia conſequamur. Ab eodem nos Deo conditum Mundum credamus quidem, ſed etiam ratione manifeſtiſſima demonſtremus: Ipſi a Deo fortaſſe conditam putent rerum Univerſitatem, forſitan ab Atomis, fortè a nullo. Nullum demum figmentum ſit, Chymera nulla, quam ipſi, puerilem in modum, abſque ullo rationis fundamento, quaſi forſitan fieri poſſit, in animum non admittant. Cumque non penitus causâ cecidiſſe Superſtitionem Ethnicam arbitrentur, putent, fortè nova Numina

mina in lucem effundi a Iunone, fortè Serpentes, & nata in Sacris Ægypti Hortis olera Deos eſſe. Quantò pluribus igitur, quàmque ridendis, hi mortalium prudentiſſimi facillimo negotio præſtant aſſenſum!

1158 Neque verò, nihil ſe credere, affirment, ſed abſtrahere ab omnibus: ac rerum ſolùm imagines ſuæ menti repræſentari. Si enim, nullum a ſe, ne dubium quidem, Iudicium ferri aſſeverant: Prima ergo ſolùm ipſorum animo rerum Apprehenſio ineſt; ideoque communi hominum ceterorum dote deſtituuntur, qui non ſolùm Alterâ Intellectus operatione aliquid affirmant, aut negant; ſed etiam progrediuntur ad Tertiam, qua ratiocinando rem unam ex alia inferunt.

1159 Fruſtraneum porrò videtur, cum iis loqui, quos Homines eſſe pudet. Sed inſtare præſtat, quærendo: quonam pacto nihil affirment, aut negent, ſi, negato Divino Numine, aut Providentiâ, referri omnia poſſe in Naturam, aut Atomos, vel ſeriò affirmabant, vel dubitabant ſaltem; ideoque, qualemcumque demum, de his rebus ferebant ſententiam?

1160 Et vos igitur affirmatis, aut negatis plurima, quæ Senſibus minimè ſubſunt. Ac, ſive certum de illis, ſive fluctuans, Iudicium feratis, perinde mortalium (ut opinamini) ſolertiſſimi ineptitis. Nam primò ſi certò creditis, Veras ſimul Sectas multiplices, inter ſe pugnantes, eſſe poſſe, Veritatis, quæ Una tantùm neceſſariò eſt, Naturam penitus ignoratis.

1161 Ad hæc eandem aſſenſus firmitatem præſtatis iis, quæ omni carent fundamento Veri: (ut eo deſtitui Sectas omnes, Romanæ Religioni contrarias, dilucidè

de oſtendimus,) ac iis,quæ non aliqua tantum,ſed Centum,& Manifeſtiſſima quidem, exerunt Veritatis Indicia: quod de noſtra Sanctiſſima Fide clarius diurna luce comprobavimus.

1162 Si verò incerto Iudicio affirmatis, hunc fortè Cultum arridere Divinitati, fortaſſe alium: primò ineptiſſimum eſt, æquè propendere in rem, quæ Nullam exhibet Veritatis Notam, ac in aliam, quæ Innumeras præſefert.

1163 Tum, adhuc ambigere de Evidentiſſima re. Evidentiſſimam autem eſſe Prudentiam certiſſimum Catholicæ Veritati aſſenſum præbentium, meridiano in Sole ſtatuimus.

1164 Stolidi tandem ingenii eſt, cum dubites,fortaſſe Veritatem conſtare Apoſtolicæ Romanæ Doctrinæ; ideoque Sempiternum incredulo tibi Supplicium fortaſſe imminere, animum inquirendæ Veritati non adiicere. Hæc autem profectò inveniri poteſt, ſi Providus, & Iudex eſt Conditor hominum Deus, qualem ipſum eſſe, monſtravimus.

Eidem igitur Procreatori Optimo, ac Providentiſſimo, ſupplicia vota porrigite,ſuo vos ut lumine immerentes dignetur. Tum illas expendite, quas attulimus,Teſſeras Veræ Fidei; per illas enim compertâ Divinitus traditâ Religione; poſtmodum abſque ullo labore omnes, quos, ut à Deo revelatos, eadem Religio proponit Articulos facillimè in animum admittetis; cum credendum omnino, firmiſſimèque ſit revelanti Deo: ac prudentiſſimè à nobis adhibeatur celebris illa Pithagoræ Diſcipulorum Paræmia: *Ipſe dixit.*

XI. *Plu-*

XI. *Plurima Divina Prodigia, Veritatem noſtræ Fidei demonſtrantia, omnium oculis nunc etiam ſubiici, evidenter oſtenditur.*

INterim, ut ſalutaris vos veſtræ tandem Inſcitiæ pudor corripiat, illud ipſum urgemus, quod oſtendere adorti ſumus, hebetiſſimos videlicet vos eſſe mortalium. Non creditis modò plurima ſine ullo Senſuum ductu, aut Rationis Indicio; verùm etiam ne Senſibus quidem ipſis præſtatis Fidem, quibus tantummodo alioqui vos traditis erudiendos. Noſtrum hoc, ut aerem verberans, telum irridetis? Et affirmatis, illico a vobis animum Romanæ Fidei conſecrandum, ſi ullum veſtris Oculis Divinitus perpetratum Miraculum ſubiiceretur? Audaciam primò eorum admiror, qui peſſimè de Divinitate promeriti novis ſe confidant Prodigiis ad Cælum, vel invitos, rapiendos eſſe, quod hujuſmodi Civibus (feliciſſimum ſine illis nequaquam futurum) indigeat.

1165 Sed, quæſo vos, hucuſque ſpectata fuiſſe a vobis Portenta, Romanæ vindicantia Fidei Veritatem, pernegatis? At ſi veſtrum aliquis Fortunarum, Regni, Vitæ, Iudex fuerit conſtitutus, an non ſpectari a ſe cenſebit illa, quæ Centum Fide Digniſſimi Teſtes aſſeverent? Fortunas ideo, Regnum, Vitam, adjudicabit illis, quibus omnium Conſpiratio Teſtium ſuffragium feret: perinde ac ſi Iudex ipſe interfuiſſet, cùm Fortunæ legatæ Filio fuerant a Parente: cùm legitimum hæredem Regni enixa fuit Regina: cum Inſons ille procul ætatem egerat ab Urbe, ubi mors alteri fuerat illata, cujus reus

per ſummam calumniam inſimulatur? Agite igitur: Spectatis illa, quæ conteſtantur innumeri? Oculis igitur ſubiicite Sacrarum monumenta Hiſtoriarum, & Prodigia reperietis innumera ab innumeris pariter, vel optimis, Sanctiſſimiſque, vel Hoſtibus etiam, iniquiſſimiſque, recenſita Teſtibus: ac ſæpe Urbibus, & Provinciis notiſſima, dum coram Univerſo Populo contigerunt.

1166 Sacras præterea tabulas, atteſtantium jurejurando ſancitas, percurrite. Plurima in iis pariter invenire erit, tam ineluctabiliter vindicantia opus Divinæ Virtutis, ut illud oculis a ſe uſurpari, neceſſariò Lector non omnino demens arbitretur. Enimverò cum inciderim nuper (ſacras hujuſmodi, coram Præſulibus integerrimis habitas, Iuramento firmatas, Atteſtationes explorans) in pluſquam Triginta ſanctiſſimè affirmantes, cognita fuiſſe ab eximiæ quodam Virtutis famâ celeberrimo Viro ſui Cordis Secreta; perinde certò decrevi, Divinum hoc Viro illi præclaro Donum cælitus collatum fuiſſe, ac ſi mei latebras animi eidem innotuiſſe, proprio mihi experimento compertum eſſet. Præſertim verò cum ii Teſtes omnes, admoniti prius de Iuramenti ſanctitate fuiſſent: magnum in omnium verbis promicet ſtudium Veritatis: ætate omnes: ſingulari multi commendatione Virtutum: præclaro plurimi Genere: nonnulli Sacris Infulis: Summis alii Maximi Regis in Aula Muneribus, inclyti eſſent: & ea ſingillatim ediſſerant ſui Cordis Arcana Divinitus alteri revelata, quæ non ſolùm mortalium nemo, ſed ne ipſi quidem aliquando Cæleſtes, aut Tartarei Spiritus

conjectando aſſequi potuiſſent.

1167 Vix ullus præterea veſtrum erit, qui Propheticum aliquod Sancti cujuſpiam viri Pronunciatum mirificè deinde, contra omnium expectationem hominum, impleri non viderit.

1168 Ecquis Corporis expertium Spirituum exiſtentiam ſuorum experimento Senſuum non fuit edoctus in exſuctis improvisò a Strygibus miſerum in modum Infantibus?

1169 In expreſſa frequenter ab iiſdem (neque Fœminis tantùm) Veneficis Tartarei Confeſſione Commercij: ad quod ineundum primò illis fuerat Romana, ſcilicet Vera unica, Fides ejuranda?

1170 Quid de inſidentibus hominum Corpori Spiritibus dicam? Quo in genere cum certè frequenter plurima, præſertim in Fœminis, deceptio ſit; aliquando tamen Tartarei Corporum Incolæ manifeſtiſſimi ſunt, & vobis fortaſſe ipſis fuerunt: ſive ſcilicet ad Sacri Miniſtri nutum artus aliqui extemplo intumeſcerent: ſive Idiomate, miſeris illis hominibus prorſus ignoto, eorum linguæ loquerentur.

1171 Et quæ in hac compeſcenda Inferorum Tyrannide Sacrarum rerum, Sacri Ordinis, Imaginum, Reliquiarum, Sanctorum Invocationis Virorum, quotidie vis Oculis etiam ipſis elucet?

1172 Quod ſi Miracula alia, & palmaria quidem, fidelibus veſtris ſubjici Oculis exoptatis, tot Perpetua perennant ubicumque gentium; (de quibus illuſtre Volumen fuit exaratum) ut voti compotes fieri facili negotio poſſitis.

XII. *Pre-*

XII. Præterita Miracula multò clarius fulgent in conſervata Chriſti Eccleſia, quàm Imperij Romani a Cæſare Fundatio, & quæcumque alia Profana manifeſtè conſtent ex Hiſtoria, ac Traditione.

1173 AT perpetuorum omnium Prodigiorum Maximum, in quo Vetuſta vivunt Miracula innumera (ut manifeſtiſſimè demonſtravimus Quarti Libri Signo Tertio, & Quarto) eſt ipſa Propagatio Apoſtolicæ Romanæ Doctrinæ, ac Propagationis Modus, innumeris Portentis redundans, ut ibi oſtendimus. Eidem Primæ Propagationi nequaquam interfuiſtis, ſed ejus Admirabilitatem experimini in Fide, qua ſummopere Arduis Arcanis, ac Difficillimæ Legi, nos ipſi animum ſubijcimus. Experimini Eccleſiæ Chriſti Mirabilem Conſervationem, cujus, impugnata a Romanis Cæſaribus, Sexdecim ab hinc Seculis Initia non in Sacris tantùm Hiſtoriis innumeris, ſed in Tacito etiam legitis, atque Plinio.

1174 Præſentia Signa fundati a Cæſare Romanorum Imperij, aut ullius alterius, utcumque celeberrimæ, rei, quæ conſtet ex Auctorum Narratione, in quo tandem nunc Eventu invenimini? Enimverò quæ contingunt in præſens, perinde poſſent accidere, quamvis Romæ non Cæſar, ſed alius primò imperaſſet: neque prius Cicero Conſul Rempublicam moderatus fuiſſet. At de his tamen (ut reponitis) rebus dubitat nemo; de Prodigiis autem, quæ noſtræ Veritatem Fidei aſſeruerunt, ambigunt plurimi. Ita ne verò? Sed profectò illi tan-

tùm incerto fluctuant animo, quos non in Bruta ſolùm, ſed & in Saxa, ſuorum Veneficia Criminum immutarunt. Ii proinde ſolummodo manibus non contrectant, vel Oculis uſurpata, vel Inteſtina Miracula, quæ neceſſariò contigerunt in raptis ad Difficillimam Religionem, abſque Spectabilibus Signis, hominum animis.

PARÆNESIS.
Ad Hebræos.

I. *Nullus Hebræis eſt Pontifex. Iidem jactare nequeunt Antiquitatem, ac Durationem diuturnam, aut ullam ex ea Præſcriptionem inducere. Noſtri ſunt Prophetæ, omneſque Veteres Patres. Non Adamo, Abrahamo, ac Davidi, ſed Caiphæ, & Annæ, Iudæi ſuccedunt.*

1175 Quod vobis, Hebræi, ſupereſt Adſpectabile, Veſtræ Religionis Caput, ex quo Corporis Unitas, Pulchritudo, & Vita conſurgit? Quò Summus ille Sacerdos abiit, quo tantopere olim meritò gloriabamini; quique noſtri Pontificis Maximi Figura, & Præludium erat? Non ipſo tantùm Pontifice, ſed & Sacrificio, ac Templo ſpoliati fuiſtis, cum Sacra extra Hieroſolymam celebrare prohibiti ſitis.

1176 Fruſtra Proditor ille Cæſar Apoſtata Iulianus vos ad inſtaurandum Templum (dirutum olim a Romanis juxta Chriſti Domini Prædictionem) ſtimulavit; erupit enim è terræ, veſtrum conſilium execratæ viſceribus ignis, qui fundamenta ſtatuere aggreſſos miſerum in modum corripuit. Quæ

1177 Quæ vobis igitur Religio ſupereſt, ſi præcipuis illam conſtituentibus partibus, Sacerdote videlicet, Sacrificio, ac Templo caretis?

1178 Antiquitatem opinor, Diuturnamque Durationem jactatis, ideoque præſcribere audetis? Sed veſtra vos opinio falſiſſimos habet, ſi Fidei veſtræ Principia ad Davidem, Moyſen, Abrahamum, Primumque hominum Parentem refertis. Noſtri penitus iſti ſunt: noſtri Prophetæ omnes, & Patriarchæ, a quibus, ſi non mortale caducum genus, immortalem certè animorum Fidem derivamus. Adveniſſe credimus illum, quem venturum iidem diſertè prædixerant. Ac Tempora quidem, & Hebdomadas Daniel deſignaverat: Regalis illo adveniente mutationem Stirpis animadverterat Iſaias: idemque, & alii, concipiendum, & in lucem proferendum a Virgine, per multiplices Allegorias, & expreſſa etiam verba, ſpoponderant: Suburbio Bethleem, illius exortu illuſtrandæ, fuerant gratulati: Univerſitatis Regem a Bove in Præſepi, & Aſello, mox a Paſtoribus, ipſiſque etiam Orientis Regibus adorandum, prænunciaverant: Imponenda illi Salvatoris, aut *Ieſu* Nomina: Uncti Cælitus, aut *Chriſti*, Sempiterni ſcilicet Sacerdotis, ac Regis: *Emmanuelis*, videlicet, in quo certè *nobiſcum Deus* vitam inſtituit: apertiſſimè recenſuerant: Prædicationem, Prodigia, Mortem, inchoandum a Crucis Ligno in hominum animos Regnum, Anaſtaſim, triumphalem Supernas ad Sedes aſcenſum, & Seſſionem ad Patris dexteram, dilucidè augurati fuerant: velut etiam veſtram obdurationem in ſcelere, ac ſucceſſuros vobis in Hæreditatem Divinam Vera Religione excultos

Ethni-

Ethnicorum filios: noſtra demum Myſteria omnia pulcherrimis coloribus expreſſa fuerant a Prophetarum Oraculis. Una ergo, eademque eſt noſtra, & illorum Fides; niſi quod feliciora nobis, quia poſt impleta Vaticinia, & majori fulgore illuſtrata, reſerato jam Cælo, Tempora contigerunt. Noſtra igitur eſt Vetuſtas integerrimæ Religionis: noſtra diuturna, ſcilicet ferè Septuaginta a condita rerum Univerſitate Seculorum Duratio: ac noſtra proinde Præſcriptio Veritatis.

1179 Non Abraham, & David, ſed Caiphas, & Anna, Pontifices iniquiſſimi, ſunt veſtræ Superſtitionis Auctores: quorum unus, cum eſſet Pontifex, prophetavit (licet inſcius, ut Bellua, quam Balaamus inſedit) affirmans: *Expedire, ut unus moreretur homo, ne tota gens periret*. Hos, inquam, alioſque *gladio linguæ*, ut Auguſtinus inquit, Pilatum urgentes ad mortem Aſſertori Vitæ inferendam, veſtri erroris parentes ſortiti eſtis: 1180 Atque illos præterea, quorum tot Millia ſuffixa Cruci, (videlicet in pœnam ſimili fato ſublati Divini Regis.) ut, aliis erigendis Crucibus deeſset locus, Ioſephus celeberrimus veſter Hiſtoricus a Tito Romano Cæſare fuiſſe, commemorat.

1181 Veſtrum idcirco verum Initium Iniquiſſimum eſt, quia exortum a Morte inflicta Chriſto Domino, hoc eſt a Criminum Maximo. Nullus igitur Præſcriptioni ſupereſt locus, quia nunquam illam ſcelerati Initii, & Conſuetudinis in Scelere confirmatæ, manifeſta ſortitur Iniquitas.

1182 Neque verò cetera vobis adſunt Unitatis Indicia, cum plures vos in Claſſes Talmudicæ fabulæ diſtra-

diſtrahant: nec deſint, qui, contra præſcriptas vobis Leges, extra Hieroſolymam Sacra faciant, & Paſchalem deverent Agnum; neque tamen proinde agantur extorres a Synagoga.

II. *Talmudicæ Doctrinæ abſurditas, & Perverſitas Interpretum Sacras Hebræis Literas tenebris involventium. Nulla proinde ipſis eſt Certa credendi Lex, Sapientia, & Sanctitas nulla.*

1183 UT olim, licet ad ſumendum ſpecimen humanæ conſtantiæ permiſſum Tartaro fuerit, aggredi Primam hominum Matrem; Serpentis tamen ſolummodo ſpeciem, non verò aliam, ſuis tegendis dolis magis accommodatam, induere indultum eidem fuit: quò ſcilicet cavere ſibi Eva poſſet a deceptione, quam ipſa loquentis imago belluæ præſeferebat: ita quamvis, humanam minimè deſtruens libertatem, Sapientiſſimus Deus non vetuerit Rabinis veſtris inſana plurima comminiſci; ea tamen illis veſtiri coloribus vetuit, quæ ullam Veri Similitudinem exhiberent. Cavendum igitur vobis erat, cum omnes illis ineſſent Falſitatis Notæ. Sed mentis in ſcelere obduratæ nequitia omne ratiocinationis lumen uſque adeo extinxit, ut veluti Divinitatis Oracula magno nunc in pretio habeatis delyrantium hominum abſurda phantaſmata; licet eiuſmodi ſint, quæ, nedum Divinæ, nec humanæ quidem Sapientiæ partus videri poſſint. Interpretum ergo veſania Certam nullam vobis relinquit credendi Legem, cum vix ullum (ut ipſi jactant,) nunc intercedat diſcri-

men

men inter illa, quæ Deus ipſe mortalibus tradidit, quæque ipſi ſomniarunt.

1184 Quis certos vos Divinorum faciat Oraculorum? An Prophetæ, Sacerdotes, Iudices? Omnibus iſtis Religionis Cuſtodibus deſtituti Sacra profectò Volumina pro uniuſcujuſque Arbitrio in hanc, aut illam ſententiam detorquetis, & quilibet ex æquo legitimum ſe illorum Interpretem audaciſſimè profitetur. Intellino forſitan, qui falli nequeat, ſe veſtrum quilibet Spiritu afflatum opinatur? At cujus dementiæ ſit, hoc ipſum opinari, ſatis oſtendimus Libro Tertio Signo Sexto, dum hujuſmodi Argumentum contra Recentiores Hæreticos urgeremus. Ceterùm cum hoc alii veſtrum Sacros interpretandi Libros Arbitrium invaſerint, quibus non majus, quàm vobis, plurima illis miſcendi jus erat: perinde vobis etiam ipſis indultum arbitrabimini alia eiſdem inſerere. Nulla igitur reliqua vobis erit Certa Norma credendi.

1185 Neque ad ipſos quidem Sacros Incorruptos Codices a Vitiatis ſecernendos indubitatus vobis Dučtor adeſt: & nimium quantum plerique Talmudicos conſectamini, ſtolidis Rabinorum Commentariis inquinatos.

1186 Si *notus olim erat in Iudæa Deus, in Iſdrael magnum nomen ejus*: ſi plurimi ex dilecto Superis Populo amore Divinitatis incendebantur: ſi magnum frequenter apud eos erat Sanctimoniæ, Cæleſtiſque Doctrinæ conſortium: nulla nunc veſtigia ſuperſunt avitæ gloriæ in viliſſimo hominum grege, ſupinâ ignorantiâ laborante, abjectiſſimis implicito artibus, avaritiâ, &

men-

mendaciis conflato, nullo ſpiritu Charitatis imbuto, nullum ineunte commercium animi cum Divino Numine, aut Cæleſtium rerum amorem ullum ſpirante.

III. *Nullum Hebræis relinquitur Signum Comprobationis Divinæ, cum plurima illis olim fuerint, præſertim in Prophetis, & Miraculis.*

SPectat ad Optimum, & Sapientiſſimum Deum certa exhibere hominum Reipublicæ Signa, quibus Vera, ipſique arridens Religio ſecerni poſſit a Falſa, eidemque improbata Numini Superſtitione. Ex his autem Signis, quorum plurima hucuſque tradidimus, præcipua ſunt Miracula, omnes naturæ vires ſupergreſſa: & impleta Prophetica dicta: & quidam præterea rerum Eventus, qui Manifeſti videntur Charactéres Manus Divinæ. Conſpirarunt hæc olim omnia ad Veritatis palmam Iudæorum Fidei contra Ethnicorum inſaniam tribuendam. Cuncta nunc nobis militant ad Spurios Abrahami Nepotes evertendos.

1187 Quæ vobis olim affluebant Prodigia, nulla ſunt in præſentia; nobis autem innumera. Frequentiſſimi ex noſtro conſortio futurarum Præſenſione rerum illuſtrantur; ex veſtro nulli. Noſtrum penitus eſt Sapientiæ fœdus, ac Sanctitatis: (quod eſſe Amantis Indicium manifeſtiſſimum Divinitatis, apertè comprobavimus Libro Secundo Signo XIII.) At vobis nec ipſa ſupereſt Doctrina expers Sanctimoniæ: neque iſta relinquitur, Doctrinæ lumine viduata. Nullum igitur vobis eſt reliquum Argumentum Comprobationis Divinæ.

1188 Ne iterum huc congerere adigar, quæ in Operis decurſu diſſerui, ſolùm innuo: Incredibile penitus eſſe, quod, eum innumeros ex Noſtris tanto ſui Amore Optimus incenderit Deus: tot nobis indulſerit Martyres Charitatis, & Fidei: vera nos cognitione ſui deſtituerit.

1189 Ut autem breviſsime in Miraculis hæream, & Prophetis; an non per has Divini Teſtificationes Numinis olim veſtræ Religionis Veritas aſſerebatur? Cum igitur earum nulla ſuppetat vobis poſt Mortem Chriſto Domino illatam, & nobis innumeræ ſint; niſi eiſdem noſtræ Veritatem Religionis comprobari fateamini, omni penitus rationis lumine veſtra vos dementia ſpoliavit.

IV. *Manifeſtiſſimum eſt, Hebræos plecti ob Chriſti Domini necem.*

1190 DE palmari quid Pœna dicam, vobis Divinitus irrogatæ? Vos hanc ipſi Pœnam veſtris, quæ in præſens admittitis, putatis infligi criminibus: adeo nullum Sanctimoniæ vobis decus vindicatis. Sed nimiam hanc animi dejectionem Tartarus parit, ut vera Supplicii veſtri Cauſa vos lateat. Utcumque enim Sanctitas vos nulla commendet reatibus plurimis inquinatos; non tamen eorum Nequitiam antevertitis, a quorum ſanguine mortale ducitis genus: neque nunc tam audacter a vobis, & cum pompa peccatur. Sacra certè non facitis inanibus Diis, ut olim frequentiſsimè, poſthabito Vero Numine, Majores veſtri præſtabant: neque Prophetas, qui nulli ſunt vobis, occiditis.

1191 At-

1191 Atq; hic obiter innuo, vos poſt actum in Cru-
cem humani Generis Reparatorem, impulſos à Tartaro non fuiſſe ad inſanũ thus adolendum Tartareorum Numinum Simulachris: ex quo novum eruitur Argumentum maximi ſceleris, quod contraxiſtis in ipſo Supplicio illato Mortalium Regi. Hoc enim prætergredi cum humana vecordia nequeat, ſopori ſe dedit teterrimus Hominũ Hoſtis, omne olim ſtudium adhibens ad veſtros Proavos dementandos. Imo ſuis expedire cenſuit rebus, ut ulterius in cultum Idolorum minimè prolaberemini, vobis idcirco lenocinari, perinde ac ſi Cęlo arrideret Superſtitio veſtra; cum interim odium, quo flagratis in Aſſertorẽ Salutis, certiſſimè vos perdat Exitio Sempiterno.

1192 Illi autem, quod adortus eram, Argumento inſtans, animadverto: & ipſos Reges (quorum Crimina perniciem plerumque in ſubjectos populos trahunt) præter Davidem, Ioſiam, & Ezechiam, vel Idolorum Statuas de medio penitus non ſuſtuliſſe: vel ipſos etiam frequenter (ut Salomonem, alioſque plurimos Iudæ Regnatores) ante Simulachra Dæmonum procubuiſſe; Iſdraeliticos autem omnes fuiſſe prævaricatos.

1193 Ob aliud ergo majus nefas tam inſigni Exilii, Paupertatis, Dedecoris, amiſſi Regni, Sacerdotii, & in vos flagrantis Gentium omnium Execrationis, pœnâ mulctamini. Hoc autem nefas eſſe Crucem Reparatori noſtro à veſtris Patribus præparatam, & ardens adhuc in vobis contra humanæ Salutis Cauſam odium, Rabbi Samuel, Sexcentis ab hinc annis ſcribens ad Rabbi Iſaac, conjectabat, ac prudentiſſimè inferebat: Præſertim expendens Tempora everſæ Hieruſalem iuxta

Chriſti Domini Prædictionem, paulò poſt illius funus, ac ſtatim inchoatæ perpetuæ Captivitatis.

1194 Aliæ ſiquidem breves fuerunt, nec Babylonica prætergreſſa fuit Annos Septuaginta. *Et tamen nunc*, ut ille inquit, *ira iſta non habet finem, nec in Prophetis promittitur: & ſunt iam Mille anni, ex quo diſperſit nos Deus per quatuor Mundi partes.*

1195 Impleta videlicet ſunt Danielis Vaticinia cap. 9. *Occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt*; neque enim amplius ut ſuum, dilectum olim, Populum vos Deus agnoſcit. *Diſſipandos vos a Duce venturo, defecturam hoſtiam, & Sacrificium uſque ad finem*; idem prædixit Daniel. 1196

Voſque ab omnibus proculcandos ominatus eſt David, ita Chriſti verbis loquutus Pſal. 56. *Miſit de Cælo, & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.*

1197 Atque ipſe noſtræ Salutis Aſſertor in celeberrima Parabola *de Vinea*, ſcilicet Eccleſia ſua, *locanda alijs Agricolis*, hoc eſt Ethnicis, vocatis ad Fidem, *vos malos malè perdendos*, apertè prænunciavit.

1198 Quæ verò veſtrum Exilium Prodigia, ut olim, illuſtrant? Si captivos aliquandiu Iſdraelitas oppreſſit Ægyptus, conſtitutum quodammodo ſui Pharaonis Deum Moyſen exhorruit: Portenta vidit innumera, & ipſum etiam apertum Erythræum Mare in adamantinos hinc inde parietes ſolidatum, ut incolumis per ſuum alveum curſus pateret Hebræis: mox liqueſcens ad Ægyptios inſequentes toto ante funus elemento tumulandos.

1199 Si Babylon veſtris aliquamdiu catenis inſultavit,

tavit, collata Divinitus Tobiæ, Danieli, ac Sociis dona ſuſpexit: compreſſa Leonum ora: partum ab incenſis rorem fornacibus; quæ in veſtros deinde hoſtes Chaldæos exæſtuârunt: mirabiles eventuum, qui ſuis etiam Regibus contigerunt, Prædictiones audivit: ac tanta veſtri Numinis admiratione correpti ſunt Populi, quorum jugum olim ſubiiſtis, ut præcipuè ad Famam ejuſdem Numinis propagandam ſua voluerit Cælum a vobis Trophæa, ſub Captivitatis ſpecie, circumferri.

1200 Quæ verò nunc Miracula veſtram ſalutem tutantur? Ut veſtri penitus oblitus videtur Deus! Quos vobis Prophetas indulget? Illos non indulgeri dicitis in Pœnam Criminum? At hæc olim non deerant: & mittebantur Divinitus Prophetæ ad eadem Crimina compeſcenda. Ergo ideo negantur, quia obduraſtis animum in odio Divini Regis, quem venturum Prophetæ prædixerant: nec amplius eſtis dilectus Cælitibus Populus. Ob illas olim Divinitatis Tubas Iudæa erat Orbis terrarum Magiſtra: ſqualet in præſens Ignorantiæ tenebris conſepulta: atque omni carens Argumento Comprobationis Divinæ.

1201 Si Seductor fuiſſet ille, quem egiſtis in Crucem, nefariè ſibi arrogans Divinitatem, præclarè de Vero Numine meriti eſſetis, Præſidem ad illi Mortem inferendam urgentes. Totis artubus contremiſco, quia, veſtris uſus verbis, Seductoris nomen aptavi Sanctiſſimo ad Cælum Duci, quem *pluſquam hominem, ac verè Meſſiam fuiſſe*, Ioſephus veſter affirmat. Ex quo intulimus, illum ipſum pariter fuiſſe Verum, & Unicum Deum, quem ſe eſſe veriſſimè profitebatur.

1202 Interim poſt hoc, quod pluſquam Mille Sexcentis ab hinc annis Mortis eidem illatæ Holocauſtum Cælo gratiſſimum a vobis oblatum fuiſſe; ſtolidè, ac ſacrilegè opinamini, quæ vobis Cælum Dona rependit? Supplicia videlicet: quæ nulli alteri Genti tam illuſtria illata unquam fuiſſe comminiſcimur.

1203 Ne, alibi expectari a vobis Præmia, jactetis, quos altera, & Perpetua quidem, Mors alibi præſtolatur. Humi defixa indoles veſtra perituris hujuſce vitæ bonis inhiavit ſemper: atque horum ubertim conferendorum illicio vos ad Virtutem olim etiam erigebat Deus. Hæc ergo cum penitus vos deſtituant, *Lapideum* aliquando *cor* excutite: *Velum* deiicite oculis veſtris admotum: quemque innumera Signa Regnantem vobis oſtendunt, veſtrum, totiuſque ſimul humani Generis Regem tandem aliquando ſupplices adorate.

PARÆNESIS

Ad Mahometanos.

I. *Sectæ hujus Novitas, & Iniquitas, Manifeſta ſunt Indicia Falſitatis, & Præſcriptionem omnem excludunt.*

QUibus verò vos compellem verbis, infelices aſſeclæ Mahometis mortalium omnium nequiſſimi? Quas contra vos præcipuè intorqueam ex recenſitis Veræ Fidei Notis, quæ noſtram omnes illuſtrant?

1204 Novitate primùm laborat Superſtitio veſtra, quæ Undecim ferè ab hinc Seculis è Tartaro erupit, cum prænuncia ejus nulla Signa micuiſſent, præter-

terquam viſa Ioanni de Belluis Veram Eccleſiam depopulaturis; contra verò Sacroſanctam Chriſti Religionem (quæ una eademque erat; mutato ſolùm Temporum Statu, cum Adami Fide.) innumera prædixerant Prophetarum Oracula. At Sex ferè mille ante Mahometis Exortum, poſt conditum Orbem effluxerant Anni; ut proinde Novitas ipſa veſtræ manifeſtam inurat Sectæ Falſitatis Notam.

Neque verò Antiquis aliquid tantummodo fuiſſe additum Religionibus a Tartareo veſtro Propheta, blateret quiſpiam. Omnes enim ille diffinxit; licet ad invadendum peſſimis artibus Omnium amorem aliquid a Singulis fuerit mutuatus: Circumciſionem ſcilicet, ac vetitum Svillæ carnis eſum ab Hebræis: Chriſti Domini a nobis laudes eximias: ab Ethnicis Luciferi Sideris, ac Lunæ Superſtitioſum cultũ. Plurima ceteroqui ſancivit pugnantia cum iis, quæ Divinitus revelata fuerant Hebræis, quæque nobis ab induta humanam Naturam Sapientia Divina. Vetuſtam ergo Religionem ſubvertit, aliamque finxit, impia novitate præſeferentem Indicia manifeſtiſſima Falſitatis. Leges quidem aliquas pro varia Temporum, & Mortalium opportunitate (minimè repugnantes illis, quas omnium animis impreſſit Natura) mutare poteſt Optimus, ac Sapientiſſimus Deus. Præterea cum olim, quæ ſcitu neceſſaria erant ad Sempiternam Salutem conſequendam aperuiſſet, alia ſubinde arcana ſua recludere valet; ſed contraria illis, quæ prius nos edocuit, proferre deinde in medium nequit, niſi ſe profiteatur Inſcium, aut Mendacem. Quis autem alterutram, aut utramque hanc labem

absque

abſque inſana blaſphemia tribuat Divinitati? Cum igitur Novum illius cultum, cumque illis, qui vigebant antea, certantem, Mahometes induxerit, vindicare ſibi nequit Vetuſtæ Religionis Diuturnitatem, ut aliquod ſibi aſſerat a Præſcriptione ſuffragium.

1205 Ipſa præterea manifeſta Iniquitas, qua per Fraudes primò, deinde per Vim, & Arma Tyrannidem animorum uſurpavit, omnem Præſcriptionem eliminat: qua deſtitutæ ultro corruunt Sectæ omnes, ut Libri Primi Signo Quinto apertiſſimè demonſtravimus.

II. *Ignorantia, & Nequitia Inſtitutoris.*

1206 AN verò Auctor ipſe Superſtitionis veſtræ iis inclaruit collatis Divinitus prærogativis, quæ perſuadere prudentibus meritò poſſent, majorem eidem, quàm ceteris omnibus per Secula penè Sexaginta mortalibus cæleſtem lucem affulſiſſe? Dotes illas, quæ majora præſeferunt Amici Numinis Argumenta ſtatuimus Libro Secundo Signo Tertiodecimo, eſſe Sapientiam, & Sanctitatem. At ex Inſcitia, & Improbitate conflatum Portentum Mahometem fuiſſe, omnes illius Vitæ, licet ejus Sectæ addicti, Scriptores commemorant: ac ipſe diſertè hoc idem eloquitur in Alcorano, ineptiſſimis nugis, & perpetuò inter ſe pugnantibus Sententiis contexto: & Superbiam, Furorem, Libidinem, Triplicem ſui animi Furiam, quavis in pagina Lectori afflante. Quæ quidem ſomnia teterrimus Nebulo aliis dictavit, cum ipſam legendi characteres, nedum ſui appingendi Nominis, artem ignoraret.

1207 Qua phreneſi adipiſcendi qualicumque demum

mum arte claritatem Famæ hic ad ruinam humani generis natus Camelorum Ductor exæſtuavit! Qua crudelitate graſſatus fuit in omnes vecordiæ ſuæ reluctatos: nec in Exteros tantùm, ſed & in Cives, & Conſanguineos! Quibus Luxuriæ flammis exarſit, qui, cum Quatuor aliis Uxores primò indulſiſſet, Quatuordecim ipſe Prophetico jure ſtatim arripuit: deque Quadraginta fortiſſimis viris ab uno ſe in Liberis procreandis palmam referendam Bellua ſtrenuiſſima jactare conſuevit!

Quod Sancti huic Monſtro Prophetæ nomen adhæſerit, incredibile Tartareæ Nequitiæ Portentum videtur. Sed enim hoc eidem ab illis ſolùm tribuitur, qui ſua, quibus intabeſcunt, Crimina Mahometis Exemplo conſecrari amant. Nihil Inferni Hoſtis interfuit, ab inanibus ne Diis, a quibus plurimos Mahometes abſtraxit, an ab ipſo Mahomete Vitia honore Sanctitatis inſignirentur: perinde enim illa ceterorum in animos fundebantur, ex æquo in Tartarum ruituros.

Ceterùm quæ Falſitatis Indicia promicent ex Recentis alicujus Sectæ Inſtitutoris Nequitia cum decreverimus Libro Secundo Signo Primo, illa hìc iterum inculcare non vacat.

III. *Fraudes, Impoſturæ, Violentia, qua uſus Mahometes fuit, manifeſtè repugnant Veræ Doctrinæ Sanctitati.*

1208 QUæ III. & IV. Secundi Libri Signo Schiſmaticis præſertim, & Hæreticis obiectavimus, ea contra teterrimum hunc Nebulonem militant omnia. Stolidum certè in Arabia gregem, neque

ſuis, quos ducebat, Camelis prudentiorem nactus eſt Furcifer, qui eidem imponere valuit res abſurdiſſimas, a noſtratibus ipſis Pueris deridendas. Sive affirmaret, Agaſonem ſe, cui antea ignoti Characteres fuiſſent, Divinitus edoctum illos legendi artem: cujus tamen eximiæ, ac Divinæ facultatis Specimen nullum, percurrendo Literas ab alijs ad ſe datas, unquam præbuit: ſed ea ſolùm Somnia fugientibus a ſe hauriri oculis finxit, quæ, ante a ſe dictata, memoriâ complectebatur. Sive raptum ſe fuiſſe diceret in, Corporeis Voluptatibus redundans, Cælum. Sive narraret Cucurbitis, Auditoribus ſuis, duas a ſe in partes diviſam olim Lunam fuiſſe, ac deinde iterum conglutinatam, coram Teſtibus, qui tamen fato conceſſerant, cum hæc ſtolida Portenta ſpargere in vulgum incæpit. Atque hoc tamen nomine nunc ſummo Lunam (ſuboffenſam primò, ac deinde ſuo Prophetæ placatam) obſequio Turcæ proſequuntur, & in Vexillis circumferunt.

Quis unquam Circumforaneus Impoſtor hujuſmodi nugas effutiens ad exhilaranda Ruſticorum phantaſmata ſperare auſus fuit ab Auditoribus fidem? Et eam tamen, ſuo, aliorumque infortunio ſortitus a fungis innumeris fuit Inſanus Arabs, qui mortales indultâ peccandi Licentiâ dementavit.

Acceſſerunt ſplendidiora mendacia, quibus, cum frequenter Comitiali morbo corriperetur, ſeu verius (ut Cedrenus, aliique affirmant) agitaretur à Dæmone, ac proinde primæ faſtidio eſſet Uxori, proruere ſe tunc ſponte in humum ſanctiſſimè pejerabat, quem ſuo Cæleſtis militiæ Princeps Gabriel alloquio dignaretur.

Quia

Digitized by Google

1209 Quia verò Fraudibus hiſce nimis ridendis in paucorum primò animos valuit irrepere, ac ſuis præcipuè Civibus in Urbe Mecha ludibrio fuit, ſtolidiores offendens incolas Almedinæ, inſtructo eorum Exercitu regreſſus eſt ad Patriam opprimendam, ſibique nomen dare abnuentes, Conſanguineos etiam ſuos, crudeliſſimè trucidavit.

IV. *Incredibile penitus eſt, deſtitutum a Deo fuiſſe tenebris conſepultum Genus humanum, quò uſque Scurra impuriſſimus, & vecors hic Carnifex illi Lucem afferret.*

1210 Hoc quoque ſatis in ipſo Titulo excuſum telum, jamque aliorum Veritatis Hoſtium pectori ſalubriter infixum Libri Secundi Signo Quinto, vix in vos coruſcamus, miſera Mahometis Mancipia, validè intorquendum ab illorum, qui vos alloquentur, ſacrâ facundiâ.

1211 Quod ſi (ut Præceptor aſſerit veſter) in ſuâ Hebræi olim, & Chriſtiani ſalutem adipiſci poterant Religione, cur utramque ſubvertit? Cur etiam poſt ejus Fraudes, & Arma, Sempiternam aſſequi Felicitatem Chriſtiani non valeant? Sed hanc, reponitis, illis non abnuit mitiſſimus, & æquiſſimus Mahometes, diſertè profeſſus Alcorani Cap. 2. etiam nunc *ſalvari Chriſtianos.* Itane verò? At cum Una tantùm, ut Unus Deus, ſit Vera Religio, Unius tantummodo, & integerrimæ quidem, Profeſſores Immortale poſſunt conſequi Regnum: ut Libro Primo §. 20. ante Signum Primum, dum ge-

neratim explicaremus naturam eorundem Signorum Veræ Fidei, certò ſtatuimus.

Quid verò inferatur ex eo, quod nobis quoque nunquam perituræ Vitæ Beatitatem Mahometes indulgeat, opportunius ediſſeram, cum Seriem redorditus Notarum Veræ Religionis, quaſdam ex iis alias vobis accommodaverim.

V. *Mahometicæ Doctrinæ Impuritas.*

HUc ſpectant, quas Libro Secundo Signo Sexto, quaſque Quarto Signo Tertio tradidimus, Teſſeræ Veritatis. Bruta certè, non Homines, fuit alloquutus, qui ſibi, veluti Vatum Suaviſſimo, adhinnientem vidit Auditorum coronam, cum ſanciret omnes Cælo donandos, qui Deo, ſibique fidem præſtarent; licet omne Voluptati, ac Furori frænum laxarent: imo Æternam ſpopondit earumdem Corporis deliciarum uſuram.

1212 In hanc Porcorum Legem (quo nomine illam compellat Averroes, Saracenus quidem, ſed contra ſui Magiſtri præceptum excultus Philoſophiâ) non Chriſtiani, ſed Ethnici excandeſcant, quos ceteroqui Mahometes proterebat. Ii certè Voluptariam hanc, attributam Epicuro, doctrinam, veluti ſordidam, inſanamque, plerique paſſim execrabantur. Sed preſſius agamus cum iis veſtrum, quibus belluina conſuetudo fortaſſe reliquam fecit humani aliquam ingenii ſcintillam.

1213 Non illum Turcæ Iovem adoratis, qui Ganymedem, Danaen, aliaſque innumeras deperire ab Ethni-

Ethnicorum inſania credebatur; ſed Honeſtate ſumma præditum, ac Sanctitate Maximum Deum: Cur ille igitur in cultoribus ſuis Probitatem non amet, Honeſtatemque Morum? Cur majori, quàm Vitia, Præmio non afficiat Virtutem? Cur ipſa Crimina Supplicio non ulciſcatur? Ea præſertim, quæ ſordidiſſima, ipſiſque Belluis ignota, ideoque nefaria, docet eſſe Natura?

1214 Quis veſtrum æquali amore, ac præmio proſequitur Nequam Servum, & Optimum; licet hic perpetuò veſtris, nunquam ille, nutibus obſecundet, dummodo uterque ſuos vos eſſe Dominos fateatur? Enimverò qui veſtrum detrectet Imperium, licet ipſum non impetat jus imperandi, flagellis, & Catenâ mulctatis, aut præacuta etiam non raro ſude transfigitis. Majorem ergo vobis Æquitatis laudem, quàm Sapientiſſimo, & Optimo Deo, vindicatis; ſi ex æquo vocari ad Cæleſte cum Inſontibus conſortium Sceleſtiſſimos homines arbitramini, dummodo hi (cum omnes ceteroqui Naturæ, ac Divinitatis leges peſſundent) ipſum regnare Deum, ejuſque Interpretem fuiſſe Mahometem non inficientur? Iamque, niſi fallor, apud cordatos viros ſatis elucet Falſitas ex ipſa Mahometicæ Impuritate Doctrinæ.

VI. *Ridiculæ Mahometis Nugæ, Abſurdiſſimæ Fabulæ.*

QUamvis Deorum turbam exagitare aggreſſus, quorum Multiplicitatem ipſum Rationis Lumen exhorret, Prudentiæ laudem prima fronte novus hic ex Agaſone repente Religionis Magiſter invaſerit; ta-

tamen tot deinde ſtatim ridenda commenta effutivit, ut omne corruperit decus, quod ex primo Vero Pronunciato contraxerat.

1215 Quæ primò Dementia fuit, Idololatriam omnem de medio tollere, ac Luciferi interea, Lunæque ſuperſtitioſum cultum comprobare? 1216 Quàm verò ridenda, quæ Alcorani cap. 36. (ut Auctor eſt Moſen, impiæ prius Superſtitionis Sacerdos, eamque deinde deteſtatus, & Ioannis Andreæ nomen indutus in Libro, cui Confuſionem, ſeu Confutationem Mahometanæ Sectæ nomen impoſuit) comminiſcitur de Salomonis Exercitu ex Dæmonibus, Hominibus, Avibuſque conflato, curſum inſtituente ad Formicarum fluvium, quarum una vocem emiſerit, aliis præcipiens, ut ſua ſe in antra reciperent, ne a Regis Exercitu proculcarentur? Quæ de Upupa ſomniat, Salomonem alloquuta de Regina Saba, cui per eandem Upupam miſerit Epiſtolam, quamque deinde juſſerit, a Dæmone ſuam in Regiam illico inferri? Quæ cap. 11. Libri 2. commemorat de Gabriele ſuis oculis uſurpato, cum Septuaginta parium alarum remigio aerem ſcinderet, ſecumque duceret equum Alborach nive candidiorem, cui Mahometem ipſum juſſerit inſidere, ſponſione prius adactum ab Equo, ut iter inſtitueret ad Paradiſum: quod præſtiterit, nactus prope Hieroſolymitani Templi fores, qua Primum ad Cælum Argenteum eniteretur, Scalam, & exinde progreſſus fuerit ad Aureum, & mox ad alios ex pretioſis lapidibus conſtitutos, donec in Septimo, præter Chriſtum Dominum, invenerit Angelum Septuaginta Capitum Millia præſeferen-

ren-

Digitized by Google

rentem, & in ſingulis linguas Septuaginta mille ſolventem; quarum pariter ſingulæ totidem voces efformarent: ac tandem in Octavo Deum ipſum fuerit alloquutus, blanditum ſibi admota humero manu, quam tamen ita frigore rigentem fuerit expertus, ut ejus attactum ferre vix poſſet?

Mitto Sexcenta hujuſmodi delyramenta, quæ niſi famoſo ſuæ Legis Volumini Morio nequiſſimus inſeri voluiſſet, a nobis illi falsò tribui Turcæ inclamarent ad eum ludibrio traducendum. Et hic ſpeciem vera loquentis illis habere videbitur, qui mente penitus minimè deſtituantur?

VII. *Contradictiones, quibus Alcorani Dogmata Manifeſtæ Falſitatis coarguuntur.*

1217 INſignem inter ſe pugnantium Sententiarum, quæ Mahometo exciderunt non ſine ſalubri Providentiæ Divinæ conſilio, ut ex illis pateret Inſcitia, & Iniquitas Belluæ mendaciis, & impoſturis confutæ, alii diſertè contexuerint. Unam delibo principem ceterarum, qua cum apertè aſſeruiſſet Cap. Primo *Chriſtum Filium Mariæ eſſe Dei Verbum*: & paſſim eundem appellaſſet *Meſſiam Judæis promiſſum*, deinde ſui oblitus eundem *Creaturam* eſſe cum Hebræis, Ario, & Eunomio affirmavit.

1218 Hæc porrò ſibi contradicendi dementia fluxit ex eo, quod varia ſubinde ſibi Divinitus revelata fingebat, prout ſuis tunc rebus opportunum putabat: ac primò Chriſtianorum voluit animos demereri: deinde gratiam Judæorum inire, ac juxta præſcriptum ſibi a

Ser-

Sergio Hæretico morem vela flectere Prædicationis inſanæ,

1219 Cum autem quas Tartareo identidem ſpiritu afflatus dictabat ſchedulas in Arcam coniiceret, & ad illas in ſeriem redigendas tempus eum, & vita deſtituerit, omnes in Codicem unum conflavit Socer ejuſdem Humar, nihil ſolicitus illas delendi, quæ ſancita prius Dogmata deſtruebant. Quis verò non impos mentis, Magiſtrum Veritatis eſſe illum, inducat in animum, qui ſecum ipſo non minus, quàm cum ceteris pugnet?

VIII. *Nulla Mahometanis eſt Sanctitas Vitæ.*

EXpendimus Libro Secundo Signo Octavo, quàm frequens in Romanæ Filiis Eccleſiæ ſit eximia Sanctimonia Vitæ: ac poſt recenſita collata iiſdem omnia Sanctitatis ornamenta in indulta plurimis mirabili Sapientia, Prophetico Spiritu, Miraculorum Dono, ac Supremæ Virtutis experimento in effuſo pro Sanctiſſima Fide magnanimo Sanguine, vel in ſponte ſuſceptis immanibus cruciatibus, quibus perpetuò ſeſe pluſquam heroicâ tolerantiâ torſerunt inclyti Martyres Amoris Divini: ex his intulimus Signo XXIII. penitus Incredibile Portentum eſſe, quod tam eximiis Cæleſtibus Donis affecti, tantoque incenſi Amore Divinitatis, Vera Optimi, Maximique Dei cognitione caruerint.

1220 Iam verò quinam a Turcis inſigni Sanctimonia clari cenſentur? Quos videlicet Turlachos vocant, & Morabitas, Iejuniis prius, & collata liberaliter inopum turbæ ſtipe purgatos, & uſque adeo deinde huma-

manitatem exutos; ut abſque vllo dedecore, imo cum laude Virtutis prope Divinæ, liceat iiſdem coram Populo turpiſſima libidine quamlibet aggredi, exinde non ſine Mariti plauſu conſecrandam; frequentius tamen ipſas inſiliant belluas, honori habendas a vulgo; hæc enim Mahometes ipſe ſub Morabitarum ſpecie perpetrare Sanctiſſima facinora perhibetur.

1221 At hæc ne Adulteri quidem Iouis, proſtitutæ Veneris, & capti retibus Martis, adoratores, coram Sole ſuffundendo tenebris, admiſerunt.

1222 Si prima illa Jejuniis, ceteraque corporis afflictatione arriſit Deo Criminum Expiatio, cur eidem non placeat in poſterum ſimile a Voluptatibus abhorrentis Vitæ Inſtitutum? Cur turpiori deinde ſe ſcelere obſtringant, qui primis delendis noxis operam ſtrenuè navarunt?

1223 An illarum natura rerum immutatur, & Honeſta evadunt, ac Sancta, quæ repugnabant prius Honeſtati, ac Sanctimoniæ? An Turlachi funeri proximiores, ideoque in brutalem Mahometis Paradiſum mox rapiendi, delibandis ejuſdem deliciis præludunt in trivijs?

Quæ verò de Mahomete ipſo, ſuos in hujuſmodi cultores Sanctiſſimos immigrante, Morabitæ jactant, eo Turcas alios pudore ſuffundunt, ut hoc ab illo dedecus conentur avertere. Rem porrò ipſam, hoc eſt ultro permiſſam, & frequentiſſimam hanc inſaniendi Licentiam (ex qua inquinatiſſimæ Sectæ Falſitas promicat) diffitentur incaſſum, cum & illam recenſeant omnes Turcicarum rerum Scriptores: & in omnium, qui Orien-

Digitized by Google

ſtem perluſtrant, eam execratos oculos nimium incurrat.

IX. *Divinarum nulla Doctrina rerum Turcis eſt. Philoſophus nullus, aut aliis Literis excultus Auctor Fidem Mahometo præſtitit.*

1224 CUm Sanctitatis nullus vos fulgor illuſtret, fruſtra ejuſdem inquiram cum Doctrina Conſortium: ex quo, in Noſtrorum innumeris celeberrimo, noſtræ Fidei Veritatem evicimus Libro II. Signo XIII. Ipsâ nunc vos, etiam Sanctimoniæ nequaquam fœderatâ, Sapientiâ carere penitus, breviſſimè innuo. Ne pauca quædam Inſanæ Legis Interpretum Nomina in medium proferatis; hi enim primò Prævaricatores ſunt, cum vetuerit Inſtitutor veſter, ullam eidem explicandæ curam impendi. Præterea nihil penitus addunt, quo ullam illi adſtruant probabilitatem: aut ullatenus conentur oſtendere, non pugnare invicem Prophetæ ſui Pronunciata: aut aliquam ejus nugis, ac ridendis fabulis auctoritatem vindicare, perinde ac ſi allegoricè loquutus fuiſſet: quod nonnumquam de ſuis Diis Ethnici Mythologi præſtiterunt.

Cum igitur eadem tantummodo, vel ſimillima ſomnia Interpretes Alcorani, quæ Mahometes dictavit, obganniant, nullus penitus viguit inter vos Divinarum ſcientiâ rerum illuſtris, quas ipſe perditorum hominum Tartareus Màgiſter omnino ignoravit.

1225 Quid quod nec ipſius quiſpiam rerum Naturæ cognitione imbutus, aut amæniorum quidem Literarum profeſſor, aut ullus demum eſt Auctor, aliquam

quam apud eruditos famam conſecutus, qui ſe pronum oſtenderit ad aſſenſum præbendum Impoſtori nequiſſimo. Extant Opera plurimorum Arabum, Algazelis, Alfarabii, Avicennæ, Averrois, Avicembroti, Avempacis, aliorum, qui Cordubæ, inque proximis Africæ Oppidis revocarunt ad vitam aliquandiu penè conſepultam Ariſtotelis Philoſophiam. Hi porrò licet inter Mahometanos adulti, communemque ſuorum Legem viſi profiteri, nunquam tamen ſuis in Codicibus verbum ullum protulere in ejus commendationem; in dedecus autem plurima congeſſere: præcipuè cum Mortalem ipſam, multòque magis Æternam Felicitatem nequaquam collocari poſſe in Corporis Voluptatibus magno rationum pondere, atque acumine, decreverunt.

Profectò licet iſtorum, aut quorumcumque, qui eorumdem Sententias in alia retulerunt Opera, diu multumque Libros verſetis, nullus omnino expolitus literis Auctor occurret, qui majorem, utcumque in Arabia, vel Africa natus, Mahometis delyriis fidem præſtiterit, quàm Chriſtiani præſtemus.

X. *Expenditur Averrois dictum de ſua, & noſtra Lege: Manifeſta noſtræ Credibilitas, & Credenditas.*

1226 INter cetera Philoſophorum Arabum effata, illud inclaruit Averrois affirmantis, non Hominibus, at Suibus aptam eſſe Mahometis Doctrinam: quam videlicet nullus, ut Veram, in animum admittat, profiteatur nullus, niſi qui ſemper cæno volutari ambiat: cuique pro ſale tantùm ad Corpus conſer-

vandum Animus ſit: veluti Sapiens ille de conſanguineo hujuſmodi Hominibus Bruto non illepidè dixit. Ceterùm, cuicumque ſuperſit humani non penitus extincta ſcintilla ingenii, Falſam i lico, & belluinam patere Alcorani Doctrinam, Averroes Arabum Sapientiſſimus apertè pronunciavit.

Quis hìc autem veſtrum reponit, ab eodem Averroe noſtram appellatam fuiſſe Doctrinam Incredibilium rerum? Si hanc ille blaſphemiam effutivit, ejuſdem penetrandis Doctrinæ Myſteriis, ac præcipuè petendæ *a Patre Luminum* claritati animum non adjecit.

1227 An enim Incredibilia ſint, quæ Innumeri Mortalium Solertiſſimi, ac Sapientiſſimi crediderunt: quorum aliquos nunquam interiturâ Famâ conſpicuos enumeravimus Libri II. Signo XIII. & XIV. & pro quibus mortem fortiſſimè oppetiverunt in Romana Sollummodo Ditione Decies ſupra Centies Centena Martyrum Millia?

Evidenter potius Credibilia eſſe, demonſtravimus noſtræ Religionis Arcana: hoc eſt manifeſtiſſimè Prudentes eſſe, qui certiſſimam illis adhibeant fidem. Porrò evidenter etiam conſtare, quod omnino credenda ſint, hinc manifeſtè conficitur, cum omnes teneantur, illi ſe Religioni conſecrare, quæ clarioribus Signis ſuam exerit Veritatem. Nec deſunt Theologi, qui Evidenter Veram, quia Evidenter Divinam, eſſe ſtatuunt ipſam noſtræ Fidei Myſteriorum Revelationem, abſque eo quod *Evidentia*, quam dicunt *in Atteſtante*, ullam refundat Evidentiam in ipſa Myſteria, Libertati, ac Merito exercendæ Fidei repugnantem.

Hæc

Hæc autem egregiè præ ceteris explicuit Sapientiſſimus Pater Thyrſus Gonzalez Præpoſitus Noſtri Ordinis Generalis in Aureo, quod inſcripſit Manuductionem ad Converſionem Mahometanorum, Opere: a quo nonnulla ex hucuſque in vos intortis, ac mox intorquendis telis depromere, perhonorificum nobis, vobiſque ſaluberrimum eſſe cenſuimus. Quod quidem Opus veſtram ita Superſtitionem evertit, ut ſi quis veſtrum illarum vim Demonſtrationum animo non aſſequatur, nec ſe hucuſque deceptum dicat: cum traditis jam Sempiterno Igni Nequam Spiritibus obdurato in nequitiam corde certaturus omnino ſit.

Utcumque autem ſolùm evidentiſſimè Prudentes ſimus credendo adeſſe Divinam Religionis noſtræ Revelationem, atque Evidens Revelatio ipſa minimè ſit; certè tamen Manifeſtè Credibilis eſt, & omnino Credenda Revelatio ipſa, & Myſteria Divinitus revelata: ut Centum a Nobis allata Signa dilucidè oſtendunt.

Nihil in animum admittimus oppoſitum Rationi, ac Lumini nobis indito a Natura; licet multa ejus vires, & captum ſupergrediantur: quod conſentaneum eſt Divinarum Amplitudini, ac Dignitati rerum. Nulla ex impreſſis a Natura Principiis, contra Divinæ Myſterium Auguſtiſſimum Trinitatis, atque alia hujuſmodi Arcana, Ethnici, veſtrique Philoſophi procudere Sophiſmata valuerunt, quæ noſtri Theologi facillimo negotio difflare nequiverint. Præſtitit id egregiè præ cæteris paulò ante laudatus Eximius Magiſter, qui non profundâ ſolùm Doctrinâ, ſed admirabili etiam claritate, adhibendo colores, & ſimilitudines, facillimè ru-

rudibus etiam animis inſinuandas, diſſolvit omnia, quæ contra Unicam Patris, & Filii, Sanctique Spiritus Divinitatem: aſſumptam Humanam a Verbo Divino Naturam, atque hanc actam in Crucem, aliosque hujuſmodi Sanctiſſimæ noſtræ Religionis Articulos, objectare poſſunt Stygii Tenebriones Divinum ad Solem cæcutientes.

Incredibilis igitur illa non eſt. Sed abhorrent a fide, ſibi a non inſanis præſtanda, veſtræ Nugæ, ac Delyria: Oppoſita invicem Pronunciata: pluſquam belluina Impudicitia: Fabulæ vel pueris deridendæ, quibus univerſus contexitur Alcoranus.

XI. *Inſanum Mahometis Præceptum de ſua Lege non exploranda.*

1228 SAgax videri potuit Præcurſor ille Antichriſti Præceptor veſter, & a Dæmonum vaferrimo eruditus, cum edixit ſuis, ne animum excolerent Literis, ac præſertim ſeveriſſimè cavit, ne ſuam ullatenus Legem expenderent, quæ non per Doctrinam tradenda eſſet Mortalibus, ſed Armorum impetu propaganda. Animadvertit videlicet Tartareus miſerè inſanientium Dementator, omnium, qui eam librarent, oculis ingerendas Fraudes, Contradictiones, Fabulas ſuas.

1229 Sed aliunde Stolidiſſimus patet hoc vos Præcepto illaqueando, cujus vincula Belluæ ſolùm, Arbores, Lapides, non ſolviſſent. Si plurima vobis manifeſta præbuiſſet Indicia (ut innumera nobis tradidit Chriſtus Dominus) quod ſuo Divinitas ore loqueretur,

retur, adigere potuiſſet ad *captivandum Intellectum in obſequium Fidei*; licet ad Myſteriorum ſublimitatem (ſi quæ hujuſmodi protuliſſet) intimè penetrandam eniti nequiviſſent breves, & languentes alæ mortalis ingenii. Neque tamen ex æquo, & jure prohibuiſſet ſtudium adhibendum ad comprobandam Signis Divinis fundatam a ſe Superſtitionem, ac diluendas Impugnatorum accuſationes, præcipuè petitas ex Certamine, quo ſe invicem diruere ſua Effata videri poſſent. Infuſæ Divinitus Fidei nequit opponi Lumen impreſſum omnium animis a Natura, licet hoc illa viribus ſupergrediatur. Idcirco quæcumque contra Veram Religionem ab ejus Hoſtibus afferuntur, labefactari facili negotio poſſunt.

1230 Qui ſolidæ innititur Veritati, comparato animo eſt ad proferenda Argumenta, quibus inducitur ad credendum: atque omnia diſſolvenda, quæ contra creditos a ſe Articulos objectantur. Hoc Chriſtiani præſtamus: ac plurimi in iis expendendis conſeneſcimus: nihil de illorum Certitudine ambigentes, (quod crimen eſſet immane) ſed ad Veritatis Hoſtes evertendos, & ad ſuavius acquieſcendum Sanctiſſimæ Fidei, quam expiatis nobis Sacro Fonte Divinitus inditam: cumque primò Rationis compotes fuimus, ultro, ac ſponte confirmatam: centies iterum, ac millies eligimus, quò magis eandem exploramus; cum clariora ſemper appareant Signa humanis etiam ſuadentia rationibus Veritatem.

Ex eo igitur, quod ſanciverit Mahometes, nullam de ſua Doctrina Diſputationem inſtitui, ac Nodos

ore

Ore nullos diſſolvi, qui omnes eſſent Gladio ſcindendi, manifeſtè liquet de Sectæ iniquiſſimæ Falſitate.

1231 Quod vos nequaquam adegerit ad prudenter ſibi credendum Prodigia perpetrando, prædicendo futura, vel alias edendo Teſſeras Comprobationis Divinæ mox decernemus. Statuimus interim, quod cum Prophetam ſeſe jactaret (& a Moyſe, & Chriſto Domino in pleriſque ſuis Pronunciatis diſſentiret) ipſi onus incumbebat oſtendendi, ſe illum eſſe, quem audaciſſimè ſeſe ferebat. Prophetæ alii Divinitus miſſi non pugnabant cum iis, qui antea fuerant Dei Sapientiſſimi Tubæ. Publicatam a Moyſe, ac miris Portentis aſſertam, Legem Chriſtus noſtræ Salutis Auctor *non venit ſolvere, ſed adimplere*. Ac ſi, intacto Decalogo, Circumciſionem, aliaſque ſuæ Figuras Eccleſiæ ſuſtulit, inque perfectiora Myſteria commutavit, ad hoc præſtandum adeſſe ſibi Poteſtatem Divinam, tot manifeſtis Notis oſtendit, ut de obdurato eorum animo, qui victas Veritati manus non tradidere, diſertè affirmare potuerit: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.*

XII. *Propheticum nullum Mahometi, aut ejus Aſſeclis, Lumen fuit: quod mirificè Chriſtum Dominum, ejuſque Sectatores illuſtrat.*

IN nullo certè mortalium tam apertè patuit, quæ vis inſit verbis, corruptæ Naturæ arridentibus, ut in hoc Impoſtore nequiſſimo, qui liberiores Ethnicis habenas effundens Voluptati, ac Furori rapere primò

ad

ad Tartarea ſua vexilla potuit innumeros,& nunc etiam in Indiis plurimos abſtrahit ab Idolorum cultu, quæ aliquâ ſaltem falſa rerum præſenſionis imagine, per Aruſpicum Reſponſa, & ficta Miracula, deceptos animos trahunt in præceps.

1232 Ceterùm cum ſe ille Prophetam diceret, aliquod eidem Divinæ hujuſce facultatis experimentum præbendum erat, ea prænunciando, quæ diſſitis tunc in Locis agitabantur, vel quæ volvendis exinde Temporibus agitanda erant: vel quæ tunc deliteſcebant in hominum cordibus, in lucem proferendo. Nihil hujuſmodi de illo perhibent ipſius Vitæ Scriptores, niſi de ſua veſanum Præſagium Anaſtaſi, cui tamen veritatem conſtare poſt aliquot dies nequaquam experti Domeſtici, & impares ferendæ mephiti, quam infame cadaver afflabat, ſub aperto illud Cælo ſtatuerunt, non ſine Canum tripudio, quibus impurum nequiſſimi femur Vatis pabulum fuit.

1233 Nec ulli de Mahometis grege affulſiſſe futurorum Præſenſionem veſtræ ipſæ narrant Hiſtoriæ. At noſtræ innumeras recenſent hujuſmodi Teſtificationes amici Numinis, Arcana ſua pandentis Adoratoribus Chriſti: præter illa, quæ de ſe ad vitam redituro, de ſubvertenda Hieroſolyma, de ſua per Univerſum Orbem ſpargenda Religione, aliiſque plurimis rebus, manifeſtiſſimè impletis, Divina ipſa Chriſti Reparatoris noſtri Sapientia palam edixit. Quod verò pondus accedat Veritati Fidei ex hoc Prophetarum cum Divinitate Commercio, parcimus inculcare, cùm id ipſum innuerimus Libro II. Signo XVII.

XIII. *Quæ ſua Prodigia Mahometes jactabat, Nugę erant, vel a Pueris comperiendæ. Apertè faſſus eſt, negatam ſibi fuiſſe virtutem Miracula perpetrandi.*

AD exprobrandum Schiſmaticis, & Hæreticis Miraculorum defectum in eorum Inſtitutoribus, diximus Libro II. Signo XIX. vel inſanum Arabem veſtrum conatum fuiſſe ſuis verbis fidem adſtruere per Mirabiles, Naturam ſuperare falsò viſas, apparentium rerum Imagines. At quàm ineptæ illæ fuerint, & ipſorum Infantium ſplenem effuſo riſu aptæ concutere, liquet ex dictis in hac ipſa Paræneſi, cum Præſtigias, quibus Majores veſtros dementavit, recenſeremus. Quamvis vera, qua fuit uſus, ad Homines in Sues transformandos, Magica Virga, fuerit ipſa Poteſtas indulta Voluptatum Cæno interim innatandi, cui (eodem ſponſore) perpetuò infigendi eſſent.

1234 Ceterùm quis Circumforaneus Impoſtor argutiis oris, & manus, in majorem quotidie admirationem oculos, animoſque non rapit, quàm ſuſpendere meritò Spectatores poſſet Agaſo impuriſſimus, affirmando, ſe ſponte procumbere ad Gabrielem adorandum, cum in humum a morbo, ſeu verius a Dæmone, allideretur? Cum Superbus incederet ob Artem, cælitus infuſam (ut pejerabat) characteres legendi? Quam quidem non progreſſam etiam fuiſſe ad facultatem eoſdem exarandi prodigioſum videri poteſt: atque idcirco adactum fuiſſe celeberrimæ famæ Prophetam ad roboranda Diplomata Digitis omnino quinque, atque uni-

univerſa manu in atramentum immerſa, ac deinde paginæ admota.

Quid verò fruſtraneis & nos lineis papyrum inficimus, expendendo cetera, quæ commemorabat, ſibi Divinitus contigiſſe, cum dehiſcentibus ad rectum ſibi aperiendum curſum arboribus, teſtis nullus adeſſet: vel cum ſe aggreſſum ſecuribus Lunam, ac mox ejuſdem vulnera glutine conſolidantem, ii ſolùm ſpectaſſent, qui è conſortio mortalium exceſſerant! Glorioſus quilibet in Comœdiis Miles majorem Achille, atque Alexandro famam, ſuæ commemorando ſtrenuitatis Portenta, nanciſcetur, ſi æquè ſtolidos inveniat, ac ſortitus Mahometes fuerit, Auditores.

1235. Quæ Divinus noſtræ Salutis Aſſertor patravit, quæque innumeri ejuſdem Cultui addicti Miracula cælitus impetrarunt, coram univerſo ſæpe Populo contigerunt, ac Teſtes habent Urbes, & Regna. Magna vis hominum aderat, cum Chriſtus Dominus Lucis uſuram indulſit illi, qui eam nunquam ab ipſo ſuo exortu delibaverat: cum prodire Lazarum juſſit è tumulo, in quo quatuor omnino dies jacuerat orbatus vitâ: cum ferè quatuor hominum Millia Septem panibus, ac paucis piſcibus abunde pavit, atque iterum quinque capitum millia quinque, ex quibus fragmenta ſuperfuerunt plurima, panibus enutrivit. Quod quidem Portentum adeo fuit Spectatoribus manifeſtum, ut Regnum illi conferre decreverint, quod conſilium arreptâ in montem fugâ disjecit.

1236. Neque ſolùm hæc noſtræ commemorant Sacræ Literæ, quibus ipſe præſtandam eſſe fidem Maho-

metes affirmat, Alcorani cap. 1. præcipiens Muslimis, ſeu Saracenis, *Ut Libris Moyſis, Chriſti, Apoſtolorum, aliorumque Prophetarum firmam adhibeant fidem*; ſed & Ioſeph Hebræorum Hiſtoricus ob ea præcipuè, Chriſtum fuiſſe *pluſquam hominem, ac verè Meſſiam*, atteſtatur.

1237 Et certè Chriſti Divinitatem apertè vindicant ab ipſo peracta Prodigia ſuam ad eandem Divinitatem aſſerendam: neque peracta quomodocumque, ſed *imperando Ventis, & Mari*, ac ceterarum rerum Naturæ: qui modus ejuſdem Naturæ Auctorem decebat.

1238 Quid pluribus? Mahometes ipſe a Iudæis deriſus, eò quòd Miraculis nullis oſtenderet, ſe Prophetam eſſe cælitus miſſum, hanc ſibi negatam fuiſſe potestatem ultro fatetur; licet ſuum in Auditorum nequitiam Dedecus ineptè detorqueat, inducens Alcorani cap. 15. Deum ita ſe alloquutum: *Tu nequaquam ad incredulos cum manifeſtis Dei Miraculis venies, quoniam ea velut otioſa, atque contraria reputarent &c. cum dicant, hæc nequaquam fieri, niſi per prævias Incantationes.*

XIV. *Mahometani deſtituti omnibus Signis Divinis fidere nequeunt Numero Sociorum in ſua Inſania.*

CUm Indicia vobis adſint nulla Cæleſtis Comprobationis, num veſtræ obduratæ dementiæ acquieſcitis, quia vim illa mortalium immenſam conſopivit? At quod a Numero Sectatorum Falſitati Suffragium acce-

accedit? Præſertim ſi ſummâ hi mergantur Ignorantiâ Divinarum rerum: ab illa emergere adhibito ſtudio prohibeantur: ac gemant ſub Principum crudeliſſimorum Tyrannide? Triumphat Superſtitio veſtra iis in Regnis, a quibus exulat Ratio: Pecudum ritu, quæ Verum a Falſo ſecernere neutiquam valent, eò rapimini omnes, quò alii curſum inſtituunt. Idcirco innumeris deerrantibus non major ineſt Auctoritas, quàm uni tantùm ineſſet.

1239 An ullam Idololatriæ conciliatam fuiſſe Veritatis Notam arbitramini ex eo, quod Innumerabiles eſſent mortales, qui Deos innumeros venerabantur? Profectò negabitis. Perinde quoque nulla Iniquitati Honeſtas affunditur ex eo, quod pleriquè hominum Iniqui ſint. Ne igitur (niſi aliundè vobis Indicia promicent, quod veſtram Divinum Numen comprobet Legem) quiſpiam ſibi ob Profeſſorum Numerum lenocinetur.

1240 Quid ſi pernegem, magnam eſſe illorum Copiam, qui verè aſſenſum præbeant Mahometo? Præbere certè nequeunt, qui abſurdiſſima, & inter ſe pugnantia, ejus verba omnia fugientibus ſaltèm oculis percurrerunt; niſi humanitatem omnem, ac ratiocinationem exuerint. Hoc autem de ſe plurimos veſtrum profiteri, non reor.

XV. *Blan-*

XV. Blandiri ſibi Turcę non poſſunt ob humanam, quaſi Divinitus indultam ſibi, Felicitatem: qua etiam ipſos carere, manifeſtè conficitur.

QUod igitur vobis ſupereſt Argumentum, quo Superis arridere Superſtitionem veſtram evincatis? Humana certè ſolùm Felicitas, & mortalis Imperii Propagatio. At hæc, ceteris Veritatis Notis deſtituta, nullum eſt Indicium acceptæ Superis Religionis.

1241 Affluxit illa ubertim Ethnicis, præſertim Romanis, quos tamen Errore demerſos fuiſſe, vos etiam ipſi affirmatis.

1242 Quid, quod, licet in Pœnam Criminum, & Hæreſum præcipuè, ac Schiſmatum, quibus Chriſtianus Oriens involvebatur, latè vobis illum depopulandum Ultor tradiderit Deus; non tamen proinde Felices vos fuiſſe, aut nunc eſſe, arbitror, quibus nulla ſit Sapientia, nullus Amor Divinitatis (in quibus Dotibus Naturalem ſitam eſſe Felicitatem veſtri ipſi Philoſophi ſtatuerunt.) Nulla præterea Genti Nobilitas: Conſanguineorum amor nullus: Certa nulla Divitiarum, & Honorum Succeſſio.

1243 Felices vos fuiſſe credam coactos huc uſque vitam proiicere ad arbitrium crudeliſſimorum belli Ducum, qui Victoriam clade innumerabilium mortalium mercabantur, Pontes ad trananda flumina perinde hominum corporibus, ac lignorum faſcibus inſtruere conſueti: qua diſciplinæ ſeveritate, ſeu verius immani

De-

Dementia, Turcarum opes adultæ ſunt?

1244 Felices ipſos opiner Duces, & Aulæ Principes, de ſua perpetuò Sorte ſolicitos, quorum vitæ frequentiſſimè inſultat Æmulorum Calumnia, vel inſanus, ideoque gratuitus, Tyranni furor?

1245 Felicem demum arbitrer Tyrannum ipſum (ad quem enimverò, ſi ulla cenſeri poteſt fauſta Turcarum ſors, univerſa revocatur) cum effrænatæ Mancipium Voluptatis, nullâ ſapientiâ præditus, virtute nulla, lucem plerumque oſus, imbelli choro circumſeptus, Exitium frequentiſſimè a Prætorianis Militibus timens, ea tandem, qua domeſticarum alitum vir, felicitate perfruatur? Hæc tamen non Ethnico ſolum Ariſtoteli, verùm etiam Averroi, Alfarabio, Algazeli, ceteriſque veſtro de grege Philoſophis, Gallo quidem gallinaceo, non homine digna, fortuna cenſetur.

1246 Sed utcumque perituræ aliqua Felicitatis umbra (quæ nunc incipit evaneſcere, ac penitus quamprimùm difflabitur) fuerit vobis indulta in Præmium collatæ ſtipis in egentes, aut umbratilis alterius Virtutis, velut Idololatris olim Romanis; veſtra tamen erit ſemper Secta Porcorum: & innumeris, quarum aliquas innuimus, de cauſis Falſiſſima cuilibet, eam, vel ſuperficie tenus, intuenti ſtatim videbitur.

XVI. *Con-*

Digitized by Google

XVI. *Confeſſio ipſius Mahometis, quod Chriſtus ſit Deus: ex qua, & ex conſtanti ejuſdem Aſſertione, quod Chriſtus ſit Maximus Propheta, Turcæ penitus evertuntur.*

POſt pleraque Secundi Libri Signa vobis aptata, infeliciſſima Mahometis Mancipia, unum, aut alterum ex Tertio, unumque omnino tantùm ex Quarto delibemus. Dum in Tertio Signo XVI. Catholicæ Fidei Veritatem ex omnium Atteſtatione Hoſtium ſtatueremus, illam etiam nequiſſimi Legislatoris veſtri produximus in medium. Quid ex illa eruatur, breviſſimè nunc expendamus.

1247 Quemadmodum ex ipſo Dæmone Mendacii Patre fuit olim extortum Chriſti Reparatoris noſtri Præconium, quem *Filium Dei* Tartarus appellavit, de illo conqueſtus, quod ante tempus ad ſe perdendum veniſſet: ita Diaboli Primogenitus Mahometes Chriſti Divinitatem fateri Alcorani Cap. Primo compulſus fuit, ubi disertè dicit: *Chriſtum Mariæ Filium eſſe Dei Verbum.*

Sive autem hoc primò pronunciaverit, ipſumque deinde pœnituerit, veritum Hebræorum indignationem, aut deceptum a Sergio Ariano, an potius Neſtoriano? (varia enim de hoc iniquiſſimo Transfuga è Sacro Clauſtro eſt Auctorum Sententia) ſive poſt negatum eidem Chriſto Domino Naturæ Divinæ Conſortium, illud ipſi deinde adjudicaverit: æquale apud vos pondus ineſſe debet verbis Magiſtri, quem ut Prophetam cælitus miſſum veneramini.

An

An autem Prima illa de noſtro Divino Rege, an Suprema fuerit Mahometis opinio, minimè conſtat; licet enim extet in Tartarei ejus Voluminis Initio, in quo deinde recedit à priori ſententia; tamen, ut ſupra innuimus, ſeorſum dictatas à Genero paginas Humar illius Socer poſt ejus obitum ſuo arbitratu in ſeriem redegit.

1248 Si ultimò ita Mahometes decrevit, ſtandum Turcis eſt ſupremo Præceptoris ſui Pronunciato. Si primò, perinde illi acquieſcendum, cum etiam tunc Divinitus eruditum illum fuiſſe opinemini. Quod ſi tunc fidem minimè promerebatur, cur illam meritus in poſterum fuerit, ex vobis inquiro? An majus illi Celeſte lumen acceſſit, eò quòd numeroſiorem ſemper uſurpaverit Vxorum, & Pellicum gregem, atque atrocius in hominum vitam crudeliſſimo furore fuerit debacchatus? Hæc certè Mutatio Sententiæ non eſt Indicium Commercii cum Divino Numine, ſcilicet falli neſcia, & immutabili Veritate.

1249 Sed hæreamus in illo, in quo affirmando conſtantiſſimus, nemine reluctante, Inſtitutor veſter uſque ad interitum fuit. Chriſtum certè perpetuò dixit, Maximum fuiſſe Prophetam, ideoque ſupra Moyſen, alioſque, in Septimo à ſe Cælo repertum. Si autem Chriſtus Propheta fuit, Vera igitur, ut Divino perfuſus lumine, pronunciavit. Sed Æterni ſe Filium Patris, eundemque cum Patre, Divinoque Spiritu, ſe Deum eſſe, diſertiſſimè Chriſtus idem dixit. Eadem igitur illi, quæ Patri, Sanctoque Spiritui, Divinitas ineſt.

1250 Neque verò Bellua neget vindicatam ſibi

Divinitatem a Chriſto, cujus verba perperam Apoſtoli fuerint interpretati; nam & ipſis etiam Apoſtolis credendum eſſe frequenter Mahometes affirmat: & Chriſtus ipſe non ſemel illam, ſed ſæpiſſime ſibi apertè aſſeruit: inque hujus præcipuè Veritatis execrationem fuit actus in Crucem.

XVII. Ex eo, quod Mahometes fateatur, etiam poſt ſuum adventum, a Chriſtianis obtineri poſſe Immortalem ſalutem, evidentiſſimè oſtenditur, Chriſti Religionem ab omnibus non inſanis eligendam eſſe.

NON ſolùm per Sexcentos ante ſuæ Publicationem Legis Annos patuiſſe Chriſti cultoribus Cælum, ſed etiam exinde quoque apertum fore, diſertè Suillæ Legis Auctor dixit Alcorani cap. 2. Quod autem, Deus immortalis! vulnus ex hac Achillæa, ut ita dicam, haſta vobis infligitur!

1251 Negamus nos, Æternæ uſuram Felicitatis a Mahometis aſſeclis poſſe ſperari: & innumeras, quibus ad hoc inficiandum impellimur, cauſas afferimus. Cum Una tantùm ſit Veritas, Unam ſolummodo ſtatuimus eſſe placentem Uni Veritati, Uni videlicet Deo, Religionem: atque hanc eſſe noſtram Signis innumeris, iiſque manifeſtiſſimis comprobamus. Niſi huic Unicæ, huic certè etiam Religioni Securitatem vos ipſi cum Præceptore veſtro ultro tribuitis. Hæc ergo ſecurior eſt ad nunquam deſituram Felicitatem Via, quam expertem periculi vos ipſi nobiſcum eſſe fatemini; cum veſtræ non ſubeſſe diſcrimen vos tantùm opinemini, ſci-

ſcilicet homines nullis inſtructi Literis, ac Verum explorare prohibiti. Quis ergo, niſi omnino inſaniens, in veſtra conſeneſcat?

Huc ſpectant, quæ contra Hæreticos, non abſimilem Eccleſiæ Romanæ filiis certitudinem Salutis indulgentes, diſſeruimus Libro Primo §. 20. ante Signum Primum. Atque hoc quidem Argumento plurimos veſtrum adactos fuiſſe ad Sanctiſſimam Chriſti Religionem ſuſcipiendam affirmat idem Divinæ Gloriæ ſtudio mirificè incenſus P. Generalis Thyrſus Gonzalez, qui magnam è veſtra Superſtitione hominum vim feliciſſimè abſtraxit.

XVIII. *Nemo Mahometis Legi nomen dedit ſub exitum Vitę, aut impulſus amore Vitę Immortalis.*

1252 GEmini hujus vis Argumenti ex ipſo Titulo fulget. Nullus invenitur, qui, cum in Chriſtianæ Religionis ſinu vitam traduxerit, lethali deinde morbo laborans a noſtra Fide reſiliens veſtram Superſtitionem amplectatur. At plurimos frequenter videmus, qui, cum æuum in Mahometis impietate, liberas ex legibus animi motibus habenas effundente, transfegerint, inſtante morte luſtrales Baptiſmi aquas efflagitant, vel Inferorum metu correpti, vel Cæleſtibus etiam Viſis ad reſipiſcendum allecti. Ex hoc autem efficitur, prudentiſſimè nos hærere in noſtra, quam nullus deſtituit, cum major oboritur lux ad cognoſcendam mortalium rerum caliginem, & Hoſtis Tartarei dolos: Imprudentiſſimè vos in Secta conſopi-

Digitized by Google

ri, quam plurimi execrantur, cum ſuæ ſeriò ſaluti conſulere incipiunt.

1253 Nullus præterea fuit, qui ad veſtra in ætatis, & fortunæ flore vexilla tranſiverit, pertæſus Opū, geſti præclari Magiſtratus, Conjugis, Liberorum: quæ omnia Immortalis adipiſcendi Regni ſtudio poſthabuerit, in veſtra illud adipiſcendum Secta opinatus. Imo Transfugę omnes a Chriſtiana militia rapiuntur ad hoc inſanum conſilium, vel a projecta ſpe divitiarū, aut honoris apud nos obtinendi: vel ab injuriis, quibus fuerint affecti: vel a metu ſupplicii, ſibi ob illuſtre aliquod ſtagitium infligendi: vel a flagranti probroſæ Voluptatis ubertim explendæ ſiti. Nullum demum huc adegit Cæli obtinendi ſpes, omnes eò dementiæ impulit Deſperatio nunquam interituræ Felicitatis. Contra verò quot è veſtris caſtris ad noſtra confugerunt, quibus in Thracia, & Lybia immenſæ Opes erant, florentiſſimæ Conjuges, Filii ſuaviſſimi, amplæ plurimis Ditiones, & ipſa nonnullis Regna? Cum hæc omnia ſpreverint magnanima erecti ſpe Imperii Sempiterni per Chriſtianæ profeſſionem Fidei comparandi, liquet infundi cælitus ardorem animi ad Chriſti Religionem convolantis: adeoque hunc tantùm eſſe Verum, acceptumque Divino Numini cultum.

XIX. Cum

XIX. Cum ſummopere Ardua, & pugnans Propenſioni corruptæ Naturæ, ſit Chriſti Domini Fides, patet, illam eſſe Divinam ex eo, quod adeo latè propagata fuerit. Contrarium autem conſtat de Mahometica Lege, omnia vitiatæ Naturæ indulgente.

1254 HOc tantùm ſeligimus ex Quarto Libro vitale telum, quod Tertio ibidem, & Quarto Signo ſatis acuimus: ideoque hìc illud ſolùm oſtendimus Præconibus Veritatis, veſtris feliciter animis infigendum. Plurima ibidem expendimus, veſtram, omneſque alias Sectas penitus evertentia, niſi eis adhærentes Inſani prorſus, aut etiam Bruta, ſeu verius Lapides fuerint, ex celeberrima Sententia Magni Chryſoſtomi. Mente ſcilicet præditi homines in Innumeris raptis ad Fidem ſummopere arduam ob ea, quæ credi, ſperari, ac opere impleri jubet, Innumera neceſſariò ſpectant Miracula, quæ vel oculis objecta fuerint, vel in penetralibus animorum certè contigerint, dum Piſcatores illam mortalium generi ſuaſerunt. Contra verò veſtræ Falſitas Superſtitionis erumpit ex laxato fræno Voluptati, ac Furori, & Modo, quo per Fraudes, Impetum, Arma propagata fuit; ut proinde mirum non ſit, hoc fuiſſe incendio involutos innumeros, a Primi Parentis Crimine ſortitos infelicem propenſionem ad ea, quæ Corpori blandiuntur.

PA-

PARÆNESIS
Ad Ethnicos.

I. *Nulla eſt Idololatriæ Unitas. Probroſa ejuſdem, & Veſana Initia. Nulla Præſcriptio.*

VOs tandem alloquor Ethnicos, ipſis etiam Mahometanis viſos inſanire. Et paucis omnino Signis Veritatis decretoriam vobiſcum pugnam conficio, cum relatu facillima ſit de vobis palma, nullo labore adactis ad cognoſcendam dementiam adorationis adhibitæ pluribus Diis.

1255. A Chriſtiana certè Religione non abhorretis, quia Unicum illa Optimum, & Maximum Deum Populorum venerationi proponit; ſed quia effrænatos mores coercet, ac Tartari metu a Superbia, Luxuria, Ferociaque compeſcit. Ipſa Mahometis deliria facili negotio hauritis, Unius illicio capti Divinitatis, cum certiores evaditis, omnia indulgeri Voluptati, ac Furori. Idcirco non plurium amor Deorum, ſed multiplicium Conjugum, & Pellicum ardor a Vera ſuſcipienda Religione vos prohibet.

1256. Fruſtra ex vobis inquiro, an Unus aliquis vobis præſideat mortalis Antiſtes Superſtitionis veſtræ, cujus Regimen tueatur in omnibus Unum, eundemque Numinum cultum, cum Innumera vobis ipſa ſint Numina.

1257. Fruſtra de Concordia in Sacris peragendis, neceſſaria ad Unius, ejuſdemque integræ Religionis nexum conſervandum, interrogo cultores Deorum, quos

quos inter ſe pugnantes in ſcænam inducunt; cum tamen ipſi ſtolidi eorumdem cultores opinentur, ſe in Religione conſpirare, licet diverſos, certanteſque inter ſe Deos venerentur, dummodo conveniant in thure Saxis, Tartareiſque Geniis adolendo: atque in eo ſocientur, ut unaquæque Sectarum permiſſam ſibi a ſuis Iniquiſſimis Diis (qui mortalibus Exemplo præiverint) arbitrentur qualemcumque Morum licentiam.

1258 Vel priſci olim Romani omnia, Novercali etiam inter ſe odio flagrantia, Numina civitate donarunt: nec illa rejecerunt, quæ Senſu deſtituta ferocire non poterant, in Ægypti ſcilicet hortis nata; licet hoc nomine a ſuis palam Poetis ludibrio traducti. De Vulgo Quritum loquor, Allia ipſa in Pantheo, *Omnigenumque Deûm monſtra, & latratorem Anubim* adorante; Sapientes enim ne ipſi quidem Apollini, & Marti fidem præſtabant, ut mox expendam.

1259 Interim animadverto, Vetuſtam quidem fuiſſe Originem ſtolido huic Multiplicium Numinum cultui: ejus tamen Initia commemorari, & compertum eſſe, fluxiſſe plurima Secula, quibus hæc labes non infecit hominum genus. Idcirco Præſcriptionem jactare nequit Inſania veſtra: quia conſtat de Inepto, Sceleſtiſſimoque illius Exortu: ac præterea contra illam non ſolùm Veri Cultores Numinis perpetuò inſurrexerunt; ſed etiam quotquot inter vos ſuo aluit lacte Sapientia illam (ut oſtendemus) deriſui habuere.

1260 Et quæ hujuſmodi fuerunt Initia, Deus Immortalis! Sive Regina Semiramis extinctum virum deplorans Divinos illi honores prima contulerit, atque is paulatim in celeberrimũ illum Iovem evaſerit:

ſive

ſive Fratres alii, Parentes, Amicos, aut, quas probroſo amore deperibant, Fœminas, aut Adoleſcentes, aut Seipſos etiam conſecraverint: ſive Belluas quoque, quarum metu concutiebantur, ut Crocodilos Ægyptii, placare Sacris fuerint aggreſſi: ſive in aliis Beneficentiam rebus amantes, non Solem tantummodo, Lunam, & Sidera, ſed Arbores quoque, Flumina, Fontes, & Hortenſia Numina Deorum concilio inſeruerint: ſive demum Tartareos Genios, qui ſe illis ſub multiplici horrida ſpecie videndos objectabant, retulerint inter Cæleſtes; qui plerumque nunc tantùm coluntur ab infelicibus quibuſdam Populis Indiarum, quorum idcirco Simulachra horribiles plerumque formas, hoc eſt Tartaro non indignas, exhibent ſpectantium oculis.

Qualiſcumque fuerit multiplicis veſtræ Superſtitionis Origo, Probroſa illa profectò eſt, Iniqua, Vecors; omnemque ideo ab, utcumque adulta, Inſaniâ Præſcriptionem Veritatis excludens.

II. *Evertitur præcipuus Ethnicorum Error de Numinum pluralitate. Ratione manifeſtiſſima, & ipſorum etiam Confeſſione Idololatrarum demonſtratur, Unum ſolummodo Deum eſſe.*

1261 AN æquata plurium Deorum Poteſtas Cælum objiciat Diſcordiæ diſcrimini, & exitio rerum Univerſitatem? *Non eſt bona*, inquit Ariſtoteles, *pluralitas Principatuum. Entia volunt bene gubernari. Unus ergo Princeps.* Æquato plurium Imperio mortales aliquando Reſpublicæ temperantur, quia

om-

omnes Uni eidemque Numini homines parere jubentur; ideoque illius metus compeſcere omnes poteſt, & in officio continere. At ubi Superis nullus præeſſet, omnia ſubverti poſſent, abeuntibus in diverſa Deorum conſiliis.

1262 Natura ipſa vos edocet, Supremum aliquem Deorum venerari, qui Cæleſte Concilium moderetur; ideoque vix ullam, utcumque barbaram, invenimus Gentem, quæ Supremo alicui Numinum Anteſignano thus non adoleat, & victimas immolet.

1263 Ex quo efficitur, Natura ipſa duce Vnum tantummodo eſſe colendum Deum, cum profectò cenſeri Dii nequeant reliqui, ſi ab alio pendent, & ejus Imperio ſubſunt. Nullis certè finibus circumſcribi poſſunt Veri Numinis Dotes. At quo pacto Infinita v. g. ſit Poteſtas eorum, in quibus Poteſtatis uſum aliena Præcepta queant compeſcere?

1264 Neque ſolùm communis hæc Conſpiratio Veritatem conſultò expendentium mortalium ad Sceptrum Uni Divorum Patri, atque hominum Regi tribuendum Unum tantummodo illum eſſe, dilucidè oſtendit; verùm etiam hoc ipſum confirmat Improviſus Senſus magno alicui Diſcrimini objectæ; nec a prava conſuetudine in eo correptæ Naturæ; tunc enim ex quavis Gente homines (utcumque multiplicibus Diis ceteroqui addicti) non ad Plurimos, ſed ad Unicum Deum preces, & vota convertere conſueverunt: ut cum Tertulliano Chryſoſtomus, & Arnobius ſolerter animadvertunt.

Digitized by Google

III. *Innuuntur alia Ethnicorum Abſurdiſſima Deliramenta.*

1265 QUamvis autem hanc Uni tantùm Divinitati debitam adorationem à vobis extorqueat parens Natura, quæ tamen Dementia eſt, opinari, hanc ipſam Divinitatem aliquando fuiſſe mortalem, Iovem ſcilicet aliquem, cujus Incunabula, & Pericula, ne Patri pabulum fieret, & cujus illuſtria Crimina veſtri ipſi commemorant Vates?

1266 Quæ pariter Inſania eſt, cum Uni ſolùm ineſſe poſſit vera Divinitas, alios Innumeros Divino donare conſortio, & Improbos quidem, atque invicem de referenda ſcelerum palma certantes, aut etiam Belluas, & res ipſas non Ratione tantùm, ſed etiam Senſu carentes?

1267 Quæ demum Vecordia, ipſis arbitrari Simulachris affigi Saxeam, aut Ligneam Divinitatem: quam videlicet Phidias ipſis aliquis contulerit, aut Praxiteles?

1268 Recluſo triplici principe veſtræ Dementiæ fonte paucis interrogo, quis Iovi, Saturno, Amidæ, aut cuicumque Iaponum, aut Sinarum Numini, cùm prius iidem eſſent Homines, Divinitatem contulerit? 1269 Cur Dii pariter cenſendi non ſint eorum Parentes?

1270 Quo pacto Dii evaſerint, qui Æterni non fuerint, & poſt plurima etiam a condita rerum Univerſitate Secula inceperint eſſe? 1271 Quis ante illos rerum hanc omnium molem conſervaverit, ac fuerit moderatus? 1272 Quis eandem procreaverit primò? An Iupiter, aut Amidas condiderit Cælum, qui ne humi

qui-

quidem vagiebant in cunis, cum ad nutum Divinum Cæleſtes primùm Orbes eſſe cæperunt? 1273 Cur Phidias Divinitate non polleat, ſi eandem Marmori tribuit?

Mitto Sexcenta, quæ in os ingeri poſſunt Idolorum cultoribus, quos tamen ſi ſtoliditas impulit ad ſeriò credenda, quæ ipſorum Sacrificuli jactant, incaſſum alloquimur, cum Idololatriæ non fictum Prodigium fuerit, in Saxa homines immutaſſe, non autem Lapides ipſos in Deos.

IV. *Ridenda, & Probroſa inanium Deorum facinora.*

1274 Ipſa eorumdem Narratio eſt diſertiſſima Impugnatio, & ineptiſſimæ Superſtitionis Everſio. Sed infinitus eſſem ea ſolùm commemorans, quæ Homerus recenſuit de futilibus Diis eo fortè conſilio, ut eos in contemptum adduceret, cùm ingenioſiſſimo Vati, & Naturæ oculo, licet corporis luminibus capto, profectò innoteſceret, Unum ſolummodo eſſe Conditorem, Rectoremque rerum omnium Deum; hunc autem enimverò non eſſe Iovem illum, perpetuò cum Iunone jurgia conſerentem. Præſtitum idipſum fuiſſe innuimus a Luciano, non ſine compendio publicæ rei; niſi alicubi Cerberus ille Unius Veri Cultores Numinis perſtrinxiſſet.

Non abſimili arte, ſed aperto certamine, ſuoque conſilio minimè diſſimulato, ac ſine Fabularum involucro, Veras, quæ in Indiis ſuperſunt, Inſanias facili negotio labefactabunt Veri Numinis Propugnatores; cùm

in alios, olim in Europa cultos Ridiculos, ac Sceleſtiſſimos Deos ulterius invehi ſupervacaneum ſit, poſtquam illorum Tyrannis in hominum animos extincta penitus eſt.

V. *Doctrina Deorum, qui Homines fuerint, antequam, ineptè illis tributa, Divinitate donarentur, aut ſint Belluæ, Saxa, aut Dęmones, Examini neceſſariò ſubiici debet ab omnibus non omninò inſanientibus. Si autem expendatur, manifeſtæ Falſitatis arguitur.*

1275 SAtis Ethnicis nequaquam eſſet, ſi afferrent Signa, per quæ innoteſceret, ſuam a Diis traditam fuiſſe Superſtitionem, quia illam non referunt in Deum Sapientiſſimum, ac Veraciſſimum. Ex aliis autem Hoſtibus Veræ Fidei licet aliqui ſuas in Verum Deum mendaciſſimè referant Sectas, nullas tamen (ut evidenter oſtendimus) exerunt Notas, ex quibus promicet, ſuas a Deo Auctore opiniones oriri. At nos, qui Centum omnino afferimus Teſſeras Religionis noſtræ prodeuntis ab Optimo, & Maximo, Æterno, Sapientiſſimo, & Veraciſſimo Numine, non adigimur ad Singulos Articulos comprobandos; prudentiſſimè enim conquieſcimus in ea celebri Paræmia: *Ipſe dixit*, qui falli videlicet nequit, aut fallere. Quamvis quia hic ipſe alieniſſimus eſt ab iis proferendis, quæ pugnent cum infuſo nobis lumine a Natura (hoc eſt a ſe ipſo Naturæ Auctore) facillimè noſtræ omnia Fidei Arcana propugnemus contra eorum Impugnatores.

Vos

Vos verò, qui ſtolidum inanibus Diis cultum exhibetis, non ſine inſania reponetis: *Ipſi dixerunt*, qui ſcilicet falli poſſunt, ac fallere. Quis ultro credat affirmanti Iovi, aut Amidæ, qui homines fuerint, ideoque Errori ſubjecti: quemque Iovem a plurimis, ipsâque Uxorum Principe, eademque Sorore, Iunone ſæpe deceptum fuiſſe veſtri commemorant Vates? 1276 Quæ Brutis, Arboribus, Lapidibus Diis Sapientia inſit, ut illis capti luminibus eorumdẽ cultores fidem adhibeant? 1277 Quæ tandem Dementia eſt, aſſenſum præſtare Dæmonibus Mendacii Patribus, & Hoſtibus humani generis infenſiſſimis?

Expendenda igitur a vobis, antequàm ullam ex innumeris Ethnicorum Sectis induatis, ſunt ſingula, quæ ab eadem proponuntur credenda. Hoc autem ſi ſedulò, cumque ſtudio Sempiternæ Salutis ab Hominibus, non a Brutis, aut Lapidibus fiat, patebit illico Falſitas cujuslibet Sectæ cultui Simulachrorum addictæ.

VI. *Sapiens nullus acquievit Superſtitioni Ethnicorum, quibus nulla Divinarum rerum Sapientia eſt.*

1278 Experimento conſtat, Sapientum neminem, qui Fabulas libraverit Idololatriæ, illis, ut veris, adhæſiſſe. Hoc apud Græcos de Socrate præſertim liquet, de Platone, Ariſtotele, aliiſque innumeris: apud Latinos de Tullio, Seneca, Plinio: de Confuſio apud Sinas. Nec ipſi Poetæ, licet de Diis perpetuò loquuti, ſpeciem illos regnare credentium ullam præſetulerunt. Naturas plerique rerum ſub Allegoriarum involu-

volucro pingebant, & humana præſertim ad Divina transferebant; cum Divina potius, ad nos illis imbuendos, afferre in medium expediviſſet ex Auguſtini ſententia.

1279 Sed nulla illis, aut Philoſophis excultis inter Ethnicos vera erat cognitio Divinarum rerum: ex quo etiam eruitur argumentum inteſtinæ noctis, qua Idololatrarum animi involvebantur. Aſſurgebat quidem Philoſophia ad Supremam Unam Cauſarum Cauſam agnoſcendam, ideoque Deorum turbam proterendam; ſed tamen *Cognoſcentes Deum* Amatores illi Sapientiæ, *non tamquam Deum adoraverunt*, ut Gentium Apoſtolus inquit.

1280 Si quæ in Mercurio Triſmegiſtro legimus; aut Platone, adumbrantia Veri Numinis prærogativas, illa è Sacris Prophetarum Libris hauſta eſſe manifeſtiſſimum eſt; ſed plurimis exinde figmentis inquinata.

1281 Qua verò conficerentur Inſcitia ceteri, quos Naturæ Magiſterium non erexerat ad multiplicia Numina proculcanda, fulſit Alexandriæ, cum aggreſſos de Superis loqui Quinquaginta lectiſſimos ejus ævi Philoſophos Duodeviginti annos nata Virgo Catharina ſapientiſſimâ ſuâ obruit eloquentiâ, impulitque ad illam, quam ab ea mirificè hauſerant, Chriſtianam Fidem tolerato fortiſſimè incendio conteſtandam.

VII. *Morum Sanctitas nulla Ethnicis eſt, aut eſſe poteſt.*

DEcrevimus, inſignem Veræ Fidei Notam eſſe frequentiſſimum in ejus aſſeclis Sapientiæ conſortium

tium, & Sanctitatis. Licet autem nobilis ceterarum notitia rerum Ethnicos illuſtraverit, illis tamen defuiſſe Veram, Divinarum ſcilicet, Sapientiam rerum evicimus, etiam Sanctimoniâ viduatam. Ipsâ porrò illos deſtitui, ac neceſſariò ſemper deſtituendos Vitæ Sanctitate, aggredimur demonſtrare.

1282 Ne ſuos primò Heroes in medium proferant, Lucretias, Catones, alioſque hujuſmodi, a Magno Auguſtino deriſos in admirabili Opere de Civitate Dei. Evanidæ illæ fuerunt umbræ, aut puerilia demum rudimenta adultæ in noſtris Virtutis; niſi etiam perſonata ſub Virtutis imagine palmaria Crimina. Nam (ut hoc delibem) vel ultro ac ſponte Adulterium admiſit Lucretia, primumque ſcelus homicidio cumulavit: vel prima invitæ injuria fuit illata, & altera inflictæ ſibi mortis noxa crevit ex eo, quod irrogata fuerit innocenti. Catonianam autem non fuiſſe generoſi Fortitudinem animi, ſed enervis, & fracti furioſum impetum, ac dejectionem, Tullius ipſe ſolerter animadvertit.

1283 At innumeros Heroica enimverò, ac prope Divina, virtute præclaros, ipſaſque etiam cum Pueris Fœminas, nos in Legiones, & Exercitus partimur, Charitatis invictos Martyres, atque Fidei: 1284 Adultos etiam inter barbaras Gentes, ut Iapones, in quibus Antiquæ Triumphi Eccleſiæ mirificè refloruerunt.

1285 Nonnulli quidem extant Ethnicorum Libri de Morum Honeſtate, ac humanis, quarum aliquæ cognitæ ipſis fuere, Virtutibus, quaſque veluti penè Divinas Dotes laudibus in Cælum ferebant. Ex

quo

quo efficitur (ipſis etiam Auctoribus) argumentum Amicæ Divinitatis a ſingulari exercitatione Virtutum aptè deſumi.

1286 Sed qui eas verè apud Ethnicos profiteretur, inventus eſt nemo: aut in quo ſaltem Regina Charitas aliarum exercitium imperaret. 1287 Imo evanidæ alicujus Virtutis profeſſio ab imperante plerumque Vitio, præſertim a Superbia, profluebat. Hinc illuſtris illa Platonis reſponſio Diogenem contudit, gloriatum a ſe calcari Platonis faſtum, cum illico hic repoſuerit: *Calcas, ſed alio faſtu*.

1288 Negavimus, floruiſſe in Ethnicis Sanctimoniam? Sed florere in ipſis nequaquam poſſe, dilucidè demonſtratur. An enim vobis illam vindicetis, quam ne ipſis quidem attribuitis Diis? An eorum veſtigiis non inſiſtatis, quos omnes exlegibus animi motibus agitatos, & vitiis refertos in ſcænam inducitis?

VIII. *Vero nullo Prophetico lumine, aut Miraculo aſſerere poſſunt Cœleſte ſuffragium inſano ſuo cultui Ethnicorum Dii.*

1289 IN exutis omni Sanctitate Sectis fruſtra veræ quæram Sanctimoniæ ornamenta, Prophetica dicta, & non ſimulata Miracula, quæ ſcilicet Naturæ, ac Tartari vires ſupergrediantur. Neque verò hæc ſolùm incaſſum requiram in cultoribus Numinum, ſed & in ipſis Numinibus.

1290 Conjectabant quidem ſolertiſſimi Dæmones nonnulla, quæ ventura trahebantur, atque illa velut Oracula per Simulachrorum ora proferebant. Sed Tar-

Tartarus auctor patebat ex eorum, quæ præcipiebat, nequitia: & plerumque futurorum ignari mortalium Hoſtes ambagibus verborum res involvebant, ne a ſuis mendacii coarguerentur.

Permittebantur aliquando a Vero Numine maximis, quibus pollent, viribus uti, aut novaculâ ſilicem ſcindere viſi (ſi narranti fides adhibenda eſt) aut motu aliquo terram concutientes: aut aerem in ſpeciem corporum conflantes repræſentata pugnantibus imagine Caſtoris, & Pollucis.

1291 At hæc ſpectra non præcellere Tartari viribus, ideoque tribuenda non eſſe Divinæ virtuti, maniſeſtiſſimum eſt. Quoties enim, ut olim ex ore Simulachrorum, ita nunc linguâ infelicium, quos invaſerunt, mortalium plurima proferunt Stygii Lemures Turcicè, aut Arabicè loquuti: quæ Idiomata cum ignorent, qui eis uti videntur, profectò non ipſi, ſed Inferni corporum incolæ linguas flectunt? 1292 Quoties præterea Strygibus, quarum ſocietati aſſueverunt, multiplici ſe ſpecie videndos præbent: & ad probos quoque decipiendos *in Lucis ſe Angelos transfigurant*? Quoties iiſdem Veneficis obſecundantes aut ſolum motu quatiunt, aut ſerenum in tempeſtates extemplo aerem cogunt?

1293 Ceterùm & Simulachrorum Silentium poſt exortum noſtræ Salutis Reparatorem: & ad Martyrum nutum prolabentes inanium Deorum Statuæ, atque ipſa Templa: & fugam arripere auditi non ſine querelis, & ejulatu maligni Genii Triumphum frequentiſſimè Vero Numini aſſeruerunt.

1294 Eidem præterea palmam Vera Miracula in-

numera quotidie vindicant, quæ ſolertiſſimè expenſa, manifeſtiſſimè comperiuntur omnibus Naturæ, ac Tartari viribus antecellere: ut quæ ſuſpexerunt Ethnici in Indiarum Apoſtolo S. Franciſco Xaverio, quem proinde Magnum Prophetam, ac Naturæ Arbitrum, Deum paſſim appellabant.

1295. Affirmavi, veſtros eniti non poſſe Deos ad Vera Miracula perpetranda; nec a dicto reſilio. Nam ſupra univerſam emineat Naturam, neceſſe eſt, qui omnes illius Leges queat evertere, vel ſuperare. Hanc autem poteſtatem ne ipſi quidem tribuiſtis Iovi, nondum exorto, cum imperaret Saturnus, mæſtitiæ non rarò, ipſique morti olim obnoxio, ſemperque Fatali Neceſſitati ſubjecto.

1196. Interiit veſana Tyrannis, qua Iupiter, cerique Dii magnam olim Europæ partem profligarunt. Iam verò aut illos hìc olim regnaſſe creditis, Indiarum populi, quorum vis magna eodem & nunc dementi aliorum Fabuloſorum Numinum cultu corripitur: aut pernegatis?

Si hoc inficiamini, ſemperque Unius Optimi, & a Sceleribus mortales injecto Inferorum metu compeſcentis, Dei apud nos adorationem viguiſſe opinamini: cur cetero terrarum Orbi vos minimè conformatis, cum in Unum tantùm rerum omnium Moderatorem Religio ſit adeo conſentanea lumini nobis infuſo a Natura?

Si autem in animum inducitis, dirutum alio, videlicet noſtro, in Orbe fuiſſe Imperium Fabuloſorum Numinum, liberas permittentium habenas hominibus ad omne ſcelus: cur in permutatis innumerabilium mortalium animis, & ad ſummopere arduam Chriſti Religionem.

nem erectis, & abſtractis a veſtra omnia indulgente genio, ideoque corruptæ hominum indoli mirificè arridente Superſtitione, Miraculorum omnium præclariſſimum non intuemini?

Hoc certè Unicum, Innumeris (expenſis Libri Quarti Signo Tertio, & Quarto) Prodigiis circumfluens, veſtram, aliaſque Sectas omnes evertit: adeoque diſertè Divinam de noſtræ Fidei Veritate Conteſtationem eloquitur, ut, qui ejus vi percelli ſe non experitur, Chryſoſtomo teſte (cujus verbis hanc abſolvere noſtri Operis partem geſtimus) *Valde Inſanus, ac totus Stupidus ſit, Naturæque Senſu privatus.*

F I N I S.

LECTORI.

SI omnia Sanctorum, Pontificum, Cæſarum, Antiſtitum, aliorumque Virorum utrâque Famâ illuſtrium Nomina, inſcripta Hiſtoriæ floribus huic Volumini inſertis, & eorumdem Sententiæ, ac Geſta in hunc Indicem congerenda eſſent: ſique ſingula in Hoſtes Fidei intorta Argumenta hìc eſſent innuenda: quadruplò longior hic ipſe Index evaderet. Ex Nominibus igitur, Sententiis, ac Geſtis illuſtriora ſolùm quædam eligimus: & plerumque multiplicium ſolummodo Argumentorum Fontes, non Singula ipſa Argumenta indicamus.

IN-

INDEX
RERUM.

A

Academiæ oſtendunt Auctoritatem Romanæ Ecleſiæ. pag. 323
Acatius Conſtantinopolitanus Anathemate ictus, & abraſus è Diptichis Pontificio juſſu. 404
S. Agathonis Pontificis litera cauſam Honorii evidenter tuetur. 513
Albericus Tyrannus extorquet a Pontifice Garceri incluſo Privilegium Pallii non petendi a Patriarchis Conſtantinopolitanis. 45
Alcoranus Contradictionibus ſcatens. pag. 607
Alexandrinæ Eccleſiæ Patriarchatus non fluxit a Decreto Chriſti, ſed ab arbitrio Petri. 38. Alexandrinorum Præſulum obſequium erga Romanum Pontificem. 412. Alexandrini Patriarchæ Hæreſum Inventores, aut Aſſeclæ. 502
Amoris Divini Prodigia. 167
Anatolii Conſtantinopolitani Arrogantia fracta a S. Leone Magno. 282
Antichriſti tempora. 198
Antiochenæ Eccleſiæ Patriarchatus non fluxit a decreto Chriſti, ſed ab arbitrio Petri. 38. Antiochenorum Præſulum erga Romanum obſequia. 419 & ſeq. Antiocheni Patriarchæ Hæreſum Inventores, aut Aſſeclæ. 503
Antiquitatem ac Durationem diuturnam jactare nequeunt Hebræi. Non ſuccedunt Adamo, Abrahamo, & Davidi, ſed Caiphæ, & Annæ. 588
Apocriſarii Pontificii Conſtantinopoli. pag. 403
Apoſtoli gentem nullam, ut Græcam, excoluerunt. 178. Apoſtoli alii in quo conveniant, & in quo differant a S. Petro. 336. 344.
Apoſtolicæ cognomentum Romanæ perpetuò Eccleſiæ a Conciliis, & Patribus attributum. 436. In quo ſenſu Apoſtolica præcipuo nomine dicatur Romana Eccleſia. 438. Quo pacto Signum veritatis ab Apoſtolicæ Appellatione petitum Senſibus quodammodo ſubiici poſſit. 440. & ſeq. Re ipſa demonſtratur Apoſtolica Petri Cathedra. 444. & ſeq.
Apoſtolicæ Romanæ Doctrinæ Natura, & Arduitas oſtendit manifeſtiſſimum Divinum Prodigium in ejus Propagatione contra omnes illius Hoſtes. 448 & ſeq. Miraculum idem contra omnes Sectas augetur ex Modo Propagationis Apoſtolicæ Romanæ Doctrinæ per ipſos Apoſtolos. 454. & ſeq. Dilemma S. Auguſtini de Fide propagata Miraculis, vel ſine Miraculis. 459
Apoſtolica quoad Fidem, & Leges Morum doctrina in Romana Eccleſia perpetuò perſeverans. 469. & ſeq. Apoſtolicus Spiritus in Romanis Pontificibus ad Apoſtolorum Fidem tuendam. 496. Idem evidenter defuit Patriarchalibus Sedibus Orientis, cum omnes infederint plurimi Hæreſum Inventores, aut Aſſeclæ. 497. & ſeq. Apoſtolica Fides nunquam deficiens in Romanis Pontificibus. 504. & ſeq. Nec in Liberio. 507 & ſeq. Nec in Honorio. 510. & ſeq. Idem Apoſtolicus ardor Romanorum Pontificum in afferenda Fide contra Ethnicos. 518. & ſeq. Idem fulgens in immutato Divinitus quorumdam Pontificum animo, ut in Vigilio. 523. & ſeq. Et in vigore contra Hæreticos, & Saracenos. 528. & in Conſtantia Pontificum Græcorum, aut qui Conſtantinopolim delati ſunt. 529. & ſeq. & in Apoſtolica Fide a Romanis Pontificibus per Orbem terræ diffuſa. 533. & ſeq. & in Modo, quo nunc etiam eadem Fides Romanorum Pontificum ſtudio propagatur. pag. 536

Ap-

Appellationum ad Romanum Pontificem Ius declaratum a Concilio Sardicenſi. 362

Ariani in ſparſi fuerint latius Catholicis. 198. Ariani Epiſcopi fatentur præſtantiam Romani Pontificis ſupra Concilia, non reiiciendo Appellationem S. Athanaſii ad S. Iulium a Synodo Antiochena, quam ipſi jactabant Vniverſalem. 361

Articulus nullus definitus eſt Indifferens ad Salutem. 36. & ſeq. Articulos Fidei definire poſſunt etiam ſoli Pont. 397

Aſſenſus Fidei per modum Concluſionis non habet pro formali motivo Veritatem peculiarium Myſteriorum, neque ſolam Auctoritatem, aut ſolam Revelationem, ſed utramque ſimul. 67

S. Athanaſius petit præſidium S. Iulii Romani Pontificis contra Euſebianos. 41 & ad illum appellat a Concilio Antiocheno. ibid. S. Athanaſius appellat ad Romanum Pontificem a Synodo Antiochena, quam Ariani jactabant Vniverſalem. 361. S. Athanaſii ad Romanam Sedem multiplex Confugium. pag. 415

Athei manifeſtæ Dementiæ Argumentis quatuor, & Octaginta coarguuntur. 551. uſque ad 588. Nullum ipſis eſſe poteſt Rationis, aut Honeſtatis Lumen. 553. & ſeq. Sunt Humani Generis Hoſtes. 554. Morum Corruptela, Superbia, Ignorantia eos impulit ad Deum, & Religionem proculcandam. 555. Illuſtris nullus Auctor eſt Atheis: Pauci eorum Inſaniæ Sectatores. 557. Multipliciter demonſtratur Inſania opinantium conſlatum fortuitò ex Atomis Mundum fuiſſe. 559. & ſeq. Dementia tribuentium infinitis alia indigentibus cauſis hanc rerum Vniverſitatem. Neceſſitas Cauſæ Primæ, quæ nulla indigeat. 565. & ſeq. Vecordia referentium omnia in Naturam, excluſo illius Auctore Intellectu prædito. 568. & ſeq. Per ſummam dementiã nos ab Atheis Simplices dicimur, eò quòd credamus illa, quę non videmus. Multò hujuſmodi plura, & abſurdiſſima ipſi credunt, ac verè ſunt Mortalium ſtolidiſſimi. 579. & ſeq. Plurima Divina Prodigia veritatem noſtræ Fidei demonſtrãtia omnium oculis nunc etiam ſubiiei Atheis evidenter oſtenditur. 584. & ſeq. Præterita Miracula multò clarius fulgent in conſervata Chriſti Eccleſia, quàm Imperii Romani a Cæſare Fundatio, & quæcumque alia Profana manifeſtè conſtent ex Hiſtoria, ac Traditione. 587

Atomis tribui nequit Mundi opificium. pag. 559. & ſeq.

Atteſtatio Divina u. Loquutio.

Auctoritas Viſibilis Eccleſiæ eſt una ex Fidei Notis. 332. Auctoritas viſibilis, & ſumma Romanæ Eccleſiæ Regulis plurimis ſtabilitur. 428. & ſeq.

Averrois dictum de ſua, & noſtra Lege. pag. 611

S. Auguſtinus moliebatur ſcribere Tractatum de Signis Fidei 3. Ejus ſententia de Eccleſiæ Viſibilitate. 12. Ac de Excluſione a Salute omnium, qui ſunt extra Veram Eccleſiam. 25. Et de Perpetuitate Veræ Eccleſiæ. 55. Idem docet, hærendum eſſe in Romana Eccleſia. 55. Inſultat inducentibus Novitates in Eccleſiam. 59. Ejus dilemma de Fide propagata Miraculis, vel ſine Miraculis. 153. 460. & ſeq.

Aurelianus Ethnicus Imperator tranſmittit Romano Pontifici Epiſcoporum Cauſas. 424

B

Balſamon primus fuit, qui Latinos Hæreſis calumniaretur. 50. Ejuſdem Livor, & Rabies. 111. Pœna. 175. Inſania de coarctato Pontificio Regimine à Canone Niceno ad Eccleſias Occidentales. 368. & ſeq.

Baptiſmum ritè collatum ab Hæreticis non iterari præcipit S. Stephanus Pontifex, & minatur Excommunicationem contrarium docentibus. 63. Ejus cum S. Cypriano Controverſia non infringens Charitatem. An in hoc Cyprianus peccaverit. 64

Bardæ Cęſari, Photii Defenſori inflictum Supplicium. 174

S. Baſilius Magnus confugit ad S. Damaſum, & appellat Romanam Eccleſiam Caput Eccleſiarum. 41. Et ſe ſubiicit Examini Romani Pontificis, ut ſui Iudicis.

Digitized by Google

dicis.ibid. & nullam irrepſiſſe Novitatem in Romanam Eccleſiam atteſtatur, qua Novitate frequenter Orientales Eccleſiæ laborabant.ibid. Ejuſdem ad Romanam Sedem Confugia. 420
Baſilius Imperator Pœnas dat revocati Photii.175. Ejuſdem obſequium erga Romanum Pontificem. 321
S.Birgittæ de Græcis Oraculum. 180

C.

Cadavera Excommunicatorum in Oriente num ſemper intumeſcant? pag. 159.& ſeq.
Callinicus Patriarcha Conſtantinopolis Trullanæ Pſeudoſynodi Auctor orbatus oculis ab Imperatore Romam ſupplex mittitur. 53 r
Calvini Nequitia eſt indicium falſæ illius Doctrinæ 106.Idem, & Lutherus damnati a Schiſmaticis.205. Fatetur Sanctitatem Romanæ Eccleſiæ. 244. Calvinus affirmans recuſatum a S. Gregorio Magno fuiſſe Titulum Epiſcopi Eccleſiæ Univerſalis multipliciter confunditur.300.& ſeq.Idem pervertit S. Auguſtini ſententiam. 336. Ejus Inſania de coarctato Pontificio Regimine ad Eccleſias Suburbanas. 368.& ſeq.Calvino, & Luthero fuiſſe plurimos Sectatores nullum prodigium eſt.453. Calvinus Hoſtis Liberi Arbitrii, ac Spretor Sanctorum omnium Patrum. 478
Canonicum jus erga Romanam Eccleſiam obſequentiſſimum. 321
S.Catharinæ Senenſis Pœnæ, ac Cæleſtes deliciæ. 168
Cathedræ S. Petri conſecrati ſolennes dies a primis Eccleſiæ temporibus.447
Catholicorum Sanctitas, & Sapientia. 136. Eorum Libri redundant Unctione Divini Spiritus.143. Catholicæ nomen probat Romanæ Eccleſiæ veritatem. 189. Illi convenit etiam ex Hoſtium Confeſſione.192.& ſeq. Catholici nominis explicatio triplex, quoad Objectum, Loca, Tempora. 195.& ſeq.Catholicæ nequeunt eſſe Shiſmaticorum, & Hæreticorum Sectæ.203. & ſeq. Catholicorum Populorum, & Principum Nobilitas, Sapientia, Felicitas.223. Catholica quæ nunc eſt Eccleſia, neceſſariò ſemper fuit Catholica.325. Catholicæ nomen uni Romanæ Eccleſiæ convenire, multipliciter demonſtratur. 428.& ſeq.
Cauſis infinitis, quarum unaquæque alia indigeat, tribuentium hanc rerum Univerſitatem inſania.565.& ſeq.Neceſſitas Cauſæ Primæ, quæ nulla indigeat. 565.& ſeq.
Cerularii Pœna.175. Ejus arrogantia fracta a S.Leone IX. Pontif.Maximo.295.
Chalcedonenſe Concilium appellat Romanum Pontificem Epiſcoporum Caput. 34. Damnat Dioſcorum, præcipuè quia Synodum indixerat ſine facultate Apoſtolicæ Sedis, quod nunquam licuit, neque factum eſt 40. Ejus obſequium erga Romanum Pontificem. 73. Canon intruſus huic Concilio de Primatu Sedis Conſtantinopolitanæ poſt Romanam rejicitur.73 Nullū Conſtantinopolitano Præſuli jus attribuit ad Oecumenici appellationem. 269. & ſeq. Tribuit Romano Pontifici Titulum Univerſalis. 301
Charitas Chriſtiana eſt Indicium infallibile veritatis Fidei. 412
Chriſtum Dominum eſſe Deum fatetur Mahometes ipſe, qui præterea conſtanter affirmat, ipſum eſſe Maximum Prophetam. 624
Chriſtianum, non verò Catholicum dici, eſt eſſe Hæreticum, aut Schiſmaticum. 190. Chriſtianos ſalvari Mahometes fatetur.626.Chriſtianam Fidem Turcæ plurimi expetunt ſub exitum vitæ, aut impulſi amore Regni immortalis.627. Eandem nulli ejurant, niſi ob Humanas, ac Tartareas Cauſas. 628
Chriſtianæ Fidei Arduitas, & ejus Propagatio oſtendit, illam eſſe Divinam. pag. 448.& ſeq.629
Chriſtinæ Auguſtæ Suecorum Reginæ Præconium. 248
Concilium n. Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe. Concilium Septimum canit Symbolum cum Particula *Filioque*.35. Concilia Octo Generalia in Græcia celebrata venerantur Romanam Eccleſiam

ſiam ut aliis præſidentem. 40. Celebrari nequeunt ſine Auctoritate Romani Pontificis. ibid. Concilia Generalia petunt ſemper Confirmationem a Romano Pontifice. 41. Concilium Quintum veneratur Pontificiam Auctoritatem. 75. Sextum. 76. & Septimum. 77. & Octauum 79. Concilia Generalia celebrari poſſunt a ſola Romana Eccleſia. 251. Constantinopolitano Antiſtiti ſolùm tribuitur a Synodo Chalcedonenſi Facultas conſecrandi quarundam Provinciarum Metropolitas. 279. & ſeq. Conciliorum Auctoritas. 329. Conciliorum omniũ ſententia de jure tributo D. Petro ad Regimen Vniverſalis Eccleſiæ. 333. & ſeq. Concilia Generalia multipliciter declarant Pontificum Romanorum Succeſſionem S. Petro in Regimine Vniverſalis Eccleſiæ. 354. Cur petant Pontificiam Confirmationem. 360. Non habent ſine Comprobatione Pontificia vim ſufficientem ad Hæreſes profligandas. 396. In quos Errores Lapſa ſunt, quæ ſequuta non fuerunt Pontificiam directionem. ibid. Concilia, & Patres perpetuò a tribuunt Romanæ Eccleſiæ Apoſtolicæ Cognomentum. 436. Conciliorum Acta frequenter ab Hæreticis vitiata. 513. Concilium Sextum plaudit Epiſtolæ S. Agathonis Pontificis velut è Cælo ſcriptæ a S. Petro. 513

Conſtantinopolis laus. 178. Ejus Everſionem circumſtant Prodigia, & Cæleſtia Oracula. 179

Conſtantinopolitanus Patriarcha non habet jus in alios Orientales. 31. Conſtantinopolitanam Eccleſiam Romanæ ſubjectam eſſe demonſtratur. 44. & ſeq. Conſtantinopolitani Patriarchæ mittebant Romam ſuæ Fidei Confeſſionem, petebant Confirmationem, & excipiebant Pallium, Signum Iuriſdictionis, a Romano Pontifice. 45. etiam poſt Photii tempora. ibid. Privilegium non petendi in poſterum extortum per Tyrannidem non eximit illos a Romani Præſulis Poteſtate. ibid. Fuerunt Hæreſum Inventores. 49. Conſtantinopolitanum Concilium non inſerendo Symbolo Particulam *Filioque* nullam dedit futuris Diſſidiis anſam. 67. Cur illam non inſeruerit. 68. Confirmat Auctoritatem Romani Pontificis. 70. Huic Synodo falsò tributus Canon, conſtituens eam Sedem Secundam poſt Romanam, meritò improbatus a Romanis Pontificibus. 70. Pugnans contrà Canones Nicænos. 71. Iuriſdictionem nullam attribuit Archiepiſcopo Cæſareæ urbis. ibi. Spretus fuit a S. Ioanne Chryſoſtomo. ibid. Solùm anno 1215. robur obtinuit. ibid. Conſtantinopolis Patriarchæ, qui fuerint Catholici poſt Florentinum Concilium. 87. Conſtantinopolitani Patriarchæ quot Sancti. 128. Alii plurimi Hæretici. 129. Conſtantinopolitanum Patriarcham dici OEcumenicum portentum eſt. 267. & ſeq. Conſtantinopolitana Synodus nullum ſuæ urbis Præſuli jus attribuit ad OEcumenici appellationem. 269. & ſeq.

Conſtantinopolitani Patriarchæ ſubjectos ſe fatentur Romano Pontifici. 282. & ſeq. Eorum obedientia præſtita Romanis Pontificibus. 399. & ſeq. Cæſareæ urbis Præſules a Romano reſtituti, pulſi, electi 400. Confirmati: ad eundem appellantes. 401. Mittentes Fidei Profeſſionem, etiam poſt inſertam Particulam *Filioque*. 402. Directi a Pontificiis Apocriariis. 403. Conſtantinopolitanæ Synodi ad Romanum Pontificem confugientes. 409. Conſtantinopoli habiti Honores Summis Pontificibus, & eorum Legatis. 412. Conſtantinopolitana Eccleſia dici nequit Apoſtolica. 446. Conſtantinopolitani Patriarchæ Hæreſum Inventores, aut Aſſeclæ 498. & ſeq. Quo pacto ſe gerant ſub Tyrannide Turcarum. 521

Controverſiæ Fidei, u. Fidei Controverſiæ.

Correſii Branæ laus. 547

Credibilitatis Motiva quid ſint. 4

Credulitatis pius affectus. 4

S. Cypriani ſententia de Salute negata iis, qui ſunt extra Veram Eccleſiam. 25 Idem non cohærens ſententiæ S. Stephi-

phani Pontificis nullatenus imminuiſſe Pontificiam Auctoritatem. 64. Quomodo illum tueatur D. Auguſtinus. ibid.

D

S. Damaſus Pontifex damnat Hæreſim Apollinarii. 39. S. Damaſi præſidium implorat, eique, ut ſuo Indici, ſe ſubjicit S. Baſilius. 43

Davidis Auctoritas de Evidentia Signorum Fidei. 12. 13. Ejus Prædictio de Varietate Rituum in Una Eccleſia. pag. 30

Deum videri nunc a Sanctis præſumunt ipſi Schiſmatici. 95. Deum exiſtere demonſtratur a Cauſæ Primæ neceſſitate. 563. & ſeq. & a neceſſitate Auctoris Naturæ Intellectu prædi i. 568. & ſeq. Oſtenditur, Deum eſſe Providum, ac Judicem. 572. & ſeq. Unum ſolummodo Deum eſſe contra Ethnicos demonſtratur. 632. & ſeq. Ex ipſorum etiam Confeſſione Ethnicorum. pag. 633

Deiparæ Imagines innumeræ Miraculis inclytæ. 157. 158. Eadem Victoriam tribuit Ethnico Perſarum Exercitui. pag. 157

Dii Gentium. v. Ethnici.

Divina Revelatio. v. Loquutio.

Divina Auctoritas in quo fundetur. 6.

Divitiæ nunc opportunæ in Romanis Pontificibus. 476

E

Eccleſia eſt manifeſta ſimul, & occulta, ſed ob Signa Fidei eſt manifeſtiſſima, & oculis ſubjecta. 10. 11. Eccleſiæ Veræ Evidentia non ſolum Moralis, ſed in aliquo etiam ſenſu Metaphyſica. 12. Dicitur Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica a Symbolo Conſtantinopolitano; ex quibus fontibus profluunt Centum Signa Veræ Fidei. 18. In quo ſenſu ſit Una, ſcilicet illa eadem Antiquiſſima, & mundo coæva. 23. Neceſſariò eſt Una tantùm. ibid. & 24. 25. & ſeq. Extra veram Eccleſiam non eſt ſalus. 25. & ſeq.

Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ nominibus quid ſubſit, cum vera Chriſti Eccleſia una tantum ſit. 30. Occidentalis, & Orientalis nomina unde orta, & quàm formidata a S. Gregorio Nazianzeno. ibid.

Eccleſia Romana eſt Una, quia Unum eſt illi Adſpectabile Caput. 31. Ejus Antiquitas, & Unitas cum ea, quam Chriſtus inſtituit. 32. & ſeq. Dici non poteſt, eam declinaſſe ab Antiqua Eccleſia, cum permiſſa eſt inſeri Symbolo Particula *Filioque*: neque cum inceperint Pontifices exercere verum Ius in Chriſtianos omnes. ibid. Nullam Novitatem unquam admiſit, ob quam Una eademque non ſit cum illa, quam Chriſtus inſtituit. 35. Generatim ſibi conſentientem habuit Græcam per annos Mille. 38. & ſeq. Ad eam appellat S. Athanaſius. 41. Illi omnium Capiti laudes tributæ a S. Baſilio. 42. & a S. Gregorio Nazianzeno. 43. & a S. Ioanne Chryſoſtomo. ibid. Ejus Fides ſemper integra. 50. eadem innititur validiſſimo Præſcriptionis firmamento. 51. & ſeq. Eccleſia Vetuſta ſemper conſulenda eſt ex D. Irenæi ſententia. ibid. Eccleſiæ aliæ præter Romanam primis etiam temporibus ab Hæreticis inquinatæ. 52. Eccleſia Antiqua prius, quàm Sacræ ipſæ Literæ, conſulenda eſt. 53. Eccleſiæ Romanæ Diuturna, nec unquam abrupta duratio maximum illi pondus addit Auctoritatis. 54. Ejus initium admirabile per Galilæum Piſcatorem. 56. Eccleſiæ Romanæ membrorum ſummus inter ſe, & cum Capite nexus. 99

Eccleſiæ Sanctitas occulta, & manifeſta. 102. Eccleſiæ Romanæ Fundatorum Sanctitas. 104. Eccleſia Romana Sanctam Doctrinam tradit. 119. In ejus filiis frequentiſſima Sanctitas, etiam poſt exortum Schiſma. 124. Sanctis redundat. 126. Ejus Sanctitatem confirmant labes Pontificibus quibuſdam aſperſæ. 129 & ſeq. Sapientiſſimo Divinæ Providentiæ conſilio Divitiæ, & humanus Provinciarum dominatus attributus eſt Romano Pontifici. 131.

Eccleſiam Romanam eſſe Sanctam, & veram indicant Sancta ferè omnia noſtræ fidei monumenta in illius ſinum recepta. 134. Ejus Veritatem prædixerunt Oracula Prophetarum. 145. Per-

petuò exornatur vigente in plurimis filiis ſuis Spiritu Prophetiæ. 147. Et Dono Miraculorum. 150. Ejus veritas ab antiquis Martyribus confirmata. 164. Et a recentibus poſt exortum Schiſma, & Hæreſes. 165. Et a Martyribus amoris Divini. 167. Illam demerſam Error fuiſſe uſque ad Photii, aut Lutheri tempora penitus incredibile eſt. 170. Ejus interna Sanctitas arguitur ab Externa 181. & ſeq.

Eccleſia Romana Catholica dicitur etiã ab Hoſtibus. 189. & ſeq. Catholica eſt ipſa re, quia credit omnes Definitas veritates. 95. 200. & ſeq. Ejus Definitionibus omnibus, & non aliquibus tantùm, acquieſcendum eſt. 202. & ſeq. Eam deſerentes facilè corruunt in plurimas Hæreſes. 203. Eccleſia Vera Unica. 205. Eam poſthabentium Auctoribus Hæreſum, aut Schiſmatum Inſania. 290

Eccleſiam veram diffundendam per omnia loca prædicunt Divina Oracula. 218. Romanæ Diffuſio per omnia loca. 218. & ſeq. Multiplicitas gentium ſectantium Romanam Eccleſiam. 224. Nationes etiam molles, & barbaræ ingreſſę Romanam Eccleſiam. 225. Populorum, & Principum Catholicorum illi adhærentium Nobilitas, Sapientia, Felicitas. 227. Illius propagatio in Indiis. 230

Eccleſiam Romanam eſſe veram fatetur Schiſma, & Hæreſis. 240. & Ethnici, ac Hebræi. 242. & Mahometes. 243. & Photius. 244. Calvinus, & Lutherus. ibid. Ejus Veritas patet ex cauſis, ob quas plurimi ad eam accedunt. 247.

Eccleſiæ ſoli Romanæ facultas eſt celebrandi Univerſalia Concilia, ideoque ipſa tantùm eſt Univerſalis. 251

Eccleſiæ Univerſalis Epiſcopus manifeſto jure dicitur Romanus Pontifex. pag. 255. & ſeq.

Eccleſiæ Romanæ Univerſalitas vindicata ab inconcuſſa traditione, Hiſtoriis omnibus, etiam ſcriptis ab Hoſtibus, Regum Tabulis, electione, & Inauguratione Cæſarum, atque Regum, Equitum Ordinibus, Rebus omnibus, omni Teſtium genere, Cælo, Terris, Inferis, & ipſis Schiſmatibus inter Latinos. 318. & ſeq.

Eccleſia, quæ nunc eſt Catholica, neceſſariò ſemper fuit Catholica. 325

Eccleſiæ Univerſæ Regimen tributum fuiſſe D. Petro multipliciter demonſtratur. 330. Eccleſiæ Auctoritas Viſibilis. 332. Eccleſiæ fundatæ a S. Petro, & ejus Succeſſoribus. 348

Eccleſiæ Regimen bene conſtitutum neceſſariò exigit Romanorum Pontificum Succeſſionem S. Petro. 356. Hoc ipſum patet ex neceſſitate Supremæ in Sacris Præfecturæ, ac Magiſterii in uno tantùm exiſtentis Sapientibus omnibus manifeſta. 372 Et ex teſtibus, quorum auctoritatem eludere, niſi ſibi ipſis contradicant, nequeunt Græci, præſertim ex Pontificibus, quos inter Sanctos venerantur. 383. & ſeq. Et experimentis innumeris Pontificiæ Poteſtatis in Occidente. 390. & ſeq. Et ex non paucioribus in Oriente. 394. Et ex Hæreſum, & Schiſmatis Auctorum ad Romanam Cathedram Confugiis. 398. Et ex obedientia innumeris experimentis præſtita Romanis Pontificibus a Patriarchis Conſtantinopolitanis. 399. & ſeq. & ab Alexandrinis. 412. & ſeq. & ab Antiochenis. 419. & ſeq. & a Hieroſolymitanis. 425. & ſeq.

Eccleſiæ ſolum Romanæ convenire Catholicæ Appellationem multipliciter demonſtratur. 428. & ſeq.

Eccleſiæ Romanæ Cognomentum Apoſtolicæ a Conciliis, & Patribus perpetuò attributum. 436. In quo ſenſu Apoſtolica præcipuo nomine dicatur Romana Eccleſia. 438. Quo pacto Signum veritatis ab Apoſtolica Appellatione petitum Senſibus quodammodo ſubiici poſſit: ubi ſtatuitur iterum, Eccleſiam eſſe Adſpectabilem. 440. Re ipſa demonſtratur Apoſtolica Petri Cathedra. 444

Eccleſiæ Propagatio mirabilior, quam Mundi Opificium. 460. Eccleſiæ Romanæ doctrinæ, quoad Fidem, & Leges Morum cum Apoſtolica Conſpiratio. 469. & ſeq. Ejus conſervatio multò clarius exhibet, videnda præterita Miracula.

racula, quàm Imperij Romani à Cæſare fundatio, & quæcunque alia Profana manifeſtè conſtent ex Hiſtoria, ac Traditione. 587
Epheſini Concilij obſequium erga Romanum Pontificem 72. Epheſina Synodus non prohibuit; neque prohibere potuit Pontifici Maximo, & celebrandis eius Auctoritate Concilijs inſertionem Symbolo alicujus particulæ; 289. & ſeq. Multipliciter declaravit ſe ſubjectum eſſe Pontifici Maximo, & hunc Infallibilem eſſe in declaranda Fide. 288
Epiphanij Conſtantinopolitani æqualem Thronum ambientis audacia fracta a S. Ioanne I. Pontifice, & Martyre pag. 284
Epiſcopi ſoli regere nequeunt Eccleſiam Dei 375. Epiſcopi, à quo eligantur. pag. 392
Epiſtolarum Pontificiarum ſuprema Auctoritas etiam primis Eccleſiæ temporibus. 387
Ethnicorum Doctrinæ Impuritas, ideoque falſitas 120. Ethnici fatentur veritatem Romanæ Eccleſiæ 242. Ethnicæ Superſtitioni fuiſſe innumeros Sectatores nullum prodigium eſt 452. Ethnicorum furori ſtrenuiſſime obſtat Maximorum Pontificum ardor. 518. & ſeq. Ethnicis nulla eſt vnitas. Probroſa, & veſana initia Idololatriæ. Nulla præſcriptio 630. Euertitur præcipuus Ethnicorum error de Numinum pluralitate. Ratione manifeſtiſſima, & ipſorum etiam Confeſſione Idololatrarum, demonſtratur, vnum ſolummodo Deum eſſe. 632. Innuuntur alia Ethnicorum abſurdiſſima deliramenta 634. Ridenda, & probroſa inanium Deorum facinora. 635. Doctrina Deorum, qui homines fuerint, antequam, ineptè illis tributa, Diuinitate donarentur, aut ſint Belluæ, Saxa, aut Dæmones, Examini neceſſariò ſubjici debet ab omnibus non omnino inſanientibus. Si autem expendatur; manifeſtæ falſitatis arguitur. 636. Sapiens nullus acquieuit Superſtitioni Ethnicorum, quibus nulla diuinarum rerum Sapientia eſt. 637. Morum Sanctitas nulla Ethnicis eſt, aut eſſe poteſt; 638. Vero nullo Prophetico Lumine, aut miraculo aſſerere poſſunt cœleſte ſuffragium inſano ſuo cultui Ethnicorum Dij. 640
Equitum Ordines Romanæ Eccleſiæ vindicant auctoritatem. 342
Eutychetis ad S. Leonem Magnum Appellatio. 399
Excommunicationes latæ à Romanis Pontificibus in omne hominum genus. 393
Excommunicatorum Cadauera num ſemper intumeſcant in Oriente. 159. & ſeq.

F.

FElicitas humana quando ſit Præmium Sanctitatis? Infortunia Pœna Improbitatis in Auctoribus Schiſmatis. 171. & ſeq.
Felicitatem humanam ſibi diuinitus indultam fuiſſe in ſignum veræ Religionis blandiri ſibi Turcæ non poſſunt; nec felices ipſos eſſe cenſendos, manifeſtè conficitur. 623
Fidei ſigna quid ſint 1. Fidei ſignorum tractationem moliebatur D. Auguſtinus 2. Fidei ſigna cur tradi debeant ante peculiares controuerſias. 1. 2. Magis neceſſaria ſunt, quàm ſcientiarum principia. 3. Neceſſariò dantur, ſi Deus eſt, & Prouidus eſt. 3. Dari debent, vt Fides eſſe poſſit ſimul Obſcura, & Prudens. 3. 4. Eorum Evidentia. 11. 12. 13. Fidei ſigna quo pacto ſubjiciantur oculis 187. Sunt adeo evidentia, vt niſi nos ducerent ad Veritatem, exclamare ad Deū poſſemus: *Domine, ſi error eſt, quem credimus, a te decepti ſumus*. 538. & ſeq. Fidei ſigna. u. Signa Fidei.
Fidei Præambula 4. Explicantur exemplo Regis, & Iudicis. 4. 5
Fidei controuerſiarum tractatio incipienda eſt a ſignis Fidei. 1
Fidei aſſenſus per modum Concluſionis non habet pro formali motiuo Veritatem peculiarium Myſteriorum, neque ſolam Auctoritatem, aut ſolam Revelationem, ſed vtramque ſimul. 6. 7
Fidei motiva quid ſint 6. cui innitantur. ibidem

Fidei Reſolutio quid ſit, & quomodo fiat. 9
Fidei motiva Intrinſeca, & Extrinſeca. pag. 9.10
Fides in Chriſtum non ſufficit, ſi negetur aliquis ex Articulis definitis. 26. & ſeq.
Fidei Vnitati non obſtat permiſſa diverſitas rituum. 10
Fidei monumenta ferè omnia in Eccleſię Romanæ ſinum recepta ſanctitatem, & veritatem ejuſdem indicant. 134
Fidei Regula debet eſſe certa 202. 207. Inſania rejicientium plurimas definitas ab Eccleſia veritates. 207. & ſeq.
Fidei Iudices conſtituentium ſe ipſos, confugiendo ad peculiare inteſtinum lumen ſingulorum, vecordia. 212. & ſeq.
Fidei Propagatio evidenter mirabilis ex ejus Natura, & Arduitate 448. & ſeq. Miraculum idem contra omnes Sectas augetur ex modo Propagationis Apoſtolicæ Romanæ doctrinę 454. & ſeq. Dilemma D. Auguſtini de Fide propagata Miraculis, vel ſine Miraculis. 459. & ſeq.
Fidei ſufficientia ad ſalutem aſſerta ab Hæreticis, quàm inſanè. 482
Fides contra Ethnicos mirificè aſſerta ab ardore Maximorum Pontificum. 518 & ſeq.
Fides Apoſtolica a Romanis Pontificibus per Orbem terræ diffuſa 533. Modus, quo nunc etiam eadem Fides Romanorum Pontificum ſtudio propagatur, evidenter oſtendit eandem eſſe Apoſtolicam. 536
Fides quomodo quærenda. 581
Fidei certa Regula non eſt Atheis. 591
Fidei Romanæ manifeſta Credibilitas, & Credenditas 611. Nil docet contrarium lumini Rationis 613. Ejus Myſteria quo pacto expendi poſſint abſque eo quod de ijs vllatenus dubitetur. 615
Filioque Particula inſerta erat Symbolo ante ſextam, ſeptimam, & octauam Synodum, in quibus, ac diu etiam poſt illas Græca Eccleſia generatim adhæſit Latinę 33. Eam jam additam Symbolo carpere auſa non fuit Pſeudoſynodus Trullana 76. In illam primò invectus eſt Photius poſt annos ſupra ducentos ab Additione 77. Eam Græcè, & Latinè ter cecinit in Symbolo ſeptima Synodus. ibid. Abraſam frequenter a Marco Epheſio ex Operibus Sanctorum Patrum 113. Eadem nulli jus tribuit Patriarchæ Conſtantinopolitano ad Oecumenici Titulum 286. & ſeq. Illam Symbolo inſeri non prohibuit neque prohibere potuit Synodus Epheſina. 287 & ſeq.
Filioque Particula u. Conſtantinopolitanum, & Epheſinum Concilium
Florentinum Concilium 86. Quid præcipuè declaraverit 88. Quam magnæ ſit auctoritatis 89. Inſania majorem fidem adhibentium Marco Epheſio, quàm huic Concilio. 89. & ſeq.
S. Franciſci Stigmata. 167
S. Franciſci Xaverii Romanę Sedis Nuncii Prophetiæ innumeræ 148. 149. Miracula 151. Donum Linguarum. 156

G.

GRęcæ, & Latinæ Eccleſię nominibus quid ſubſit, cum Vna tantùm ſit vera Chriſti Eccleſia 30. Græca Eccleſia per quatuor ſecula poſt inſertam Particulam *Filioque* generatim adheſit Latinę 33. Per annos mille conſenſit cum Romana, vt cum vna eademque omnium Principe, quam in Petro Chriſtus fundavit 38. & ſeq. Græcę Eccleſię Doctores ſummopere venerantur Romanam Eccleſiam 41. confugiunt ad Romanam Cathedram 41. & ſeq. Græcorum perpetua Conſenſio cum Latinis oſtenſa a Leone Allatio 47. Gręcorum cum Latinis pax frequenter inita præſertim in Conciliis 48. Poſt captam Conſtantinopolim crevit Rebellio 48. Diſſidii ſemina quando jacta. 49
Gręcorum publicus ad Vnitatem Regreſſus in Conciliis Lateranenſi 83. & Lugdunenſi 84. & Florentino. 86
Græcos adheſiſſe Auctoribus Schiſmatis incredibile portentum eſt. 118
Gręcorũ Schiſmaticorũ nullus inclytus Sanctitate. 124. Gręcis oſtenſa Pontificię Charitatis argumenta 132. 133
Gręci ante Photium Sapientię, & San-

ctitatis

ſtitatis laude cum Latinis decertarunt 138. Poſt Photium ſanctimoniæ, ac doctrinæ dotibus Græci a Latinis penitus obruuntur. 139
Græci ante Schiſma florentiſſimi Dono Miraculorum. 150
Græcia innumeris Martyribus ante Photium ornata 165. Poſt illum Catholici quidem aliqui, ſed Schiſmaticus nullus Chriſti Fidem effuſo ſanguine teſtatus eſt. 165
Græci quo pacto excutere poſſint Turcarum jugum juxta id, quod Chriſtus Dominus dixit S. Birgittæ 180. Græci fatentur Vniverſalitatem Romani Ritus, ad quem frequenter accedunt. 245
Græci S. Petri cultui addictiſſimi. 345
Græci poſt inſertam Particulam Filioque ſubiectos ſe fatentur Pontifici Maximo non minus, quàm ante. 290
Græcorum, & Latinorum Patrum Iudicium de Iure tributo D. Petro ad Regimen Vniverſalis Eccleſiæ 334. Patrum Teſtimonia de ſuprema Romani Pontificis Auctoritate 384. & ſeq.
Græci eludere nequeunt Auctoritatem Summorum Pontificum, quos inter Sanctos venerantur 383. & ſeq. Græcorum Pontificum, aut Conſtantinopolim delatorum ſtudium veritatis, & juſtitiæ propugnandæ, Premiis, aut Suppliciis vinci neſcium 529. & ſeq.
Græcorum Collegii Alumnorum laus a Viris doctiſſimis pro Eccleſia Romana pugnantibus 47. Et a tribus Patriarchis Conſtantinopolis, aliiſque innumeris, quos Alumni vocarunt ad Romanam Fidem 87. 246. Et a Martyribus. 165
Græciæ laus 177. Gens nulla magis exculta ab Apoſtolis. 178
S. Gregorius Nazianzenus formidabat nomina Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ 30. Dicit, Romanam Eccleſiam toti Orbi Chriſtiano præſidere 43. idem mavult cedere Conſtantinopolitano Epiſcopatu, quàm avelli a Conſtitutione Damaſi. ibid. Et affirmat, neceſſariò cenſendos eſſe Orthodoxos, quorum Fides a Romano Pontifice approbatur. ibid.
S. Gregorii Magni ſententia de ſalute negata iis, qui ſunt extra veram Eccleſiam 29. Idem exercet Regimen Vniverſalis Eccleſiæ. 297. & ſeq.
Gregorii Palamæ Hæretici Inſania. pag. 120

H.

HÆreſes quid ſint 58. Hæreſum Cauſæ, & Adjumenta contraria Sanctitati, ideoque veritati doctrinæ 116. Hæreſum recentiorum falſitas illata ex impuritate doctrinæ. 120
Hæreſis omniũ recentiſſimæ cũ aliis comparatio 121. Hæreſibus nullum a Propheticis prædictionibus ſuffragium acceſſit 145. Hæreſes uſurpare nequeunt Catholicum nomen 203. & ſeq. Hæreſum omnium origo quæ 208. Hæreſum Auctores non niſi inſani conſectantur. 209.
Hæreſum, & Schiſmatum recens origo manifeſte demonſtrat, ipſas non eſſe Vniverſalem, ideoque Veram, nunquam a Chriſto deſerendum, Eccleſiam 232. Hæreſum, & Schiſmatum Duces majori in pretio habentium, quàm Vniverſam Eccleſiam inſania 209. Hæreſes, & Schiſmata evidenter carent Vniverſalitate diffuſionis quoad Loca 234. Neque in futurum ubique ſpargi poſſunt 237. Hæreſum confeſſio de Veritate Romanæ Vniverſalis Eccleſiæ. 240
Hæreſes hucuſque exortæ, & exorituræ quibus Regulis cognoſci, & everti poſſint. 428. & ſeq.
Hæreſum, & Schiſmatum diffuſio, & modus, quo ſparſa ſunt, evidenter oſtendunt, ipſas nequaquam eſſe Apoſtolicam, & Veram Eccleſiam 463. & ſeq. Diffuſæ ſunt inſtar Mahometicæ Sectæ 464. Quàm inſanè ſua ſodalitia Hæretici appellent Reformatam Eccleſiam 465. Manifeſte derivantur ab antiquis Eccleſiæ Hoſtibus, quos ipſi recentiores Hæretici, & Schiſmatici damnant 477. & ſeq. Hoc neceſſariò contingit. 477
Hæreſis nulla, ex Hoſtium etiam Confeſſione, inventa primò fuit a Romanis Pontificibus, nec inventis ab aliis adhæſerunt. Quibuſdam errores in

ſano

ſano conatu tribuuntur. Sanctiſſimè alij permiſerunt inſeri Symbolo Particulam Filioque. 504. & ſeq.
Hæreſiarcharum improbitas eſt Notæ falſæ Doctrinæ ab ipſis traditæ. 106
Hæretici non cenſentur membra conjuncta Latinæ Eccleſiæ. 31. Appellant Novitates ea omnia, quæ à Sacris accepimus Traditionibus. 35. Et etiam plurima, quæ manifeſtè patent è Sacris Literis. 36. Et cum ea in Vetuſtis Patribus legunt, vocant Patrum Nævos illa, quæ in nobis appellant Novitates, & Hæreſes. ibid. Hæretici Recentiores damnati à Schiſmaticis. ibid. Hæreticorum fraudes. 114. Eorum Libri omni Diſtini Spiritus unctione deſtituuntur. 143. Hæretici penitus carent Prophetico Spiritu. 147. Miras in anguſtias conjecti ob Miracula à Catholicis impetrata. 152. Ipſi penitus orbati Dono Miraculorum. 155. Nullum habent extimum Signum intimę ſanctitatis. 181. & ſeq.
Hæreticorum inter ſe, & cum Schiſmaticis Pugnæ. 194. 203. & ſeq.
Hæreticis, & Schiſmaticis facultas non eſt cogendi Synodos Univerſales. 253.
Hæretici ipſi atteſtantur Pontificiam Auctoritatem. 392
Hæretici cur negent, Eccleſiam eſſe Viſibilem. 440. & ſeq. Illis, & Schiſmaticis, ut conformarentur Apoſtolis, neceſſaria erant Externa, vel Interna Miracula, quæ nullatenus jactare poſſunt. 467. Hæreticorum perditiſſimi mores. 471
Hæreticis, & Schiſmaticis manifeſtè deeſt ſucceſſio ab Apoſtolis 490. & ſeq. Hæretici Italiæ Reges, & Orientalium, ſæpe Hæreticorum Cæſarum Exarchi nunquam imminuerunt in Romanis Pontificibus vigorem Apoſtolici ſpiritus. 528
Hæreticis directa Parænaeſis. 545. & ſeq. Contra illos militant à fortiori, quę pugnant contra Schiſmaticos 545. & ſeq. Nullum ipſis Miraculum eſt 547. & ſeq.
Hebræi fatentur veritatem Romanę Eccleſiæ 241. Hebræis nullus eſt Pontifex. Iidem jactare nequeunt Antiquitatem, ac durationem diuturnam, aut ullam ex ea Præſcriptionem inducere. Noſtri ſunt Prophetæ, omneſque Veteres Patres. Non Adamo, Abrahamo, ac Davidi, ſed Caiphæ, & Annę Iudæi ſuccedunt. 588. & ſeq. Talmudicæ Doctrinæ abſurditas, & perverſitas Interpretum Sectas Hebræis Literas tenebris involventium. Nulla proinde ipſis eſt certa credendi Lex, ſapientia, & ſanctitas nulla. 591. & ſeq. Nullum Hebræis relinquitur ſignum Comprobationis Divinę, cum plurima illis olim fuerint, præſertim in Prophetis, & Miraculis. 593. Manifeſtiſſimum eſt, Hebræos plecti ob Chriſti Domini necem. 594. & ſeq. Falſitas eorum Sectæ arguitur etiam ex eo, quod nunc non prorumpant in Idololatriam. 595
Henrici Suſonis prodigioſus amor erga divinum nomen. 168
S. Hieronymi ſententia de Auctoritate Romanæ Eccleſiæ. 55. Idem ſervandam docet Romanam Fidem, & inſultat Novatoribus. 60
Hieroſolymitanorum Antiſtitum erga Romanum obſequia. 425. & ſeq. Incrementa honoris illi ſedi collata. 425.
Hieroſolymitani Patriarchæ Hæretici. 504
S. Hilarius Novatoribus inſultat. 59
Hiſtoriæ omnes, etiam ſcriptę ab Hoſtibus, ſuffragantur veritati Romanę Eccleſiæ. 319
Hiſtoriarum vis. 326. Hoſtium Libri. 327. Scripta Sanctorum. 328. Conciliorum Auctoritas. 329
Hiſtorici Recentioris Inſcitia, aggreſſi Narrationem Schiſmatis à Photio. 61. Ejuſdem futilis temeritas contra exercitium Pontificiæ Auctoritatis. 394
Homerus quo fortè conſilio Deos ludibrio traduxerit. 635
Hominum Hoſtes Athei, ac Theiſtæ ſont. 554
Honeſtatis lumen eſſe nequit Atheiſ, ac Theiſtis. 553
Honorii Pontificis Maximi, Apoſtolicę Fidei retinentiſſimi, nomen inſertum ab Hæreticis fuiſſe iis, quos ſexta Synodus condemnavit, multipliciter demonſtra-

monſtratur. 510. & ſeq. Ejus laudes pag. 516. & ſeq.
Hoſius Legatus Pontificius præcipit Cōcilio Sardicendi, & ſcripſit Fidei Formulam in Niceno. 359

I.

JAcobi II. Magnæ Britanniæ Regis Præconium. 229. 248
Iaponum Martyrum gloria. 166
Iconoclaſtæ negant, Spiritum Sanctum procedere a Filio. 77. Eorum Tyrannis barbara. 107
Idololatræ v. Ethnici.
Ignorantia in quibuſdam matet Atheiſmi. 555. & ſeq.
Illuſtratio ſuaſiva Spiritus Sancti quid ſit. 9. Ejus diſcrimen ab Interno ſingulorum afflatu, jactato ab Hæreticis. pag. 211. 212
Imperatorum electio Romanę Eccleſię Auctoritatem oſtendit. 322. Imperatores, & alii ſeculi Principes regere nequeunt Eccleſiam Dei, ac præeſſe Conciliis. 377
Imperii Occidentalis ab Orientali diviſio non fuit Schiſmatis origo. 78
Impuritas Doctrinę eſt argumentum falſitatis. 120. Voluptatis explendę illicio amplificantur omnes Hæreſes, etiā receńtiſſimę. 120. 121. Impuritas Mahometicæ Doctrinæ. 604
Infallibilem eſſe Romanum Pontificem in declaranda Fide multipliciter aſſeritur, & præſumitur a Concilio Niceno, & Sardicenſi. 364. & ſeq.
Infallibilitas Pontificia. 201
Inferi ipſi atteſtantur Romanę Eccleſię veritatem. 323. Inferorum tenor eſt manifeſtum argumentum Veritatis Fidei. 451
Infinitis alia indigentibus cauſis tribuentium hanc rerum Vniverſitatem dementia. 565. & ſeq.
Infortunia quando nam cenſeri debeant argumenta Adverſæ Divinitatis. 171. v. Supplicia.
S. Innocentius I. damnat Hæreſim Pelagii. 32
Inſania Infidelium manifeſta. 13. Inſani appellantur a S. Ioanne Chryſoſtomo Infideles omnes. 460. & ſeq.
S. Ioannes Apoſtolus docet, Novitatem eſſe manifeſtam Hæreſis Notam. 58
S. Ioannes I. Pontifex comprimit audaciam Epiphanij Conſtantinopolitani. pag. 284
S. Ioannis Chryſoſtomi ſententia de inſania Infidelium. 11. Item appellat a Conciliis ad S. Innocentium I. Pontificem. 43. Affirmat, ab ipſo regendas Eccleſias etiam Orientales, irritanda decreta etiam Synodalia, & ſi opus ſit ejiciendos a Cœtu Fidelium Orientis Epiſcopos, & Patriarchas. 44. Spernit Canonem de Primatu Sedis Conſtantinopolitanę poſt Romanam. 71. Ejus argumenta ad oſtendendum multiplex Miraculum in modo Propagationis Apoſtolicę Romanę Doctrinę. 455. & ſeq. Idem affirmat, Inſanos penitus eſſe, qui eorum vi non percelluntur. 460. & ſeq.
Ioannes Veccus doctiſſimus, & Catholicus Patriarcha. 85
Ioannes Palæologus ſupplex venit ad Vrbanum Quintum. 85
Ioannes Palęologus alter accedit ad Florentinum Concilium, eique ſubſcribit. 86
Ioannis Cantacuzeni Defenſoris Gregorii Palamæ ſupplicium. 176
Ioſeph Patriarcha Conſtantinopolis relinquit Syngrapham ſuę Fidei in Concilio Florentino. 86. Item OEcumenicū ſe nuncupans excuſatur, & affertur ejus Confeſſio Fidei Catholicę. 296
Ioſephi Velamini Præconium. 246
S. Irenæus dicit, omnes Eccleſias ad Romanam congregandas eſſe propter ejus Potentiore Principalitatem. 39. Item docet Quæſtiones ſolvendas eſſe confugiendo ad Vetuſtas Eccleſias. 51
Iudæi v. Hebræi.
Iudicem eſſe Deum contra Theiſtas manifeſte demonſtratur. 572. & ſeq.
S. Iulius Pontifex defendit, & ſedi Alexandrinæ reſtituit S. Athanaſiū. 41.
Iuſtinianus ſenior appellat Pontificem Romanum, Epiſcoporum Caput. 34. Ejuſdem Teſtimonium de Veritate Romanę Eccleſię. 320

L.

LAteranenſe Concilium. 83.
Latinæ Græcæque Eccleſiæ nominibus

nibus quid ſubſit, cũ Vera Chriſti Eccleſia Vna tantùm ſit. 30. Latini Sapientia, & ſanctitate eximii 138. & ſeq. Latinorum Patrum ſententia de ſuprema Romani Pontificis Auctoritate. 385

Legumlatores ſimulabant commercium cum Superis. 118. Leges Civiles ſuffragantur Veritati Romanę Eccleſię. 320. Et Canonicę. 321

S. Leo Magnus exercet Poteſtatem ſuper Vniverſam Eccleſiam. 282

S. Leo IX. Pontifex Maximus frangit audaciam Cerularii. 294

Leonis Allatii laus. 47

Leo Philoſophus expulſor Photii feliciſſimus Imperator. 175

Liberii Summi Pontificis Conſtantia, aliarumque Virtutũ complexio. 507. & ſeq. Qualis fuerit ejus lapſus. 508. Neque privatim expreſsè cõſenſit Hæreſi, ſed ſolùm interpretativè in Theatro Mortalium. 508. & ſeq. Ideoque nihil ex eo poteſt objectari Apoſtolicę Cathedrę integritati. 507. & ſeq.

Linguarum Donum præclariſſimum in S. Franciſco Xaverio. 156

Loquutio Divina non eſt ſolùm Conditio, ſed etiam partiale Motivum Fidei Procreatum aliquid includit. 8. 9

Luciani probra. 557

Lucretii dedecora. 558

Lugdunenſe Concilium. 84

Lutheri ſcelera ſunt argumentum falſę doctrinę. 106. Lutherus, & Calvinus, damnati a Schiſmaticis. 205. Lutherus fatetur veritatem Romanę Eccleſię. 245. Lutherus, & Illyricus abuſi verbis Concilii Africani contunduntur. 316. Luthero, & Calvino fuiſſe plurimos Sectatores nullũ prodigium eſt. 453. Lutherus narrat ſuaſum ſibi a Dæmone fuiſſe, ut Miſſam miſſam faceret. 547. In miras anguſtias à Dæmone conjicitur. 548

Luxuria Superbiæ Pœna. 112

M.

MAcedoniani Pontificio Iudicio acquieturos ſe profitentur. 398

Magdeburgenſium Hæreticorum inſania, tribuentium Phocę incrementũ Pontificię Auctoritatis. 54

Mahometis nequitia coarguit ſuę Sectę falſitatem. 106. Mahometicę Doctrinę Impuritas, ideoque Falſitas. 120. Mahometes fatetur veritatem Romanę Eccleſię. 243. Mahometem traxiſſe innumeros ad ſua vexilla nullum prodigium eſt. 453. Mahometicę Sectę inſtar, propagata ſunt Schiſmata, & Hæreſes. 464. & ſeq.

Mahometes, v. Mahometani.

Mahometanę Sectę Novitas, & Iniquitas manifeſta ſunt Indicia Falſitatis, & Præſcriptionem omnem excludunt. 598. Ignorantia, & Nequitia Inſtitutoris. 600. Fraudes, Imposturę, Violentię, qua uſus Mahometes fuit, manifeſtè repugnant veię Doctrinę Sanctitati. 601. Incredibile penitus eſt, deſtitutum a Deo fuiſſe tenebris conſepultum Genus Humanum uſque ad Mahometis adventum. 603. Mahometicę Doctrinę Impuritas 604. Ridiculę Mahometis nugę, abſurdiſſimę fabulę. 605. Contradictiones, quibus Alcorani Dogmata manifeſtę Falſitatis coarguuntur. 607. Nulla Mahometanis eſt ſanctitas vitę. 608. Divinarum nulla Doctrina rerũ Turcis eſt. Philoſophus nullus aut aliis literis excultus Auctor fidem Mahometo præſtitit. 610. Averrois dictum de ſua, & Noſtra Lege. Manifeſta noſtrę Credibilitas, & Credenditas. 611. Inſanum Mahometis præceptum de ſua Lege non exploranda 614. Propheticum nullum Mahometi, aut ejus Aſſeclis, lumen fuit: quod mirificè Chriſtum Dominum, ejuſque Sectatores illuſtrat. 616 Quæ ſua Prodigia Mahometes jactabat, nugę erant, vel a pueris comperiendę. Apertè falſus eſt, negatam ſibi fuiſſe virtutem Miracula perpetrandi. 618. Mahometani deſtituti omnibus Signis Divinis fidere nequeunt Numero Sociorum in ſua Inſania. 620. Blandiri ſibi Turcę nequeunt ob Humanam, quaſi Divinitus indultam ſibi, Felicitatem, quã etiam ipſos carere manifeſtè conficitur. 622. Confeſſio ipſius Mahometis, quod Chriſtus ſit Deus: ex qua, & ex conſtanti ejuſdem aſſertione,

quod

quod Chriſtus ſit Maximus Propheta, Turcæ penitus evertuntur. 624. Ex eo quod Mahometes, fateatur, etiam poſt ſuum adventum a Chriſtianis obtineri poſſe Immortalem ſalutem, evidentiſſimè oſtenditur, Chriſti Religionem ab omnibus non inſanis eligendam eſſe 626. Nemo Mahometis Legi nomen dedit ſub exitum vitę, aut impulſus amore Regni immortalis. 627. Cum ſummopere ardua, & pugnans propenſioni corruptę Naturę ſit Chriſti Domini Fides, patet, illam eſſe divinam ex eo, quod adeo latè propagata fuerit. Contrarium autem conſtat de Mahometica Lege, omnia vitiatæ Naturæ indulgente. pag. 629

S. Marcellini lapſus nihil atterit Decus Pontificum Maximorum. 520

Marci Epheſii vecordia. 89. Ejus nequitia. 113. Idem Cauſa ruinę Græcorum 114. Marco Epheſio irrogata ſupplicia. 176

Martyres Veruſti in Romana Eccleſia. 164. Veros inter, ac Falſos aperta Diſcrimina. ibid. Nulli ſunt Hoſtibus, innumeri nobis Martyres, etiam poſt exorta Schiſmata, & Hæreſes. 165. Martyrum Iaponum mira Conſtantia. 166. Eos, alioſque deſtitutos fuiſſe vera Dei cognitione incredibile penitus eſt. 167

Martyres amoris Divini. 167. Eos fraudatos fuiſſe vera Dei cognitione credi non poteſt. 170

Materiales Schiſmatici qui ſint, & utrum ſalvari poſſint. 29

Michael Paleologus Catholicus Cęſar. 85

Michaelis III. Photii Defenſoris Pœna. pag. 175

Michaelis Cerularii rebellio. 81. Ejus Tyrannis, & arrogantia. 111. V. Cerularius.

Miracula evertunt Sectas omnes. 103. Miraculorum Donum in Romana Eccleſia 150. Miracula quomodo Romę expendantur. 151. Cur plura contigerint ad alliciendos Ethnicos ad Chriſtianam, quàm ad revocandos Hæreticos, & Schiſmaticos ad Catholicam Fidem, 152. Perpetrata ad Schiſmaticos redarguendos. ibid. Dilemma D. Auguſtini de Fide propagata Miraculis, vel ſine Miraculis. 153. Miracula vera inter, & falſa manifeſtum diſcrimen. 156

Miraculum manifeſtum in Fidei Propagatione ex ipſius Natura, & Arduitate. 448. & ſeq. Miraculum idem contra omnes Sectas augetur ex Modo Propagationis Apoſtolicę Romanę Doctrinę. 454. & ſeq. Evidentia Divinę virtutis in Miraculis Internis, aut Externis. 459. & ſeq. Miracula nunc neceſſaria non ſunt ex D. Thomæ ſententia. 462

Miracula Interna, vel Externa, quę nullatenus jactare poſſunt, neceſſaria erant Schiſmaticis, & Hæreticis 467. Nullū ab iis patratum 547. Lutherus pugnā cū Dæmone aggreſſus in magnas ab illo anguſtias conjicitur. 548. Innumerā etiam nunc Miracula confirmant Romanæ Fidei veritatem. 548. & ſeq.

Miracula plurima omnium oculis nunc etiam ſubjici, evidenter oſtenditur. 584. & ſeq. Præterita miracula multò clarius fulgent in conſervata Chriſti Eccleſia, quàm Imperii Romani à Cæſare Fundatio, & quæcumque alia Profana manifeſtè conſtent ex Hiſtoria, ac Traditione. 587

Miracula nulla ſunt Hebræis poſt Chriſti Domini Adventum, quæ maxima olim fuerunt. 593. & ſeq.

Miracula, quæ jactabat Mahometes, erant Nugæ, vel a Pueris comperiendæ. Apertè faſſus eſt, negatam ſibi fuiſſe virtutem Miracula perpetrandi. 618

Miraculum nullum fieri poteſt a fabuloſis Diis. 640. Ab iis, quæ narrantur, non ſuperati Tartari vires, manifeſtè demonſtratur. 641

Modus Propagationis Apoſtolicæ Romanæ Doctrinæ manifeſtè mirabilis. pag. 454. & ſeq.

Monarchię Pontificię Neceſſitas Sapientibus omnibus manifeſta. 372. & ſeq.

Monothelitæ Epiſcopi a Sexta Synodo appellant ad Romanum Pontificem. pag. 424

Monti, & Urbi in Montis vertice conſtitutæ Viſibilis Eccleſia comparatur. 12

Motiva Fidei intrinſeca, & extrinſeca. pag. 9. 10
Mundi Opificium tribui Atomis nequit. 559. & ſeq.

N.

NAturæ omnia tribuentium, excluſo illius Auctore Intellectu prædito, manifeſta dementia. 568. & ſeq.
Neſtorius Hæreſiarcha omnium primus diſertè negat, S. Spiritum procedere a Filio. 71. Ejus Crimina 106. Eidem inflicta ſupplicia. 173. Neſtorii ad S. Cœleſtinum Pontificem Confugium. pag. 398
Nicænum Concilium multipliciter declarat, aut præſumit, Romanum Pontificem præſtare Vniverſalibus Synodis. 358 & ſeq Et eſſe Infallibilem in explicanda Fide. 364
Nicænus Canon nullatenus coarctat Pontificium Regimen ad Eccleſias Occidentales, aut ſuburbanas. 368. & ſeq.
Nicolai V. Prophetia de Excidio Conſtantinopolis. 179
Nili Theſſalonicenſis in Apoſtolicam Sedem ſtolidè latrantis vecordia. 517
Novatores peſſundati. v. Præſcriptio.
Novitas nulla irrepſit in Romanam Eccleſiam, 35
Numero ſociorum in Inſania fidere Mahometani nequeunt. 620

O.

OCcidentalis pars Chriſtiani Orbis oſtendit experimenta innumera Pontificiæ Auctoritatis. 390. & ſeq.
OEcumenici titulus fruſtra petitus a Patriarchis Conſtantinopolitanis, negatus illis fuit a Romanis Pontificibus. 46. Iniquè uſurpatus. 82. OEcumenicum dici Patriarcham Conſtantinopolitanum, portentum eſt. 267. & ſeq.
S. Optatus damnat Novatores. 59
Origenis Sententia de Viſibili Eccleſia. 11. Ejus lapſus unde ortus. 209
Orientalium Epiſcoporum cauſæ Romam afferebantur etiam primis Eccleſiæ temporibus 39
Orientales omnes Patriarchæ bis tantùm, & breuiſſimè, per Annos Mille Quadringentos receſſerūt ab obſequio præſtito Romanis Pontificibus. 48
Orientalium Hæreſum ab Occidentalibus diſcrimen. 121
Orientalis Pars Chriſtiani Orbis oſtendit Palmaria experimenta Pontificia Auctoritatis. 394. & ſeq.

P

PAlamæ Inſania. 122
Pallii non petendi a Conſtantinopolitano Patriarcha Privilegium Anno 934. Tyrannicè extortum. 80
Papiſſæ Fabula unde orta. 72
Paſchati celebrando præſcripta dies non fuit cauſa diſſidii inter Latinos, & Græcos. 62
Patriarcharum Orientalium nullus alteri verè ſubeſt. 31. Multi Præſules Græci putant ſe exemptos a Patriarcharum poteſtate.
Patriarcha Occidentis, Romæ Epiſcopus, & Summus Pontifex, idem ſunt. pag. 355
Patriarchales Eccleſiæ a S. Petro fundatæ. 346
Patriarchæ ſoli regere nequeunt Eccleſiam Dei. 377
Patriarchalis nulla Orientis Sedes cenſeri poteſt Apoſtolica, cum omnes inſederint plurimi Hæreſum Inventores, aut Aſſeclæ. 497. & ſeq.
S. Pauli ſententia de Eccleſiæ Adſpectabilitate 12 Ab eodem laudata Romanorum Fides. 34. S. Paulus quomodo S. Petri factum improbaverit, & cur aliquando dexter eidem pingatur. pag. 343. & ſeq.
S. Pauli argumentum de mirabili Propagatione Romanæ Fidei. 454. Illo nullatenus uti poſſunt Schiſmatici, & Hæretici. 463. & ſeq.
Pentecoſtes diebus capta Conſtantinopolis in Pœnam negatæ Proceſſionis divini Spiritus a Filio. 187
S. Petrus conſtituit Patriarchales Sedes Alexandriæ, & Antiochiæ. 38. Plurimos Græcis urbibus Epiſcopos præfecit. 38
S. Petri jus ad regendam Vniverſalem Eccleſiam multipliciter demonſtratur. 330. & ſeq. Ejus multiplex Prærogativa, oſtendens Præfecturam in Vniverſam Eccleſiam. 337. & ſeq. diſſlantur nebulæ ab Hoſtibus Apoſtolorum

Digitized by Google

Principis excitatæ. 343. & ſeq.

S. Petrus multipliciter exercet Pontificium jus in Oriente. 345. & ſeq. & in Occidente. 348 & ſeq.

S. Petrum obiiſſe in Romano Epiſcopatu non niſi ab inſanis negari poteſt. Idipſum multipliciter demonſtratur. 444. & ſeq.

S. Petri Cathedræ conſecrati ſolennes dies a primis Eccleſię temporibus 447

Petri Arcudii laus. 47

Petri Vrraca ex Ordine S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum prodigioſa ſupplicia ſponte ſuſcepti. pag. 166

Philippopolis Conciliabulum oſtendit neceſſitatem præſtantiæ Romani Pontificis ſupra Concilia. 362

Phocas infringit audaciam Patriarcharum Conſtantinopolis, bicipitem Eccleſiam effingere molientium. 34

Photius oſtendit ſummum obſequium erga Romanum Pontificem. 35. Damnavit ea, quæ Sancta, & Vetuſtiſſima erant in Eccleſia. 37. Idem Eccleſiæ Romanæ ſubjectum ſe profitetur. 50. Ejus Rebellio 78. Ejuſdem erga Romanam Sedem obſequia. 79. Photii Anteſignani Schiſmatis crimina. 108. Photio illata ſupplicia. 173. Idem fatetur veritatem Romanæ Eccleſię. 244 Photii teſtimonium de Auctoritate tributa Concilio Nicæno a S. Silveſtro. 319. Ejuſdem ad Romanam Cathedram Confugia. 399

B. Pius V. prohibet Græcis acceſſum ad Ritum Latinum, & Latinis ad Græcum. 30

Pœnæ v. ſupplicia.

S. Polycarpus confugit ad Romanam Eccleſiam. 39

Pontifices Romani ſemper verum Ius exercuerunt in Vniverſa Eccleſia. 33. Pontifex Romanus appellatur Epiſcoporum Caput a Concilio Chalcedonenſi, & a Iuſtiniano Imperatore. 34. Pontificibus Romanis tributæ a Conciliis, & Cæſaribus Appellationes ſolùm fatentur Ius ipſis a Chriſto conceſſum, ſed ipſæ non ſunt hujuſce Iuris origines 35

Pontifices Romani, Linus, Cletus, aliique antiquiſſimi plurima præſcribunt Eccleſiis etiam Orientalibus. 38 Pontifices Romani ſolvebant dubia circa Fidem orta in Græcia, etiam primis Eccleſiæ temporibus, quibus confluere ad Synodos, regnantibus Ethnicis, prohibebantur. 39. Et damnabant Hæreſes omnes. ibid. Id præſtiterunt etiá conſequentibus ſeculis. ibid. Sunt Infallibiles Iudices Fidei, teſte S. Gregorio Nazianzeno. 43. Pontificii Apocriſarii Conſtantinopoli excubabant Religionis Integritati. 44 Vicarii Romani Pontificis in Oriente ſacris rebus præerant. ibid. Appellabant ad Summos Pontifices Græci, etiam a ſententiis Patriarchalibus, & Synodalibus. ibid. Ad ipſos mittebant ſuæ Fidei Confeſſionem Patriarchę Orientales, & petebant ab iiſdem Confirmationem, 45. & excipiebant obſequentiſſimè Pallium Iuriſdictionis Signum. ibid. Viguit hæc conſuetudo uſque ad Annum. 934. quo extortum eſt per vim, & nefas Privilegium, illud in poſterum non petendi. ibidem. Pontificis Romani Communioni omnium primi ſe conſultò ſubtrahunt Semiariani. 67. Ejus Auctoritas confirmata a Conſtantinopolitano Concilio. 70

Pontificum Romanorum Sanctitas Sedes nulla a pluribus Sanctis Præſulibus illuſtrata fuit, quàm Romana. 127. & ſeq. Pontificibus quibuſdam aſperſæ labes Romanæ Sanctitatem Eccleſiæ confirmant. 129. Pontificibus Romanis Sapientiſſimo Divinæ Providentiæ conſilio Divinæ, & humanus Provinciarum Dominatus fuit attributus 131. Pontificia Charitas in omnes populos, ac præſertim Græcos. 132

Pontifices Romani Prophetico ſpiritu inclyti, etiam poſt inſertam particulam Filioque. 148. Miraculis clari, etiam poſt illius particulæ Adiectionem. 151

Pontifici Romani, & Eccleſiæ negantes Infallibilitatem Sectarii eam vindicát ſibi. 213

Pontifex Romanus manifeſto jure dicitur Epiſcopus Eccleſiæ Vniverſalis. 255. & ſeq.

Digitized by Google

Pontifici Romano attributa nomina a Conciliis, & Sanctis Patribus. 264

Pontificis Romani Præſtantia ſuper Univerſam Eccleſiam, atque ipſa Generalia Concilia, multipliciter declarata a Synodo Chalcedonenſi. 276. Et a Nicæna, ac Sardicenſi. 358. & ſeq. Et ejus Infallibilitas. 364. & ſeq. Illi ſubjectam ſe multipliciter declaravit Synodus Epheſina. 288

Pontifices heroica virtute præſtantes Eccleſię tributi cū arrogantius intumuerunt Patriarchę Conſtantinopolitani. pag. 298

Pontificis Maximi Auctoritas quomodo expendatur, dum agitur de Communibus Veræ Fidei ſignis. 331

Pontificem Romanum ſuccedere S. Petro in Regimine Univerſalis Eccleſiæ multipliciter demonſtratur ex Concilijs. 354. Ex vi, & Neceſſitate ſucceſſionis. 356. Ex Concilio Nicæno, & Sardicenſi, declarante illius Præſtantiam ſupra Concilia 358. & ſeq. & Infallibilitatem 364. & ſeq. Idipſum oſtendit Neceſſitas Supremæ in Sacris Præfecturæ, ac Magiſterij in uno tantùm exiſtentis ſapientibus omnibus manifeſta. 372. & ſeq. Confirmant hoc Teſtes, quorum auctoritatem eludere, niſi ſibi ipſis contradicant, nequeunt Græci, præſertim Pontifices, quos inter Sanctos venerantur 383. Patet ex innumeris experimentis Pontificiæ Poteſtatis in Occidente. 390. Et non paucioribus in Oriente, præſertim ex Auctoritate exercita ſupra Concilia ibidem celebrata, & ex Fidei Declarationibus. 394. & ſeq. & ex Hæreſum, & Schiſmatis Auctorum ad Romanam Cathedram Confugiis. 398. Et ex innumeris Experimentis Obedientiæ præſtitæ Romanis Pontificibus a Patriarchis Conſtantinopolitanis. 399 & ſeq. Et ab Alexandrinis. 412 & ſeq. Et ab Antiochenis. 419. & ſeq. Et a Hieroſolymitanis. 425. & ſeq.

Pontificibus Romanis aſperſæ labes, & quorumdam ex ipſis crimina, confirmant veritatem Apoſtolicæ Doctrinæ. pag. 474

Pontificum Romanorum perpetua Succeſſio in Apoſtolico Throno, & huius ſucceſſionis vis. 487. & ſeq.

Pontificum Romanorum Spiritus Apoſtolicus ad Apoſtolicam Fidem tuendam. 496. Deficiens nunquam Apoſtolica Fides in Romanis Pontificibus. 504. & ſeq. Nec in Liberio. 507. & ſeq. Nec in Honorio. 510. & ſeq.

Pontificum Maximorum ardor in aſſerenda Fide contra Ethnicos. 518. & ſeq. Immutatus Divinitus quorumdam Pontificum animus, ut Vigilii. 523. & ſeq. Apoſtolicus vigor Præſulum Romanorum contra Hæreticos, & Saracenos. 528. Mirifica Conſtantia fulgens in Pontificibus Græcis, aut Conſtantinopolim delatis. 529. & ſeq. Apoſtolica Fides a Romanis Pontificibus per Orbem terræ diffuſa. 533. & ſeq. Modus, quo nunc etiam eadem Fides Romanorum Pontificum ſtudio propagatur, evidenter oſtendit, eandem eſſe Apoſtolicam. 536

Præambula Fidei 4. Explicantur Exemplo Regis, & Iudicis. 4. 5

Præſcriptionis Firmamentum validiſſimum in Romana Eccleſia 51. & ſeq. Præſcribere nequeunt Schiſmatici, & Hæretici. 93. 94 Nec Hebræi. 588. & ſeq. Nec Mahometani. 598. & ſeq. Nec Ethnici. 630

Propagatio Fidei Catholicæ evidenter Mirabilis ex ipſius Natura, & Arduitate. 448. & ſeq. Miraculum idem contra omnes ſectas augetur ex Modo Propagationis Apoſtolicæ Romanæ Doctrinæ 454. & ſeq. Dilemma D. Auguſtini de Fide propagata Miraculis, vel ſine Miraculis. 459. & ſeq.

Propagatio Schiſmatis, & Hæreſum & Modus, quo ſparſæ ſunt, evidenter oſtendunt, ipſas nequaquam eſſe Apoſtolicam, & Veram Eccleſiam. 463. & ſeq.

Propagatio Chriſtianæ Fidei ſummopere Arduę oſtendit illam eſſe Divinam: Oppoſitum patet de Mahometana Secta. 629

Prophetię de Romana Eccleſia. 145. Propheticum lumen perpetuum in Romana Eccleſia. 147. Prophetiċę Prædictio-

nes

nes de Conſtantinopolis excidio. 179.
Prophetiæ de Chriſto Domino. 189
Prophetæ nulli ſunt Hebræis poſt Chriſti Domini Adventum. 593
Propheticum nullum Mahometi, aut ejus Aſſeclis Lumen fuit: quod mirificè Chriſtum Dominum, ejuſque Sectatores illuſtrat. 616
Propheticum Lumen nullū Ethnicis eſt. pag. 640
Providentia Divina. 171
Providum eſſe Deum contra Theiſtas, evidenter oſtenditur. 572
Prudentia evidens credentium. 13
Purgatorium exiſtere præſumunt Schiſmatici. 35. Illud omnium primus negavit Aerius Hæreticus. 481

R.

RAtionis Lumen eſſe nequit Atheis, ac Theiſtis. 553
Reformatam Eccleſiam Hæretici nequeunt appellare ſuos Cœtus, niſi per Antiphraſim. 465
Regulę plurimę ſtatuuntur ad omnes huiuſque exortas, & exorituras Hæreſes labefactandas. 428. & ſeq.
Regum Electio Romanæ Eccleſiæ vindicat Auctoritatem. 322
Religionem mutantium ad arbitrium Seculi Magiſtratuum inſania. 214. & ſeq.
Reſolutio Fidei in ſua Principia quid ſit, & quomodo fiat, abſque ullo Circulo. 9. Duplex actus, qui in ea exercetur, quorum unus tantùm eſt Fidei ſupernaturalis. 10
Revelatio Divina à quibuſdam Egregijs Theologis creditur evidens. 13. 612
Revelatio Divina. v. Loquutio.
Ricardi ſententia de Eccleſiæ evidentia. pag. 11
Rituum diverſitas permiſſa non obſtat Unitati Fidei. 30
Romæ pietas eximia. 127. Romam cur venerit S. Petrus. 350. Inſania negantium D. Petrum obiiſſe in Romano Epiſcopatu. 351. & ſeq.
Romanorum Pontificum jus augeri non potuit poſt diſceſſum Conſtantini ab Urbe. 33
Romanorum Fides à D. Paulo laudata. pag. 34
Romanos Pontifices ſummo cultu proſequitur Photius Vexillifer Schiſmaticorum. 35. Romani Pontificis munus eſt indicere Concilia. 40. Ipſius Legati Conciliis præſunt iiſque primi ſubſcribunt. 40. Romani Pontifices Concilia confirmant. 41. Et aliqua rejecerunt, ut Ariminenſe, & Epheſinum ſecundum. ibid. Romanus Pontifex mirificè cultus ab Epheſino Concilio. 72. & aliis 73. & ſeq.
Romano in Epiſcopatu obiiſſe S. Petrum demonſtratur. 444. & ſeq.
Romanos converſos fuiſſe ad Fidem, manifeſtum prodigium eſt. 448
Romana Eccleſia. v. Eccleſia Romana.
Romani Pontifices. v. Pontifices Romani.
S. Roſæ à S. Maria voluntaria ſupplicia, & cæleſtia Dona illi collata. pag. 168

S.

SAcerdotes ſinguli ſoli regere nequeūt Eccleſiam Dei. 74
Sanctitas Eccleſię Occulta, & Manifeſta. 102. Secunda evertit ſectes omnes. pag. 103
Sanctitas Fundatorum Romanæ Eccleſiæ. 104
Sanctitas Romanæ Doctrinæ. 119
Sanctitas frequentiſſima in filiis Romanæ Eccleſiæ. 123
Sanctorum Cauſa quàm ſedulò expendatur, antequam iidem Sacris faſtis inſerantur. 124
Sanctitatis gloria frequentiſſima in Romana Eccleſia. 126
Sanctitas Pontificum Romanorum. 127
Sanctitas, & Sapientia Catholicorum. pag. 136
Sanctitas inteſtina Eccleſiæ à Chriſto Domino, Fide, Sacramentis, arguitur ab externa Sanctimonia. 181. & ſeq.
Sanctitas, & Sapientia nulla eſt Atheis ac Theiſtis. 553. 557. 558. & Hebræis. 591. & Mahometo 600. & Mahometanis. 608. 610. & Ethnicis. 637. & ſeq. Sanctitati Veræ Doctrinæ manifeſtè repugnant Fraudes, Impoſturæ, Violentia, quâ uſus Mahometes fuit. pag. 601
Sanctitas nulla eſt, aut eſſe poteſt Ethnicis. 638.

Santabarenus Magus Achates Photii. pag. 110. 175.

Sapientia, & Veracitas Divina Dei auctoritatem conſtituunt. 6

Sapientia & Sanctitas Catholicorum. 136. Sapientię conſortium, & Sanctitatis frequens in Profeſſoribus Religionis probat ejuſdem Religionis veritatem. 137. Sapientiâ præ ceteris inclyta Latinorum, & Græcorum Nomina. 138. & ſeq.

Sapientia & Sanctitas nulla eſt Atheis ac Theiſtis. 557. Et Hebræis. 591. & Mahometo. 600. & eius Aſſeclis. 608. 610. & Ethnicis. 637. & ſeq.

Sapiens nullus acquievit Atheis, ac Theiſtis. 557. Et Mahometis doctrinę. 610. aut Ethnicorum. 637

Sardicenſe Concilium multipliciter declarat, aut pręſumit, Romanum Pontificem pręſtare Generalibus Synodis. 358. & ſeq. Et eſſe Infallibilem in decernenda Fide. 364. & ſeq.

Schiſmatis prima Semina. 61. Schiſmatis origo non fuit diviſio Imperii Occidentalis ab Orientali. 78. Schiſmatis Cauſę probroſę. 92. Novitas, ideoque falſitas. 93., & nulla Præſcriptio. 93. 94. Schiſmatis Auctorum nequitia 106. & ſeq. Schiſmatis Cauſę, & Adjumenta, contraria Sanctitati, ideoque Veritati Doctrinę. 116. Schiſmatis Orientalis Initium comparatum cum Initio Schiſmatis Anglicani. 117

Schiſma extinxit gloriam Sanctitatis prius in Græcia frequentiſſimam. 124. Schiſma exoriturum, & Deo probandum, nulla prędixerunt Oracula Prophetarum. 145

Schiſma ſequitur Pœna major, quàm ipſas Vetuſtas Hæreſes. 178

Schiſmata uſurpare nequeunt nomen Catholicę Eccleſię. 203. & ſeq.

Schiſmatum Auctores non niſi Inſani conſectantur. 209. Schiſmatum, & Hæreſum duces majori in pretio habentium, quàm Univerſam Eccleſiam, Inſania. 209

Schiſmatum, & Hæreſum Recens Origo manifeſtè demonſtrat, ipſas non eſſe Univerſalem, ideoque veram, nunquã à Chriſto deſerendam, Eccleſiam. 232

Schiſmata, & Hæreſes evidenter carent Univerſalitate Diffuſionis quoad Loca. 234. Neque in futurum aliquando ſpargi poſſunt. 237

Schiſmatis Confeſſio de veritate Romanę Univerſalis Eccleſię. 240

Schiſmata ipſa inter Latinos aſſerunt Romanæ Eccleſiæ Veritatem. 324

Schiſmatum, & Hęreſum diffuſio, & modus, quo ſparſæ ſunt evidenter, oſtendunt, ipſas nequaquam eſſe Apòſtolicam, & Veram Eccleſiam ex D. Pauli argumento. 463. & ſeq. Propagatæ ſunt inſtar Mahometicæ Sectæ. 464

Schiſmata derivari ab antiquis Hæreticis, quos ipſi Schiſmatici damnant, manifeſtè demonſtratur. 477. & ſeq. Hoc neceſſariò contigit. 477

Schiſmatici materiales qui ſint, & utrum ſalvari poſſint. 29

Shiſmaticorum cœtus multiplex eſt, quia multiplex illis eſt caput. 31

Schiſmaticorum Præſulum congreſſus damnat inſanias Lutheri, & Calvini. pag. 36

Schiſmatici damnati à S. Optato Milevitano. 59. & à S. Cypriano. 59. Illis, & Hæreticis inſultant Tertullianus, S. Auguſtinus, S. Optatus, & S. Hilarius. 59. Schiſmaticorum inconſtantia. 81. Schiſmaticorum inteſtinæ pugnæ. 95. & ſeq. Non prohibent à ſua communione manifeſtè Hæreticos, ut Neſtorianos. 98. Schiſmatici neceſſariò ſemper certaturi ſunt. 100. Schiſmaticorum fraudes. 114. Schiſmatis Orientalis initium comparatum cum initio Anglicani. 117. Schiſmaticorum opiniones abſurdæ, nec inter ſe nexæ 121. & ſeq. Schiſmatici jactare nequeunt preces, atque jejunia. 125. Schiſmatici vix quidquam e Sacra Theologia pertractant prӕter paucos articulos controverſos. 142. 143. Ipſorum Libri nullam habent Divini Spiritus unctionem. 143. & ſeq.

Schiſmatici penitus carent prophetico ſpiritu. 147. Et dono miraculorum 151. & ſeq. Nihil evincunt ex cœleſti flamma, quæ olim corripuiſſe fertur cereas Faces in Sacello Divini Sepulchri.

chri. 158. Nec quidquam ipſis ſuffragantur vires Excommunicationis in Oriente latæ. 159. & ſeq. Nullos Martyres habent. 165

Schiſmaticis genera im illata ſupplicia. 177. Shiſmatici nullum habent extinum ſignum intimæ ſanctitatis. 181. & ſeq. Schiſmaticorum inter ſe pugnæ 203. & ſeq. Schiſmaticis, & Hæreticis facultas non eſt cogendi Synodos univerſales. 251

Schiſmaticis, & Hæreticis, ut conformarentur Apoſtolis, neceſſaria erant externa, vel interna Miracula, quæ nullatenus jactare poſſunt. 467. Schiſmatici ab Apoſtolica perfectione degenerantes. 472. Schiſmaticis,& Hæreticis manifeſtè deeſt ſucceſſio ab Apoſtolis. 490. & ſeq. Schiſmatici ſolum Moſchos ad Chriſti Religionem vocarunt ab Idololatria. 533

Schiſmaticis directa Paræneſis. 542. Eorum infelicitas. 542. Quid eos in errore detineat. 543

Scriptura Sacra non prius, quàm Vetuſta Eccleſia, conſulenda eſt. 53. Qui ſint Scripturæ Libri, & quomodo explicandi, decernit Eccleſia. 54. Ex iis malè intellectis oriuntur Hæreſes. 208. Scriptura Sacra perverſa eſt Hebræis à Talmudicis fabulis. 591

Sectæ omnes conantur afferre aliquas Teſſeras veri. 14. 15. Omnes evertuntur à manifeſta Sanctitate Romanæ Eccleſiæ: præſertim a Sanctitatis Dotibus, videlicet Miraculis, & impletis Propheticis Prædictionibus. 103. Sectarum falſitas patet ex cauſis, ob quas plurimi ad eas accedunt. 249

Semiariani omnium Hæreticorum primi conſultò receſſerunt a Communione Romani Pontificis. 67. Eorum ad Romanam Cathedram appellatio. 198.

Septuaginta Interpretibus conceſſo lumine mirabilius induitum ſibi fuiſſe Sectarii ſomniant. 213

Signa Fidei quid ſint. 1. Cur tradi debeant ante peculiares controverſias. 1. 2. Eorum Tractationem moliebatur D. Auguſtinus. 2. Neceſſariò dantur, ſi Deus eſt, & Providus eſt. 3. Magis neceſſaria ſunt, quàm ſcientiarum principia. 3. Dari debent, ut Fides poſſit eſſe ſimul obſcura, & prudens. 3. 4

Signorum Fidei evidentia. 11. 12. 13. Clariora ſunt, quàm argumenta probantia extitiſſe Cæſarem, aut exiſtere Conſtantinopolim. 14. Cauſæ, ob quas nihilominus aliqui abhorrent a vera Fide. ibid. Signa allata a Luthero, & Calvino ſunt ineptiſſima. 15. A Schiſmaticis nulla afferuntur. 16

Signa Fidei quænam ſapienter tradenda ſint. 16. Allata ab aliis, & præcipuè a Cardinali Bellarmino. 17. Quænam a nobis ſint afferenda. 18. & ſeq. Signa veræ Doctrinæ unde petenda. pag. 90

Signa Fidei quo pacto ſubjiciantur oculis. 187. Sunt adeò evidentia, ut niſi nos ducerent ad Veritatem, exclamare ad Deum poſſemus: *Domine, ſi Error eſt, quem credimus, a te decepti ſumus.* 538. & ſeq.

Signa oſtendentia Romanæ Fidei veritatem Sectas indirectè omnes evertunt. 552. Alia ſigna contra Sectas alias præter Hæreticos, ac Schiſmaticos, directè pugnantia a 553. uſque ad finem.

Socrates Novatianus negat, licere convocare Concilia inconſulto Romano Pontifice. 40

Sozomenus Novatianus negat, licere convocare Concilia inconſulto Romano Pontifice. 40. Ejuſdem teſtimonium de Iure Romani Pontificis in Vniverſam Eccleſiam. 42

Spes Chriſtianorum eſt manifeſtum argumentum veritatis Fidei. 411

Spiritum Sanctum procedere etiam a Filio nullus negabat ante Concilium Conſtantinopolitanum 68. De hac emanatione etiã a Filio rationes quædam innuuntur ex Principiis aſſumptis a SS. Patribus: Quæſtionibus inſtitutis, & ſimilitudinibus, quibus iidem uſi ſunt 68. 69. S. Spiritum procedere a Filio primus omnium diſertè negat Neſtorius 72. 106. Hæc Hæreſis damnatur ab Epheſino Concilio, & Quarta, Quinta, Sexta, Septima Synodis 72. & ſeq. Spiritum Sanctum a

pro-

procedere a Filio negant Iconoclaſtæ. 77. Ejus Proceſſionem, quàm ineptè explicent Schiſmatici 96. S. Spiritum procedere negantes a Filio hunc Patre minorem videntur cenſere. 196
Spiritus Sancti Vnctio in libris Catholicorum, non Schiſmaticorum, aut Hæreticorum. 143. & ſeq.
Spiritus Peculiaris interni jactati ab Hæreticis inſania, & diſcrimen a ſuaſiua Illuſtratione Spiritus Sancti communi, Catholicis omnibus. 211. & ſeq.
S. Stephanus Pontifex minatur Excommunicationem iterantibus Baptiſmum ab Hæreticis rite collatum, & nemo dubitat de illius Poteſtate. 64
S. Stephanus Martyr Conſtantinopolitanus negat licere convocare Concilia inconſulto Romano Pontifice. 40
Stigmata S. Franciſci. 167
Stolidiſſimi mortalium Athei, ac Theiſtæ ſunt. 579
Suaſiua Illuſtratio Spiritus Sancti quid ſit. 92
Suauis fatetur tribuendam fuiſſe Romano Pontifici Appellationem Epiſcopi Eccleſiæ Vniverſalis a pleriſque Patrum Concilii Tridentini. 259. Et adjudicatam eidē fuiſſe Præſtantiam ſuper ipſa Concilia ab Vniverſa Synodo. 259
Succeſſionis vis evidens in Romano Pontifice ad Regimen Vniverſalis Eccleſię, ac ejus neceſſitas. 356
Succeſſio Pontificum Romanorum in Apoſtolico Throno, & hujus Succeſſionis robur 487. & ſeq. Eadem Succeſſio manifeſte deeſt Schiſmaticis, & Hæreticis. 490
Superbia quoſdam proruit in Atheiſmū. pag. 555
Supplicia quando cenſeri debeant inflicta ab Ira Divina 171. Irrogata Neſtorio, Photio, Bardę, Michaeli III. 173. & ſeq. Cerulario, Balſamoni 175. Ioanni Cantacuzeno, 176. Marco Epheſio 176. Schiſmaticis generatim. 177. Supplicium majus infligi rem Schiſmati, quàm ipſis vetuſtis Hęreſibus. 178. Irrogatum Hebręis ob Chriſti Domini necem. 594. & ſeq.
Synodus v. Concilium.
Synodus Conſtantienſis quid ſentiat de Certo, & Indubitato Pontifice. 266

T

TAlmudicæ Doctrinę abſurditas. 591
Tamerlanes cogit Bajazetem ad ſoluendam obſidionem Conſtantinopolis. 85
Tertulliani auctoritas de antiqua Fide retinenda. 52. Idem affirmat, ortas Hæreſes fuiſſe ex perverſa Scripturarum interpretatione, recedendo a ſenſu vetuſtę Eccleſię 54. Ejus auctoritas de præſcriptionis firmamento 56. & ſeq. Ejuſdem lapſus unde ortus. pag. 209
Theiſtis nullum Rationis, & Honeſtatis Lumen eſſe poteſt 553. Sunt Humani generis Hoſtes 554. Morum corruptela, Superbia, Ignorantia eos impulit ad Religionem proculcandam 555. Illuſtris nullus Auctor Theiſtis eſt; pauci eorum infamę Sectatores 557. Theiſtę, qui Providum, ac Iudicem eſſe Deum inficiantur, ideoque omnem Religionem, & alterius vitę metum proterunt, manifeſti delirii multipliciter arguuntur 572. & ſeq. Neceſſariò ſceleſtiſſimi, non minus quàm Athei, Theiſtę ſunt 578. Per ſummam dementiam nos a Theiſtis Simplices dicimur, eò quod credamus illa, quę non videmus. Multò hujuſmodi plura, & abſurdiſſima ipſi credunt, ac verè ſunt, mortalium ſtolidiſſimi 579. & ſeq. Plurima Divina Prodigia, veritatem noſtræ Fidei demonſtrantia, omnium oculis nunc etiā ſubjici, Theiſtis evidenter oſtenditur 584. & ſeq. Præterita miracula multò clarius fulgent in cōſervata Chriſti Eccleſia, quàm Imperii Romani a Cæſare Fundatio, & quęcumq; alia Profana manifeſte conſtent ex Hiſtoria, ac Traditione. 587
Theodoreti ad S. Leonem Appellatio. pag. 421
S. Theodori Studitæ illuſtre Teſtimoniū de Romanæ Cathedrę Infallibilitate, ac Præſtantia ſupra Concilia 406. & ſeq.
Theodori Pontificis mira Conſtantia pag. 530

Theo-

Theodoſii Imperatoris Atteſtatio de Veritate Romanę Eccleſię. 320

Theologos inter diſputantes de Articulis nundum definitis, & Hęreticos negantes aliquem ex definitis, manifeſtum diſcrimen 26

Theſſalonicenſis Metropolitanus frequēter erat Romani Pontificis Vicarius in Oriente 44. Ideo Vrbs illa Cleri frequentia tanta redundabat, ut moderatione indiguerit. ibid.

Thomæ Mori ſententia de neceſſitate Pontificiæ Infallibilitatis. 397

Timor Inferorum eſt manifeſtum argumentum veritatis Fidei. 451

Traditio antiquiſſima, nec umquam abrupta probat Vniverſalitatem Romanę Eccleſię. 318

Tridentinum Concilium cur non tribuerit Romano Pontifici Appellationem Epiſcopi Eccleſię Vniverſalis. 258

Trullana Pſeudoſynodus carpit ea, quæ vetuſtiſſima, & Sancta erant in Eccleſia 37. Non eſt cauſa conqueri de Particula Filioque jam inſerta Symbolo. 76

Turcæ, ac Tartari Orientem depopulantur in pœnam Schiſmatis 75. Turcę in Græciam evocati a Ioanne Cantacuzeno. 85

Turcæ. v. Mahometani.

V.

SAnctus Victor Pontifex percellit Anathemate Aſię Minoris Epiſcopos 39. Eidem nullus opponit invaſionem Iuriſdictionis 62. Plurimæ Orientales Synodi ſe illi conformant, & etiam Nicæna. 63

Vigilii animus in Pontificatu divinitus extemplo immutatus Apoſtolicam eſſe docet, & Infallibilem Romanam Cathedram. 521. & ſeq.

Virtus nulla vera Ethnicis fuit. 639

Viſibilis eſt vera Eccleſia. 440. & ſeq.

Vitia ſunt cauſa, vt nonnulli evadant Athei, ac Theiſtæ. 555

Vna eſt Romana Eccleſia, cui unum Caput. 31. & ſeq.

Vnitati Fidei non obſtat permiſſa diverſitas Rituum. 30

Vniverſalitas diffuſionis Romanæ Eccleſiæ per omnia Loca 318. & ſeq. Et Tempora. 325. & ſeq.

Vniverſalis Eccleſiæ Epiſcopi nomen impugnantium triplex Claſſis 257. Convenit manifeſto Iure Pontifici Maximo 260. & ſeq. In quo ſenſu recuſatum ſit a S.Gregorio Magno 297. & ſeq. Tributum fuit Romano Pontifici a Synodo Chalcedonenſi. 300. 301

Vniverſalis quoad Objectum, Loca, Tempora, patet Romana Eccleſia v. Catholica.

Vniverſitas rerum ſuffragatur Veritati Romanæ Eccleſiæ. 323

Z.

ZEnonis hæretici Imperatoris precee directę S. Simplicio Pontifici, 424

Digitized by Google

ERRATA,

Quæ benignus Lector, priùs quàm legat, emendare rogatur.

*Pag.*25.*lin.*22. aperienter.*lege* aperientur. *Pag.*35.*lin.*21.*& alibi.* Delyrantes. *lege* Delirantes. *Pag.*40.*lin.*2. ad annum 860. *lege* 869. *Pag.* 50.*lin.*5. *dele* propemodum. *Pag.*43.*lin.*15.*& alibi* Chriſoſtomus. *lege* Chryſoſtomus. *Pag.*64. *li.*23. proph. *lege* prof. *Pag.*74.*lin.*11. bicioitem. *lege* bicipitem. *Pag.*85.*lin.*13.*&* 14. Schima.te eiorando. *lege* Schiſmate ejurando. *Pag.*107.*lin.*12. otiam. *lege* etiam. *Pag.* 109.*lin.*27. ſallaciarum. *lege* fallaciarum. *Pag.* 119. *lin.*14. induxerant. Magiſtri . *lege* induxerant Magiſtri. *Pag.*128.*lin.*4. inſervit. *lege* inſeruit. *Pag.*139. *lin.*6. Ioannem Clymaeum *lege* S.Io:Clymacum. *Pag.*140.*lin.*1. Quod faſcinum . *lege* qui faſcinus. *Pag.*152.*lin.*29. Idololariæ. *lege* Idololatræ *Pag.*160.*lin.* 15. imoderatione. *lege* moderatione. *Pag.* 167. *lin.*21. Amoris divini. prodigia. *lege* Amoris Divini prodigia. *Pag.* 168.*lin.*17. conſerantur. *lege* couferantur . *Pag.*172. *lin.*13. Tragediæ . *lege* Tragœdiæ. *Pag.* 178. *lin.*14. prophanuni. *lege* profanum. *Pag.*185.*lin.*10. n cubantes. *lege* incubantes. *Pag.*223.*lin.*6. Regiones. Ethnica. *lege* Regiones Ethnica. *Pag.* 295.*lin.*27. Æthyops. *lege* Æthiops. *Pag.*305.*lin.*11. Idæa. *lege* Idea. *Pag.* 311.*lin.*1.2. eſt, veneratione. *lege* eſt veneratione. *Pag.*319. *lin.*19. ſtygmate. *lege* ſtigmate. *Poſt pag.*322. *ſcribitur* 223. *lege* 323. *Pag.*223. *ideſt* 323.*lin.*2. Clamydes. *lege* Chlamydes. *Pag.*400. 783. *lege* 738. *ac dele totum* §. *quia repetitur.* *Pag.*416.*lin.ult.* tur retur. *lege* dignaretur. *Pag.* 437. *lin.*9. conſcctari. lege conſectati. *Pag.* 442. *lin.*3. adunt. *lege* ajunt. *Pag.* 457.*lin.*1. *deeſt* ſent. *Pag.*497.*lin.*29. credendus. *lege* credenda. *Pag.*512. *lin.*23. nulla. *lege* nullam. *Pag* 540. *lin.*25. præfecto. *lege* profectò. *Pag.* 544. *lin.*15. ex lex. *lege* exlex. *Pag.*545. *lin.*28. diſſevrimus. *lege* diſseruimus. *Pag.*550.*lin.*20. abrogat is. *lege* abrogatis. *Pag.*557.*lin.*3. deceſſet. *lege* deeſset. *Pag.*557.*lin.*18. Eequem. *lege* Ecquem. *Pag.*565. *lin.*12. ea. *lege* eos. *Pag.*577.*lin.*22. objecti: ſint). *lege* objecti) ſint. *Pag.*578.*lin.*16. Hominum. *lege* Hominis. *Pag.*592.*lin.*25. Iſdrael. *lege* Iſrael.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google